170.2

C. MACKSEY S. I.

# DE ETHICA NATURALI

## PRAELECTIONES SCHOLASTICAE

ABBREVIATAE

AD USUM PRIVATUM SCHOLARIUM

IN

UNIVERSITATE GREGORIANA




ROMAE
EX UNIVERSITATE GREGORIANA
—
1914

18617

TYPIS TYPOGRAPHIAE PONTIFICIAE IN INSTITUTO PII IX
(ARTIFICUM IUNIORUM S. IOSEPHI)
*Romae — Via S. Prisca Num. 8-9*

# ORDO RERUM

PAG.

PROLEGOMENA. De Definitione Ethicae . . . . . 1

PARS PRIOR.

ETHICA GENERALIS.

CAPUT I. — De Obiecto Materiali Ethicae.

PROOEMIUM. De Actu Humano in Genere . . . . . 7
ART. I. De Voluntario . . . . . 9
ART. II. De Libero et Deliberato. . . . . 22
ART. III. De Causis Modificantibus Voluntarium et Liberum. . 27
THESIS I. Ignorantia invincibilis tollit, vincibilis autem non tollit voluntarium in actu qui ex ea fit. . . . . 27
THESIS II. Concupiscentia neque consequens neque, per se loquendo, antecedens tollit voluntarium in actu qui ex ea fit. 33
THESIS III. Actus qui ex gravi metu fit, per se loquendo, est simpliciter voluntarius, regulariter autem est involuntarius secundum quid. . . . . 38
THESIS IV. Actus qui est proprie et simpliciter coactus est omnino involuntarius. . . . . 43
THESIS V. Actus humanus imputabilis est libero agenti, cuius actus est. . . . . 45
THESIS VI. Actus humanus capax est meriti vel demeriti apud homines et apud Deum . . . . . 47

CAPUT II. — De Fundamentis Moralitatis.

PROOEMIUM. Distributio Materiae . . . . . 57
ART. I. De Fine Dei Creantis . . . . . 58
THESIS VII. Finis « cui » ultimus Dei creantis est Ipse Deus; finis autem ultimus « qui » est divina gloria externa . . 58

PAG.

Thesis VIII. Finis « qui » intrinsecus hominis simpliciter ultimus est beatitudo perfecta; cuius necessarium obiectum est Ipse Deus . . . . . 66

Thesis IX. Finis intrinsecus « qui » hominis relative ultimus est meritum beatitudinis perfectae: extrinsecus est in activitate sua specifica efficere ea in generali proposito Creatoris mundi ad quae efficienda Creator naturam eius ordinavit 73

Art. II. De Lege Divina . . . . . 81

Thesis X. Existit in mente divina rerum gubernandarum ratio, quae merito dicitur lex aeterna . . . . . 81

Thesis XI. Existit in homine lex divina naturalis, quae a S. Thoma merito declaratur legis aeternae participatio in creatura rationali . . . . . 94

Thesis XII. Deus legis naturalis perfectam sanctionem necessario statuit. . . . . 105

Thesis XIII. Perfecta legis naturalis sanctio respicit vitam futuram et in beatitudine perfecta tribuenda aut deneganda consistit . . . . . 108

Thesis XIV. Obligatio legis in suo effectu formali stat in determinatione aut ad legi obsequendum aut ad reatum culpae et poenae contrahendum: efficienter autem procedit legis naturalis obligatio immediate ex divina voluntate. . . . 115

Thesis XV. Lex naturalis neque ab intrinseco neque ab extrinseco mutari potest, i. e. stante natura humana quidquid praecipitur lege naturali nequit non praecipi, quidquid vetatur nequit non vetari . . . . . 123

## CAPUT III. — De Obiecto Formali Ethicae seu de Moralitate Actuum Humanorum.

Prooemium . . . . . 134

Art. I. De Regula Formali Moralitatis. . . . . 136

Thesis XVI. Moralitas stat in habitudine actuum humanorum ad aliquam regulam, i. e. in habitudine conformitatis, si actus sit moraliter bonus, difformitatis, si sit moraliter malus 136

Thesis XVII. Regula formalis suprema moralitatis est lex aeterna 140

Thesis XVIII. Formalis regula proxima moralitatis est recta ratio . . . . . 148

Art. II. De Fundamentali Regula Morum. . . . . 161

PAG.

Thesis XIX. Fundamentalis regula moralitatis est communis finis humanae vitae . . . . . 161

Art. III. De Falsis Morum Regulis. . . . . 169

Thesis XX. Regula moralitatis statuta ab Utilitariis nequit esse vera moralitatis regula sive formalis, sive fundamentalis, sive logica . . . . . 169

Thesis XXI. Ratio humana nequit esse, ut Rationalistae volunt, regula moralitatis suprema . . . . . 174

Thesis XXII. Adaequata regula omnis moralitatis nequit reponi, ut Positivistae Morales volunt, in facto aliquo pure contingente . . . . . 179

Art. IV. De Principiis Moralitatis . . . . . 183

Thesis XXIII. Tria sunt principia moralitatis in actu humano, obiectum nempe, finis et circumstantiae. . . . . 184

## CAPUT IV. — De Moralitatis Cognitione.

Prooemium . . . . . 200

Art. I. De Legis Naturalis Cognoscibilitate . . . . . 201

Thesis XXIV. Legis naturalis praecepta communia a nullo homine usum rationis habente invincibiliter ignorari possunt 203

Art. II. De Moralitatis Criterio . . . . . 208

Thesis XXV. Facultas qua homo actus humani, sive positi sive ponendi, moralitatem percipit, non est sensus aliquis sive materialis sive, ut aiunt, spiritualis, sed intellectus practicus est . . . . . 208

Thesis XXVI. Proximum criterion obiectivum moralitatis est natura rationalis adaequate considerata . . . . . 212

Art. III. De Conscientia Morali . . . . . 217

Thesis XXVII. Conscientiam formaliter certam sequi nobis licet, si permissiva sit ; sin autem praeceptiva vel prohibitiva, eam sequi tenemur. Immo in hac re sufficit certitudo prudentialis, et quidem etiam quando simul obiective erronea sit conscientia. . . . . 219

## PARS ALTERA.

## ETHICA SPECIALIS.

### CAPUT I. — De Iure et Officio in Genere.

Art. I. De Conceptu Iuris et Officii . . . . . 233
Art. II. De Origine Iurium . . . . . 246
Thesis XXVIII. Principium iuris est lex et quidem ultimatim lex Dei aeterna . . . . . 246
Thesis XXIX. Dantur iura naturalia, talia nempe quae procedant ab ipsa lege naturali antecedenter ad omnem legem positivam . . . . . 251
Art. III. De Iuris Coactivitate . . . . . 258
Thesis XXX. Ius coactivitate gaudet tum ad sui defensionem tum ad iniuriae reparationem . . . . . 258
Art. IV. De Iuris Limite . . . . . 267
Thesis XXXI. Iura humana limitantur a lege unde proveniunt 268
Thesis XXXII. In collisione iurium vera iurium contradictio non datur: in contradictione quae apparet praevalet ius potius; ratio potioris iuris pendet a potestate et voluntate legis latoris, quae in defectu authenticae declarationis diiudicanda sunt ex comparatis rationibus principii, finis, materiae, subiecti, tituli et termini in utroque collidente iure. . . . . 270

### CAPUT II. — De Hominis Officiis in Specie.

Prooemium . . . . . 276
Art. I. De Hominis Officio Erga Deum . . . . . 277
Thesis XXXIII. Iure naturae tenetur homo Deo Auctori suo cultum tum internum tum externum exhibere. . . . . 278
Art. II. De Officio Hominis Erga Se Ipsum . . . . . 287
Thesis XXXIV. Lex naturalis homini suae vitae dominium non tribuit: unde eadem lege suicidium prohibetur . . . . 288
Art. III. De Officiis Hominis Erga Alios . . . . . 297
Thesis XXXV. Directa alterius occisio facta ex privata auctoritate et extra casum necessariae defensionis contra aggressorem iniustum lege naturali vetatur . . . . . 298

PAG.

Thesis XXXVI. Contra iniustum vitae aggressorem licita est defensio etiam cum nece aggressoris, servato tamen moderamine inculpatae tutelae . . . . . 301

Thesis XXXVII. Duellum ex privata auctoritate et privata causa, nominatim vero honoris causa, susceptum lege naturali vetatur . . . . . 314

Thesis XXXVIII. Lege naturali vetatur quaevis locutio contra mentem, seu mendacium . . . . . 324

Thesis XXXIX. Restrictio stricte seu pure mentalis semper est illicita : ad defensionem autem secreti interdum licita est restrictio late mentalis . . . . . 334

Art. IV. De Proprietatis Dominio . . . . . 345

Thesis XL. Homo ius congenitum habet dominium acquirendi proprietatis individuale perfectum tum transitorium tum etiam stabile tanquam ius naturale : et per se neque exstinguitur ius illud, neque eius exercitium inhibetur, ulla essentiali exigentia societatis civilis . . . . . 351

Thesis XLI. Sociale systema Collectivismi, considerata humana natura in genere et complexa ratione societatis modernae, medium ineptum est ad finem societatis civilis assecurandum 366

Thesis XLII. Proprietatis dominii titulus naturalis et primigenius est occupatio effectiva : labor autem productivus est originalis titulus dominii in suos proprios fructus ; in quantum vero effectivam rationem tribuit occupationi, participat de hoc titulo primigenio ad res effective occupatas. Derivativi tituli naturales dominii sunt traditio et successio hereditaria . . . . . 392

## CAPUT III. — De Officiis Hominis Socialibus.

Prooemium. De Societate in Genere . . . . . 412

Thesis XLIII. Cuivis societati humanae necessarium est ut in ea sit auctoritas socialis. . . . . 416

Art. I. De Societate Domestica . . . . . 421

Thesis XLIV. Lex naturalis hominem ad societatem coniugalem ordinavit ; est igitur societas naturalis et non mere conventionalis : in concreto autem venit in existentiam consensu coniugum mutuo ad vinculum matrimoniale . . . . . 424

Thesis XLV. Lex naturalis parentibus prolem educandi officium imponit . . . . . 434

PAG.

Thesis XLVI. Lex naturalis polyandriam et polygamiam prohibet 444

Thesis XLVII. Lex naturalis divortium a matrimonii vinculo homini prohibet . . . . . 448

Art. II. De Societate Civili . . . . . 461

Thesis XLVIII. Homo lege naturali ordinatur ad societatem civilem . . . . . 462

Thesis XLIX. Naturalis causa iuridica societatem civilem in concreta existentia ponens est consensus constituentium . 474

Thesis L. Materia proxima societatis civilis per se sunt familiae ex quibus exsurgit societas . . . . . 492

Thesis LI. Finis « cui » proprius et proximus societatis civilis sunt omnia et singula eius membra qua talia: finis autem « qui » proprius et proximus bonum publicum est pacis et prosperitatis. . . . . 499

Thesis LII. Suprema auctoritas civilis in genere et secundum se considerata immediate a Deo naturae Auctore procedit . 513

Thesis LIII. Subiectum naturale cui primo, per se et necessario descendit per legem naturalem auctoritas civilis est ipsa communitas in societatem civilem constituta, cuius consensu transit in subiectum in quo permanenter residet formaliter et quoad exercitium. . . . . 527

Thesis LIV. Consensu stabili communitatis qua talis determinatur tum forma specifica regiminis tum legitimus titulus successionis in auctoritate suprema civili formaliter possidenda . . . . . 554

Index Rerum Alphabeticus . . . . . 563

# PROLEGOMENA

## DE LOCO, DEFINITIONE ET DIVISIONE ETHICAE.

Quum philosophia co-extendatur cum ente, obiecto nempe adaequato intellectus humani, dispesci potest tota philosophia secundum partitiones entis. Unde, siquidem ens est aut ideale, reale aut morale; ens autem reale considerandum aut in communi aut prout ens naturae; ens vero naturae aut creatum est aut increatum; creatum deinde, aut corpus aut anima; anima sua vice, aut irrationalis aut rationalis; sint divisiones philosophiae sequentes:

De ente ideali — Logica tum Minor tum Maior.
De ente reali
  Prout ens in communi — Ontologia.
  Prout ens naturae
    De ente increato — Theodicea.
    De ente creato
      Secundum corpus — Cosmologia.
      Secundum animam
        Irrationalem — Psychologia Inferior.
        Rationalem — Psychologia Rationalis.
De ente morali — Ethica. Ens autem morale est actus

voluntatis humanae liber, secundum ordinationem et perfectionem ultimam hominis.

Ethica seu Philosophia Moralis est:

Etymologice — Scientia de actibus hominis liberis in quantum ad illam constantem eorum uniformitatem quam exigit perfectio hominis: ethos enim seu mos in genere est constans et uniformis modus operandi in ente libero qua tale; inter Latinos mores convertuntur cum habitibus liberae actionis in homine, et praedicantur de actionibus tum malis tum bonis, sed antonomastice possumus eos restringere ad habitus bonarum actionum, denominando habitus actionum malarum habitus immorales.

Realiter — Scientia naturalis de actuum humanorum moralitate. Haec definitio assumitur tanquam ab omnibus morum magistris concessa, praecisione habita de ipsa natura moralitatis. Exigit igitur tantum explicationem illius significationis. Dicitur quidem Ethica

**Scientia,** i. e. non mere positiva, quale est quodvis systema propositionum sive demonstratarum sive non; sed

Rationalis, nempe cognitio per causas seu systema conclusionum demonstratarum praestans de obiecto suo firmam per causas cognitionem.

Practica quidem scientia est, utpote cuius finis est non tantum ad verum cognoscendum, sicut in scientia mere speculativa, sed etiam et praecipue ad actiones dirigendas, ad rem igitur aliquam efficiendam: dirigit enim hominem ad ponendas illas actiones quae constituant ipsum moralem et ad evitandas eas quae huic effectui officiant. Dici igitur potest aliquo vero sensu ars, siquidem sit ratio quaedam agibilium.

**Naturalis** scientia, i. e. scientia ex solo naturali rationis lumine habita; ita distinguitur a theologia morali, quae quidem versatur circa humanorum actuum moralitatem sed

adminiculo revelationis divinae et proinde est eo usque supernaturalis.

**Actuum humanorum,** scilicet actionum quae maxime propriae homini sunt, quae quidem realiter sunt nonnisi actiones procedentes ex deliberata voluntate seu ex deliberata ratione et libera voluntate, uti infra ostendemus. Constituunt obiectum materiale ethicae.

**Moralitate,** i. e. id quo actus humanus constituitur moralis, sive moraliter bonus sive moraliter malus. Quid illud sit in praesens non determinatur; sed tantum notatur quod actus humani dicuntur moraliter boni, ob quorum praxim constantem et uniformem aliquis communi hominum ore denominatur simpliciter bonus, bonus bonitate honesta, ordinatus ordine recto: moralitas enim, honestas et rectitudo inter homines magis minusve convertuntur. Moralitas est obiectum formale Ethicae.

Dispescitur Ethicae scientia in duas partes, ethicam simpliciter dictam et ius naturae, licet recentius auctores malint denominare eas ethicam generalem et ethicam specialem: prior determinat principia fundamentalia et regulas generales totius moralitatis, posterior versatur in specialibus applicationibus horum principiorum et regularum ad diversos status humanae naturae existentis in terris. Veteres cum Aristotele diviserunt ethicam specialem in ethicam monasticam, oeconomicam et politicam, prout respiciat hominem ut individuum, ut membrum familiae aut ut civem in civitate: hanc etiam divisionem sequemur. (Confer FERRETTI, in prologo).

PARS PRIOR

# ETHICA GENERALIS

## CAPUT I.

## De Obiecto Materiali Ethicae.

### PROOEMIUM

### DE ACTU HUMANO IN GENERE.

Actus Humanus, actus nempe qui sensu maxime proprio est hominis, assumitur esse obiectum materiale Ethicae, eo quod communi ore hominum praedicatur moralitas nonnisi de homine agente proprie qua tali, seu secundum actus illos qui sunt eius sensu maxime proprio. Ethica enim versatur circa eos actus qui soli induant moralitatis rationem quae est obiectum Ethicae formale.

Actus Humanus definitur actus procedens in homine a deliberata voluntate, i. e. ex deliberata ratione et libera voluntate: ceteri actus in homine procedentes, qui nempe carent deliberatione rationis et libertate voluntatis, denominantur actus hominis. Iustificatur haec definitio, siquidem solus actus procedens in homine a deliberata voluntate ita simpliciter et secundum omnem suam rationem proprius est homini ut de illo moralitas ab hominibus praedicetur. Non enim sufficiunt hominis actus generici, sicut movere, dormire, quia hi sunt simpliciter communes ipsi cum ceteris entibus; neque actus mere specifici, i. e. hominis *qua* homo est, sicut fidibus ludere, philosophiam praelegere, quia licet soli homini competant, competunt ipsi per accidens, et potest esse aliquis penitus homo quin huiusmodi actus faciat. Requiritur igitur actus hominis reduplicative sumpti, i. e. hominis *quia* homo est: attamen

non sufficit actus qui est talis secundum entitatem actus tantum, sicut ratiocinare, conclusionem ducere ex praemissis, quia licet ille actus in solo et omni homine invenitur, est in tali actu ratio necessitatis, quae invenitur etiam in actibus aliorum entium, neque de huiusmodi actu, sicut neque de aliis supradictis praedicatur ab hominibus moralitas. Requiritur igitur demum ut actus sit hominis reduplicative sumpti non tantum secundum entitatem actus sed etiam secundum modum quo ille actus procedit ab agente, sicut eligere inter duo bona sibi per rationem proposita. Huiusmodi actus nullatenus invenitur in alio ente supra terram et proinde propriissimus homini est, et de facto nonnisi de tali actu homines praedicant moralitatem.

Iam vero actum humanum possumus considerare aut secundum suum esse psychologicum (esse simul physicum et intentionale), nempe prout est liber actus voluntatis connotans praevium actum intellectus, aut secundum suum esse morale, i. e. secundum illam rationem additam propter quam ipsi inest et de ipso praedicatur moralitas. Actus humanus est obiectum materiale Ethicae secundum suum esse psychologicum tantum: sumptus enim simul secundum suum esse morale est obiectum adaequatum Ethicae, quum ratio moralis inducat obiectum formale et obiectum adaequatum extendatur ad omne id in quo invenitur simul obiectum materiale et formale. Agitur ergo in praesenti capitulo de actu humano secundum suum esse psychologicum tantum: attamen etiam iuxta hanc rationem tripliciter eum possumus investigare, scilicet, vel prout procedit ex voluntate, vel prout libere procedit, vel prout maiorem dicit aut minorem deliberationem mentis. Secundum singulas has rationes successive actum humanum considerabimus.

## Articulus I.

### De Voluntario.

Voluntarium in genere est id quod procedit ex voluntate. Voluntas autem definitur appetitus rationalis elicitus: appetitus, i. e. principium motus ad bonum aliquod obtinendum; elicitus, i. e. principium motus ad bonum quatenus *praecognitum* a movente; rationalis, i. e. principium motus ad bonum quatenus *intellectu* praecognitum a movente. Voluntas, quia appetitus elicitus, distinguitur ab appetitu mere executivo, qui est principium motus cuiusque naturae ad bonum suum proportionatum et non distinguitur ab ipsa natura entis; voluntas, quia rationalis distinguitur ab appetitu sensibili, qui est principium motus ad bonum quatenus sensu tantum praecognitum a movente: differentia inter cognitionem boni sensibilem et intellectualem in hoc sistit, quod sensus percipit obiectum *quod* bonum est sed non *qua* bonum est, intellectus autem necessario illud percipit *qua* bonum.

Iam vero quaestio est determinare in homine quales eius actus procedant ab appetitu rationali elicito, quales non: ad huiusmodi determinationem habendam —

Definitur Voluntarium id quod procedit a principio intrinseco cum cognitione boni, seu finis formaliter qua talis, secundum inclinationem agentis. Explicatur definitio:

*Procedit*, i. e. effectus eius est et non mere terminus. Ita voluntarium distinguitur a mere volito, quod dum terminat actionem voluntatis, non est eius effectus, sicut e. g. mors inimici ex causa naturali procedens, quam

agens desiderat, vel super quam gaudet, sed ipsam nullatenus causat. Omne voluntarium est volitum, sed non omne volitum est voluntarium.

*A principio intrinseco;* i. e. a potentia activa quae est intra ipsum agentem: quum voluntas sit tale principium, nihil quod non procedit a principio intrinseco potest dici voluntarium: voluntas est etiam principium vitale et proinde agendo semper producit actum intrinsecum, sed voluntarium praedicatur non tantum de hoc actu sed de quocunque effectu sive intrinseco sive extrinseco. Ita distinguitur voluntarium a violento, quod semper procedit a principio extrinseco, sicut plaga inflicta ab altero, aut actus visionis vel auditus, ad quem producendum, nobis resistentibus, alter movet facultatem nostram necessariam, obtrudendo huic obiectum determinans.

*Cum cognitione boni seu finis;* i e. cum perceptione obiecti agenti convenientis: ita effectus procedens venit tandem aliquando ex actu elicito et distinguitur ab effectu *naturali,* qui procedit sine cognitione finis, sive sit a principio intrinseco sicut effectus vegetativi in homine, sive a principio extrinseco sicut calor acceptus ab aëre.

*Cum cognitione finis formaliter qua talis;* i. e. cum perceptione boni non tantum *quod* est bonum, sed etiam *in quantum* est bonum; unde agens cognoscit non tantum id in quod tendit sed rationem cur tendat: huius modi cognitio est necessario intellectualis. Ita voluntarium distinguitur a spontaneo, quod procedit cum cognitione boni materialiter tantum sumpti, qualis est cognitio mere sensitiva, qua agens cognoscit id in quod tendit, non tamen cognoscit rationem cur tendat. Actus spontanei etiam denominantur motus primo-primi.

*Secundum inclinationem agentis,* i. e. secundum

motionem facultatis appetitivae in agente, et quidem appetitus consequentis cognitionem habitam, quae in praesenti casu est cognitio finis formaliter qua talis. Ita voluntarium distinguitur tum ab involuntario tum a non-voluntario et permissivo; haec enim tria procedere possunt a principio intrinseco cum cognitione finis formaliter sumpti, sed involuntarium procedit contra inclinationem agentis, non-voluntarium neque secundum neque contra inclinationem agentis est, procedit enim secundum actualem indifferentiam appetitus actualis in agente; permissivum alteram notam addit non-voluntario, nempe quod agens non impedit id quod fit quominus fiat, licet possit illud impedire.

Voluntarium multipliciter dividitur:

I. *a*) Voluntarium elicitum est actus voluntarius immediate procedens ex ipsa voluntate, sicut amor, odium etc. Hic recolendi sunt ex psychologia diversi actus voluntatis eliciti. Distribuuntur:

*A*) In genere.

*a'*) Amor generice sumptus, quivis nempe actus immediatus voluntatis prosecutivus boni.

1) Amor specifice sumptus, complacentia scilicet voluntatis in bono (praecisione habita ab absentia vel praesentia boni).

2) Desiderium, quod est tendentia voluntatis in bonum absens (praecisione habita ab expectatione illud obtinendi).

3) Spes, quae est desiderium boni cum expectatione illud obtinendi.

4) Gaudium, quod est vitalis quies voluntatis in bono praesenti, i. e. possesso. Quod si bonum illud sit sensibile, gaudium respectu illius communiter denominatur voluptas ex analogia cum appetitu sensibili, cuius

vitalis quies in suo obiecto possesso proprie nuncupatur voluptas. Unde gaudium magis minusve reservatur pro quiete vitali in bono immateriali possesso.

*b'*) Odium generice sumptum, videlicet actus quilibet immediatus voluntatis aversativus a malo.

1) Odium specifice sumptum, actus voluntatis aversativus a malo, praecisione habita a praesentia vel absentia mali.

2) Fuga, aversio voluntatis a malo quod est vitatu possibile.

3) Timor, trepidatio voluntatis propter malum imminens.

4) Desperatio, deiectio voluntatis ob malum sive praesens sive absens quod est vitatu impossibile, et praecise quia tale. Datur etiam ob desiderium boni adeptu impossibilis, praecise ratione mali quod adest in hac necessaria privatione.

5) Tristitia, quae est displicentia voluntatis ob malum praesens.

Omnes hi actus praedicantur indifferenter respectu finis vel medii.

*B)* In specie respectu finis distinguuntur:

1) Volitio, quae est ipsius finis amor specifice sumptus.

2) Intentio, quae est ipsius finis desiderium efficax, et proinde in sua efficacitate respiciens media in genere.

3) Fruitio, quae est gaudium super finem obtentum et possessum: fruitio praedicatur indifferenter de fine possesso immateriali vel materiali seu sensibili.

*C*) In specie respectu medii habentur:

1) Electio, quae est determinatio voluntatis ad unum medium prae ceteris: involvit duos actus, unum intellectus, alterum voluntatis, nempe

*a''*) Consilium, quod est actus iudicii practici praestantis agenti unum medium prae ceteris eligendum;

*b''*) Consensus, qui est actus voluntatis acceptantis hoc medium praeferentialiter propositum agenti a iudicio practico. Notandum est quod consensus adhibetur generice pro actu voluntatis acceptantis quodvis obiectum ipsi ab intellectu propositum: attamen specifice sumptus praedicatur tantum de acceptatione medii propositi a consilio intellectus, in quo casu si emphasis ponatur super praeferentiam denominatur communiter electio, si super acceptationem nuncupatur simpliciter consensus.

2) Usus, qui est actus voluntatis per imperium applicantis inferiorem facultatem ad medium: actus inferioris facultatis ita applicatae etiam vocatur usus sed passivus.

*b*) Voluntarium imperatum est actus quod non *immediate* procedit a voluntate sed ab inferiore facultate aliqua, sive interna sive externa sub imperio voluntatis: voluntarium igitur imperatum licet ipsum non sit elicitum subaudit tamen actum elicitum imperii; ita voluntarium studium, vel voluntaria deambulatio, in quibus imperium elicitur a voluntate, sed actus studendi immediate procedit ab intellectu, actus ambulandi a pedibus. De actu imperato quaedam etiam repetenda sunt ex psychologia.

Imprimis actus imperatus in homine sequitur quidem imperium voluntatis, sed huiusmodi imperium non est imperium proprie dictum, siquidem non respicit personam distinctam ab imperante; analogice autem dicitur, eo quod inferior facultas de facto movetur a voluntate et habet suam distinctionem realem ab ea, licet non sit distinctio suppositi. Hoc iterum imperium prout est principium movens inferiorem facultatem dicitur imperium voluntatis; prout vero principium directivum dicitur imperium ra-

tionis seu intellectus. Voluntas enim facultas caeca est et proinde priusquam initialem motum dare possit alteri facultati, scire debet quid sit movendum et ad quid: insuper durante toto influxu motionis intellectus praestat homini cognitionem modi, methodi et mensurae motus illius, et proinde imperium non inepte dicitur imperium rationis, licet, qua movens, sit a voluntate.

Imperium voluntatis definitur efficax volitio qua homo facultatem suam movet secundum iudicia practica rationis. Duplex est:

*A*) Imperium reflexum, quod est illud quo voluntas sese movet ad eligendum et adhibendum media ad finem ab ipsa iam intentum.

*B*) Imperium directum, quod est imperium movens facultates distinctas ab ipsa voluntate. Plures huiusmodi sunt:

1) Imperium super intellectum, tum quoad exercitium actus, tum, in iudiciis non evidentibus, quoad specificationem actus. Intellectus semper viam aperit, sed voluntas movet intellectum ad rem considerandam.

2) Imperium super phantasiam, applicando nempe eam ad obiecta proportionata vel revocando eam ab illis, semper tamen dependenter a vigore sive essentiali sive accidentali phantasiae, siquidem haec nequit moveri ad ea quae sunt ultra vires suas.

3) Imperium super appetitum sensitivum, in quantum ad ipsum stimulandum vel reprimendum aut praesertim ad removendum ab ipso occasiones et materiam.

4) Imperium super sensus exteriores, quatenus voluntas potest applicare eos ad obiectum proportionatum vel eos ab illo revocare; sine enim obiecto praesenti sensus non possunt agere, praesente obiecto non possunt non agere.

5) Imperium super actus membrorum corporis, quatenus hi subsunt appetitui sensitivo vel systemati nervoso et musculari; non autem in quantum naturales sunt, i. e. procedentes ex tendentia naturali, sive sit motus gravitatis, vel physica reactio sive nervorum sive musculorum, sive demum sit motus ad augmentum vel ad decrementum.

Addendum est imperium voluntatis super appetitus sensibiles dici civile seu politicum, quasi super cives politice liberos, siquidem appetitus sensibiles possint aliquatenus resistere voluntati; imperium autem appetitus sensitivi super motus membrorum dici despoticum siquidem hi non possunt tali imperio resistere.

II. *a*) Voluntarium directum seu positivum est aliquid procedens a voluntate in quantum agens est, e. g. actus studendi.

*b*) Indirectum seu negativum, est aliquid procedens ex voluntate in quantum omittens actionem est; omissio non dicit tantum non-actionem voluntatis, sed non-actionem post habitam cognitionem requisitam ad actionem ponendam: ita omissio in advertente actus studendi. Haec voluntaria directum et indirectum denominantur a D. Thoma cum pluribus; ab aliis vero nuncupantur positivum et negativum, terminis directi et indirecti reservatis ad voluntarium in se et in causa.

III. *a*) Voluntarium in se est id quod procedens ex voluntate volitionem actualiter terminat, eo quod in se ipso intenditur aut eligitur.

*b*) Voluntarium in alio, seu in causa est id quod ita procedit a voluntate ut virtualiter terminet volitionem, quatenus nempe virtute continetur in alio quod in se et secundum illam virtutem sit voluntarium. Ad voluntarium in alio requiritur:

1) Ut sit effectus illius quod est voluntarium in se; secus non procedit a voluntate, quod requiritur ad omne voluntarium. Effectus autem potest esse per se talis, effectus nempe ad quem producendum causa ordinatur natura sua; vel effectus per accidens talis, ille nempe ad quem producendum causa non ordinatur natura sua, sed ad cuius productionem influit ex aliarum causarum adiunctis in quibus per accidens ponitur: in priori casu effectus sequitur praecise ex illa causa, in altero procedit ex aliis causis hic contingenter coincidentibus ita tamen ut sine influxu etiam prioris non producatur: ad causam per accidens reducitur etiam conditio sine qua non, quatenus licet directe non influat in esse effectus, influit prius in eius posse. Requiritur igitur ut voluntarium in alio sit effectus voluntarii in se, sive per se, sive per accidens; sed non semper sufficit ad voluntarium in alio effectus per accidens, ut mox ostendetur.

2) Ut praecognoscatur effectus, i. e. ut prae positione causae, vel saltem prae impossibilitate subtractionis causae iam positae, causa cognoscatur tanquam causa illius effectus qui est in quaestione; et quidem aut formaliter aut virtualiter. Formalis est praecognitio, si effectus ille in formali suo conceptu praevidetur tanquam consecuturus sive actualiter sive possibiliter: virtualis est, si habetur formalis conceptus effectuum in genere possibilium inter quos de facto continetur effectus qui in quaestione est; virtualis dicitur quia in virtute illius conceptus generici continetur effectus hic specificus, quatenus contentus sub illo genere, unde ad ipsum cognitio sufficienter terminetur; huiusmodi praecognitio effectus etiam dicitur praecognitio effectus in confuso, prout discriminatur talis cognitio a cognitione formali, ubi effectus cognoscitur in sua distincta entitate. Quod requiritur praecognitio, aut

formalis aut virtualis, constat ex eo quod nihil est in voluntate nisi prius sit in intellectu: quod sufficit formalis praecognitio per se patet; quod sufficit virtualis sequitur ex eo quod voluntas potest terminari ad totum genus quod formaliter est in intellectu et per consequens ad omne illud quod necessario continetur in illo genere: sicut enim virtute illius generis formaliter habiti in cognitione mens ipsa terminatur ad omne contentum sub illo genere (et ideo contentum in conceptu generis) ita et voluntas virtute suae formalis terminationis in ipsum genus potest terminari ad omne illud quod continetur sub illo genere et in illo genere formaliter cognito simul cognoscitur virtualiter.

3) Ut effectus etiam sit secundum inclinationem agentis: ad hoc autem sufficit ut effectus sit quid unum cum causa sive physice sive saltem moraliter; ita enim se inclinans ad causam necessario simul se inclinat ad effectum. Effectus vero censendus est constituere quid physice unum cum causa, quando est effectus per se, immediatus, et solus talis; etenim ens nequit esse neque concipi in existentia physica sine illo saltem effectu. Si autem agitur de effectu per se, qui est mediatus, stricte hic non est physice quid unum cum causa, licet possit fieri moraliter quid unum cum ipsa, ut infra dicetur de effectu per accidens. Quod si adsit duplex effectus per se, uterque immediatus, non necessario censendus est uterque facere quid physice unum cum causa in quantum causa cadit sub inclinationem agentis, quia quamvis voluntas nequeat se inclinare ad ponendum ens in physica existentia sine inclinatione ad ponendum simul in existentia illum effectum sine quo causa nequit esse neque concipi in existentia physica, potest tamen discriminare inter duos tales effectus et inclinare se in unum

ponendum cum causa quin inclinetur ad alterum, licet alter simul ponatur: unde electo uno ex his duobus effectibus, alter non necessario cadit sub inclinationem agentis, nisi in quantum interdum fiat moraliter quid unum cum causa, sicuti statim dicetur in casu effectus per accidens. Censendus igitur est effectus constituere quid moraliter unum cum sua causa, quando causa, quae est causa per accidens (vel per se mediatus vel per se immediatus sed alter praeter illum qui intenditur ab agente) ponitur contra cognitum praeceptum prohibens positionem illius causae praecise ne effectus ille sequatur. Etenim tale praeceptum moraliter facit quid unum ex effectu et causa, siquidem prohibet effectum absolute, eo usque nempe ut simul prohibeat positionem omnis causae etiam per accidens effectus illius. Agens per unum actum ponit causam et violat praeceptum prohibens per modum unius tum effectum tum causam per accidens illius; igitur in illo casu voluntas agentis inclinatur ad violationem praecepti in quo per modum moraliter unius prohibetur tum causa tum effectus: ergo et moraliter inclinatur voluntas in productionem ipsius effectus. Notandum tamen est quod in illo casu effectus non magis procedit a voluntate, seu producitur, quam in casu positione causae sine violatione praecepti, sed in ipsum inclinatur voluntas, ita nempe ut includat ipsum effectum saltem moraliter. Notandum etiam est quod ille qui ponit causam per accidens in violatione praecepti quod, licet prohibeat positionem causae, non tamen prohibet praecise ne effectus ille sequatur, non necessario habet illam inclinationem voluntatis ad effectum, quia per tale praeceptum effectus non est factus moraliter unum quid cum sua causa, sicut erat in altero casu, et proinde talis effectus non est voluntarius in causa, si causa est tantum causa per accidens.

Huiusmodi effectus est tantummodo quid permissivum, siquidem deficit inclinatio agentis. Cf. Suarez, De Voluntario et Involuntario, disp. I, sect. IV, n. 8.

Iuvat hic indicare quomodo et ex voluntario indirecto possit oriri voluntarium in causa: etenim omissio alicuius actus potest esse ipsa voluntaria in se; deinde si sequatur aliquid, quod non sequeretur nisi habita illa omissione, omissio, licet non producat illum effectum, se habet tamen ut conditionem sine qua non et ita influens in τὸ posse effectus aequiparatur causae per accidens illius effectus, et secundum ita dictam causalitatem recte dicitur effectus aliquomodo procedere ex omissione proxime et ex voluntate remote. Quod si insuper datur praeceptum contra illum effectum eo usque sese extendens ut etiam prohibeat illam omissionem tanquam causam talem per accidens, omittens actum in violatione talis praecepti habet sufficientem inclinationem, ut supra, in illum effectum producendum, et proinde ille effectus merito dicitur voluntarius in illa omissione tanquam in causa sua. (Cf. Bucceroni, *De Act. Hum. Com.* IV, n. 10).

Demum interdum ex una causa possunt simul sequi duo effectus, quorum unus est voluntarius, alter non, quatenus prior satisfacit requisitis supradictis ad voluntarium in causa, alter vero non satisfacit.

IV. *a*) Voluntarium simpliciter est voluntarium cui voluntas consensum praestat efficacem: duplex est;

*a'*) Voluntarium simpliciter purum, illud nempe simpliciter voluntarium quod nihil involuntarii secum coniunctum habet, quatenus contra illud voluntas ne inefficaciter quidem inclinatur.

*b'*) Voluntarium simpliciter sed mixtum, voluntarium nempe cui voluntas efficaciter consentit, sed simul contra illud habet inclinationem inefficacem.

*b*) Voluntarium secundum quid est illud cui voluntas inclinatur sed inefficaciter tantum.

V. *a*) Voluntarium propter se, quod est voluntarium quod sua ipsius gratia seu propter bonum quod in ipso est agens vult.

*b*) Voluntarium propter aliud, quod est voluntarium quod agens vult propter bonum in alio ad quod prius illud est medium.

VI. *a*) Voluntarium actuale, quod est voluntarium quod agens intendit actu voluntatis hic et nunc praesenti: duplex est;

*a'*) Voluntarium formaliter actuale, si intenditur actu formali hic et nunc praesenti.

*b'*) Voluntarium virtualiter actuale, si intenditur ex nunc praesenti vi aliqua supermanente ex priori actu non amplius praesenti in sua formalitate.

*b*) Voluntarium habituale, quod est illud in quod intentio agentis terminatur eo quod olim habuit in voluntate actum intentionis respectu illius, quem actum nunquam retractavit.

*c*) Voluntarium interpretativum, quod agens merito censetur intendere eo quod actum illud volendi haberet (talis enim est praesens dispositio voluntatis), si de ipso cogitaret.

VII. *a*) Voluntarium expressum, quod est voluntarium de quo actus volendi aliquo signo manifestatur.

*b*) Voluntarium tacitum, quod est voluntarium de quo actus volendi non manifestatur ullo formali signo, sed cuius existentia deduci potest ex aliquo facto vel ex facti alicuius omissione. Huiusmodi voluntarium dicitur voluntarium praesumptum, quando rationabiliter praesumitur actus voluntarii fuisse praesens in agente.

VIII. *a*) Voluntarium necessarium, quod est voluntа-

rium quod procedit sine indifferentia activa in agente ad ipsum ponendum vel non ponendum: ita actus quo Deus amatur in termino beatitudinis perfectae; ita etiam in illis actibus qui vocantur motus secundo-primi, qui procedunt ex principio intrinseco cum cognitione finis formaliter talis et secundum inclinationem agentis, sed ex subita arreptione sine illa advertentia ad rationem boni in non agendo, quae necessaria est ut actus sit liber. Actus etiam quo tendit homo in bonum in genere et ad beatitudinem in genere, licet sit voluntarius tamen est necessarius, non quoad exercitium actus, quasi voluntas non posset agere vel non agere, prout lubet, sed quoad specificationem actus, quatenus voluntas nequit agere nisi propter aliquam rationem boni apprehensi, siquidem ratio boni sit eius obiectum formale, neque quin tendat tandem aliquando in aliquod obiectum apprehensum ut quietans totam suam tendentiam naturalem, ut infra probabitur.

*b*) Voluntarium liberum, quod est voluntarium procedens ex indifferentia activa ad agendum vel non agendum, ad agendum hoc vel illud.

IX. *a*) Voluntarium ratione deliberationis perfectum, quod est voluntarium procedens cum plena illa et proportionata cognitione obiecti, finis operantis et circumstantiarum quae necessaria sit ut actus sit undequaque deliberatus.

*b*) Voluntarium ratione deliberationis imperfectum, quod est voluntarium procedens sine perfecta illa cognitione ita ut sit secundum aliquid indeliberatum, e. g. irascibilis et subita destructio horologii propter defectum aliquem momentaneum; ita pueri et homines temerarii saepius actus produnt qui, licet sint voluntarii, sunt tamen imperfecte tales. Imperfectum etiam erit voluntarium, licet ex alia ratione, si id quod voluntarium est praevidetur et intenditur non formaliter in se ipso, sed virtualiter in alio.

## Articulus II.

### De Libero et Deliberato.

Libertas in genere est immunitas a necessitate: necessitas est determinatio entis ad unum; immunitas est exclusio eius. Necessitas porro duplex est: physica, procedens nempe a causa physica; moralis, quae procedit a lege obligante. Iterum physica necessitas duplex est: coactio, quae procedit a causa physica extrinseca enti necessitato; necessitas intrinseca, quae procedit a causa physica ipsi intrinseca.

I. Libertas physica est immunitas a necessitate physica tum extrinseca tum intrinseca.

*A*) Libertas a coactione est immunitas a necessitate physica extrinseca.

*B*) Libertas arbitrii est immunitas a necessitate physica intrinseca, et positive definitur indifferentia voluntatis activa qua, positis omnibus praerequisitis ad agendum, voluntas potest agere vel non agere, agere hoc vel illud. Indifferentia in genere excludit determinationem: indifferentia activa superaddit quod potentia datur capax per sese removendi illam indifferentiam actualem, seu sese determinandi. Positis omnibus praerequisitis ad agendum, supponitur illa potentia esse expedita tum intrinsece tum extrinsece, ita ut defectus actionis, si detur, non provenit ex defectu in generali potentia agendi, sed praecise ex ratione indifferentiae activae exercitae. Agere vel non agere, agere hoc vel illud indicat terminum illius indifferentiae activae.

*a*) Libertas arbitrii quoad exercitium actus est libertas ad agendum vel non agendum: vocatur libertas contradictionis.

*b*) Libertas arbitrii quoad specificationem actus est libertas agendi hoc vel illud: vocatur libertas contrarietatis, si duo illa inter quae eligit sunt contraria; quod si sint tantum disparata, libertas nuncupatur nomine generico libertatis specificationis.

Quod libertas arbitrii voluntati humanae competit, probatur in Psychologia ex triplici argumento, scilicet, ex nostra experientia propria, ex communi hominum consensu, et ex potentia in intellectu praestandi hominem aliquam (sufficientem) rationem boni tum in agendo tum in non agendo, tam in agendo hoc quam in agendo illud.

Quoad extensionem libertatis notandum est:

*A*) Libertate a coactione gaudent omnes actus eliciti voluntatis, uti constat nobis ex experientia; non autem omnes actus imperati.

*B*) Libertate arbitrii caret voluntas

*a*) quoad specificationem actus, respectu boni in genere et beatitudinis in genere;

*b*) quoad exercitium actus simul et specificationem in actibus qui nominantur motus secundo-primi, iis nempe qui, licet consequantur cognitionem finis intellectualem et proinde sint voluntarii, tamen procedunt sine sufficiente applicatione intellectus ut ipse advertat ad rationem mali quae forte est in obiecto volito; huiusmodi actus accidunt ex intensitate obiecti agentem allicientis aut ex subita eius propositione cognitioni agentis facta. Item eadem libertate probabilius caret voluntas humana in vitae termino, respectu beatitudinis in specie.

*C*) Libertate arbitrii tum quoad exercitium actus tum quoad eius specificationem gaudet voluntas humana

in quolibet alio suo actu et respectu cuiuslibet alterius obiecti apprehensi.

Unde omne liberum est voluntarium sed non omne voluntarium est necessario liberum; supradicti enim actus voluntatis carentes libertate arbitrii sunt nihilominus voluntarii. Quum vero omne liberum sit voluntarium, liberum divisionibus subiacet iam datis respectu voluntarii praeter illam in voluntarium necessarium et liberum. Demum notari debet actum elicitum voluntatis esse intrinsece liberum, utpote ipsa facultas eliciens actum sese determinat seu agit cum indifferentia activa: actus autem imperatus non est intrinsece liber, nam facultas eum eliciens non agit cum indifferentia activa; denominatur igitur actus imperatus extrinsece liber, ex actu nempe elicito voluntatis quo imperatur, qui actus imperans est ipse intrinsece liber.

II. Libertas moralis est immunitas a lege obligante: supponit in ente ita libero libertatem etiam physicam, quae, licet dicat immunitatem a necessitate physica, non dicit immunitatem a ligamine morali, seu lege, nisi ens sit simul moraliter liberum. Unde constat divisionem actuum humanorum in actus necessarios et actus liberos respicere libertatem moralem; utraque actuum classis libertatem habet arbitrii, sed necessarii actus non gaudent libertate morali, dum liberi istiusmodi actus libertatem dicunt etiam moralem. Lex igitur moralis non demit libertatem arbitrii, sed moraliter eam coarctat, quatenus ad eius usum limites ponit: neque tamen per hoc facit lex quidquam in iniuriam aut imperfectionem libertatis arbitrii; non in iniuriam, quia nonnisi lex habens ius superius ad ligandum vere ligat; non in imperfectionem sed potius ad hanc ipsam augendam, siquidem hominem dirigit ad eas actiones, quae solae perficiant ipsum qua

talem, aut ad evitandum illud quod homini est malum morale.

III. Libertas civilis est immunitas a necessitate ex parte civitatis in homine quoad exercitium propriorum suorum iurium, dummodo illud exercitium bono communi civitatis non officiat.

IV. Libertas politica est immunitas a privatione in homine suae facultatis sive directe sive indirecte participandi in regimine seu in administratione societatis civilis. Enimvero, si nihil prorsus possit civis efficere respectu regiminis civitatis, nullam dicitur habere libertatem politicam; quod si ipsi permittatur ut suo modulo tanquam membrum societatis cum ceteris civibus regimen dirigat per leges, per repraesentativos, per rectores eligendos etc., tunc dicitur politica libertate gaudere. In monarchia absoluta libertas politica nulla est in individuo cive: in absoluta democratia est libertas politica in individuo cive summa. In bene ordinata et gubernata civitate sub quacumque forma regiminis legitima servatur cuilibet civi sua libertas civilis. Attamen quando regitur civitas secundum principium quod non sunt multiplicandae leges aut restrictiones nisi in quantum necessariae sint ad finem civitatis, inibi invenitur civibus summa libertas civilis: dum in illa civitate in qua non tantum necessaria sed fere omnia facta sunt a gubernio per leges et officiales, minoratur civilis libertas individui. Unde accidere potest quod in republica, licet sit maior libertas politica, saepius minor est libertas civilis quam in monarchia, licet in hac minor sit libertas politica.

Deliberatum in genere dicit id quod procedit ex homine cum libratione motivorum: in re actus humani haec libratio respicit rationes boni et mali in eodem actu propositas. Deliberatio igitur essentialiter postulat ut conside-

ratio actus sit talis qua apprehendatur in ipso simul aliqua ratio boni et aliqua ratio mali, si quae forte adsit vel apprehendi possit: quod si talis non sit consideratio, actus carebit essentiali deliberatione.

Perfecta est deliberatio quando talis est consideratio qualis potens sit ad praestandum agenti omnem rationem talem rationabiliter cognoscibilem in obiecto, fine et circumstantiis actionis.

Imperfecta est quando deficit consideratio ab illa qualitate. Iam vero ad liberum requiritur essentialis aliqua deliberatio. Unde ad actum humanum requiritur ut actus sit voluntarius, essentialiter deliberatus et liber: hic est sensus definitionis actus humani tanquam actus procedentis in homine a deliberata voluntate, seu ex deliberata ratione et libera voluntate.

## Articulus III.

### De Causis Modificantibus Voluntarium et Liberum.

Quum omne liberum sit necessario voluntarium, voluntarium autem subaudiat cognitionem et inclinationem agentis, ea quae cognitionem et inclinationem afficiunt modificare possunt voluntarium et per consequens et liberum: ita nempe ignorantia, passio et coactio.

**THESIS I. — Ignorantia invincibilis tollit, vincibilis autem non tollit voluntarium in actu qui ex ea procedit.**

Confer D. Thomam, 1, 2. q. 6, a. 8. – Suarez, de Voluntario et Involuntario, disp. 3. aa. 1, 2 et 3. — Ferretti, Philosophia Moralis, thes. XVI.

*Status Quaestionis.* — Ignorantia est privatio cognitionis, negatio nempe cognitionis in genere debitae: distinguitur a mera nescientia, quae est simplex carentia cognitionis, et ab errore, qui est assensus mentis falso datus, necnon ab inadvertentia (inconsideratione vel oblivione) quae est carentia actualis cognitionis in eo qui habitualiter vel potentialiter cognoscit rem, sed hic et nunc non recordatur neque de ea cogitat. In thesi quaestio est de ignorantia sed ita ut includantur etiam error et inadvertentia in quantum haec etiam dicunt ignorantiam.

Ignorantia, *ratione obiecti,* distinguitur in ignorantiam iuris, viz. ignorantia existentiae legis vel eius applicationis ad actum ponendum; et ignorantia facti, qualis est ignorantia alicuius circumstantiae ipsius actus vel eius naturae, licet cognoscatur lex circa huiusmodi in genere actum: in thesi agitur de utraque.

Ignorantia, *ratione subiecti,* duplex est:

*a*) Ignorantia invincibilis, talis nempe quae evitari nequit, sive

*a'*) Physice, quando per quantamvis diligentiam evitari non potest, quo in casu ultra potentiam physicam agentis est acquirere rei cognitionem; haec impotentia verificatur per accidens etiam in casu inadvertentiae et oblivionis completae: sive

*b'*) Moraliter, quando adhibita diligentia moraliter proportionata, nondum depellitur ignorantia. Moralis haec proportio diiudicanda est ex ea quam homines prudentes exigerent ab homine eiusdem conditionis et in iisdem adiunctis et respectu materiae seu actus eiusdem gravitatis seu momenti ac verificantur in casu agentis.

*b*) Ignorantia vincibilis, ea scilicet quae, adhibita diligentia moraliter proportionata, depelli potest. Duplex haec est:

*a'*) Ignorantia affectata, ea viz. quam directe vult agens qui idcirco omittit adhibere diligentiam proportionatam; est igitur haec ignorantia voluntaria in se.

*b'*) Ignorantia non affectata, quae habetur non per directam volitionem sed per indirectam quatenus agens omittit diligentiam adhibere ob aliam aliquam rationem, v. c. ob desidiam, ob negotia quibus occupatur etc. Haec iterum duplex est, supina seu crassa, quae nempe facile amoveri potest, sed nulla adhibetur *diligentia;* simplex seu simpliciter vincibilis, quae est scilicet in eo qui aliquam diligentiam adhibet sed non moraliter proportionatam.

Ignorantia vincibilis non affectata est voluntaria in causa, in omissione nempe moraliter proportionatae inquisitionis. Etenim omissio illa est voluntaria, est causa negativa ignorantiae, ignorantia tanquam effectus illius

omissionis praecognoscitur saltem virtualiter ab omittente, et licet dicatur ignorantia esse effectus per accidens illius omissionis, tamen adest praeceptum prudentiae contra illam omissionem praecise ne ignorantia illa sequatur: ratio enim cur prudentiores exigant illam inquisitionem omissam est praecise quia lex naturalis praecipit secundum prudentiam fieri inquisitionem ad removendam ignorantiam et ad praecavendum inter effectus possibiles positionem actus qui habita cognitione non poneretur.

In sua amplitudine thesis extenditur ad omnem supradictam ignorantiam.

Actus qui fit ex ignorantia est actus, qui ab ignorante positus, non fuisset positus si non adfuisset ignorantia. In hoc casu ignorantia est conditio sine qua non ipsius actus, sed iure aequiparatur causae: dicitur causa, non quidem positiva sed negativa (seu *removens prohibens*), quatenus nempe ignorantia excludit illam cognitionem quae efficaciter impediret quin actus fieret. Unde in hoc casu actus dici potest esse effectus, saltem per accidens, ignorantiae tanquam causae negativae.

Notandum tamen est agentem non ignorare physicum ipsum actum quem ponit, sed aliquam rationem eius sive quoad ius sive quoad factum, qua cognita, non poneret actum: ipse igitur actus physicus non fit ex ignorantia suimet ipsius, sed ex ignorantia alicuius rationis eius, qua cognita neque ipse actus physicus poneretur.

Tollitur voluntarium quando deficit ab actu unum alterumve ex triplici elemento essentiali voluntarii, nempe quod procedit a principio intrinseco, vel quod consequitur cognitionem finis formaliter qua talis, vel quod sit secundum inclinationem agentis.

Probatur. — *A*) Ignorantia invincibilis tollit voluntarium.

Arg. — Omne voluntarium est tale aut in se aut in causa; atqui actus procedens ex ignorantia invincibili neque unum neque alterum est: ergo non est voluntarius.

Ad Min. — *a*) Non in se, quia non in se seu in integra sua ratione praecognoscitur; ille enim adaequatus actus qui de facto ponitur non est idem ipse actus qui praecognoscitur; neque in se secundum inclinationem agentis est, siquidem in ignotum nulla inclinatio; immo est interpretative contra inclinationis agentis, utpote in supposito, agens non poneret (seu inclinaretur contra) ipsum, si cognosceret.

*b*) Non in causa, quia causa eius, ignorantia nempe, ipsa non est voluntaria: etenim voluntaria non est ignorantia physice invincibilis, quia illa ignorantia non procedit etiam indirecte ab agente, sed a causis quas superare nequit; neque ignorantia moraliter invincibilis, quia, licet absolute loquendo dici potest indirecte procedere ab agente, non tamen procedit in se secundum inclinationem agentis, siquidem illud nequeat dici procedere secundum inclinationem agentis, quod removere conatur omni diligentia moraliter proportionata ad illud removendum. Neque dici potest illa ignorantia procedere secundum inclinationem agentis in causa sua, nempe in omissione diligentiae supra moralem proportionem, etenim omissio haec, siquidem inquisitio quae omittitur non necessario, si adhiberetur, produceret cognitionem, non est causa per se sed per accidens illius ignorantiae, et quum desit obligatio exercendi diligentiam supra moralem proportionem, effectus per accidens (ignorantia viz.) nequit dici secundum inclinationem agentis.

Probatur. — *B*) Vincibilis ignorantia non tollit voluntarium.

Arg. — Ille actus voluntarius est qui est effectus

per accidens causae voluntariae, praecognitus saltem virtualiter, adstante praecepto contra positionem causae praecise ne effectus ille sequatur; atqui verificantur hae conditiones de actu qui fit ex ignorantia vincibili: ergo actus qui fit ex ignorantia vincibili est voluntarius.

Ad Mai. — Haec enim sunt elementa sufficientia ad habendum voluntarium in causa.

Ad Min. — *a*) Actus ille est effectus ignorantiae, quia ex illa fit.

*b*) Ignorantia vincibilis est aut affectata aut non-affectata: si prior, est voluntaria in se; si posterior, est voluntaria in causa.

*c*) Virtualiter saltem praecognitus, quia si agens non praesciret saltem effectus in genere possibiles, quorum unus aut alter sit evitandus, non teneretur ex prudentia diligenter inquirere ultra, uti supponitur teneri in casu:

*d*) Nam adstat praeceptum prudentiae ut diligens fiat inquisitio ad removendam ignorantiam praecise ne effectus aliquis inter possibiles talis sit et sequatur qualis prudens homo non vellet sequi: haec enim est sola ratio cur prudentiores homines exigerent ex agente diligentem inquisitionem.

*Corollarium.* Ignorantia invincibilis demit etiam liberum, quum dempto voluntario, actus nequeat esse liber.

*Scholion 1.* Ignorantia vincibilis non tollit liberum, quum actus ex tali ignorantia procedens est voluntarius effectus causae libere positae, qualis est ignorantia habita per liberam omissionem inquisitionis, sive affectatae sive non. Minuit autem voluntarium, et eo usque liberum, quia actus sine ignorantia est voluntarius in se, actus ex ignorantia voluntarius in causa, hic vero minus voluntarius quam ille, quia cognitio et inclinatio agentis sunt tantum

virtuales in hoc, dum sunt formales in illo. Item minus voluntarius est actus ex ignorantia non-affectata quam ex affectata, quia magis remota est causa in se volita. Demum actus ex simplici ignorantia est minus voluntaria quam actus ex crassa, quia minus secundum inclinationem agentis in illo qui facit aliquem conatum ignorantiam depellendi quam in illo qui nullum vel fere nullum facit.

*Scholion 2.* D. Thomas dividit ignorantiam in antecedentem (causaliter nempe independentem ab omni actu voluntatis) cuius actus est involuntarius, consequentem (i. e. dependentem pro sua existentia de actu voluntatis) cuius actus proinde est voluntarius, et concomitantem, illam scilicet ex qua actus non ita fit ut dempta ignorantia non poneretur, quatenus ita est voluntas disposita ut poneret actum etiamsi cognosceret, licet hic et nunc ponit eam in ignorantia: hic ultimus actus nequit dici involuntarius quia non est contra inclinationem agentis, debet autem dici non-voluntarius, siquidem non est voluntaria in se, quia ignotus, neque in ignorantia tanquam in causa, quia ignorantia concomitans non est causa actus, neque est voluntaria; ita homo occidens inimicum, censens ipsum esse feram, quem tamen occidisset si cognovisset ipsum fuisse in loco ferae.

Addit etiam Angelicus interdum ignorantiam voluntariam haberi non per omissionem inquisitions requisitae, sed per positivum actum quo homo se privat usu rationis, ut in casu sese inebriantis. Huiusmodi ignorantia quam nuncupat voluntariam per accidens, non tollit voluntarium, quia ipsa est voluntaria; minuit autem, siquidem actus qui ex ipsa ponitur voluntarius est in causa et non in se. Unde, ut dicit S. Thomas, talis ignorantia excusat actum non a toto sed a tanto.

*Scholion 3.* Actus procedens ex ignorantia invincibili non tantum non est voluntarius sed etiam est involuntarius, siquidem procedat contra inclinationem agentis tum in ignorantia physice invincibilis tum in casu vincibilis moraliter.

Ad Difficultates Solvendas notanda sunt:

1. Actus materialis qui ponitur non ignoratur, sed actus formalis, secundum nempe illam formalitatem de qua quaestio voluntarii est, ignoratur: prior est voluntarius, posterior autem non necessario talis.

2. Actus in quaestione est actus qui non poneretur nisi agens ignoraret illam formalitatem.

3. Imputabilitas demitur tantum in casu ignorantiae invincibilis, licet forte minuatur culpa in casu ignorantiae vincibilis propter diminutionem voluntarii et liberi.

4. Error qui adest in peccato est ignorantia vincibilis.

**THESIS II. — Concupiscentia neque consequens neque, per se loquendo, antecedens tollit voluntarium in actu qui ex ea fit.**

Cf. D. Thom. 1, 2, q. 6, a. 7; Suarez, op. cit., disp. 3, sect. 4; Ferretti, Thes. XVII.

*St. Qu.* — Passio in ethica est motus appetitus sensitivi: si bonum sensibile nullam praestat specialem difficultatem in sua adeptione, neque malum in effugio suo, passio respectu utriusque dicitur concupiscibilis; quod si adsit talis difficultas, denominatur passio irascibilis. Passiones concupiscibiles sunt amor sensitivus, qui est mera complacentia appetitus in bono sensibili; desiderium, quod est tendentia appetitus in bonum sensibile absentis; vo-

luptas, quae est fruitio boni sensibilis praesentis; odium, quod est displicentia appetitus respectu mali sensibilis; horror, qui est fuga appetitus a malo sensibili; et dolor, qui est inquies appetitus sub malo sensibili praesenti: irascibiles sunt spes, quae est tendentia appetitus ad bonum sensibile adeptu arduum sed possibile; audacia, quae est tendentia appetitus ad superandum malum sensibile vitatu difficile; desperatio, quae est dolorosa cessatio tendentiae versus bonum sensibile apprehensum ut adeptu impossibile; timor, qui est dolorosa trepidatio appetitus circa malum sensibile imminens, apprehensum ut vitatu vel superatu difficile; et ira quae est resistentia appetitus contra malum sensibile praesens et remotu difficile.

Concupiscentia sensu specifico est desiderium sensibile; sensu generico applicatur omni passioni prosecutivae boni. In thesi agitur de concupiscentia explicite sensu specifico, sed implicite etiam sensu generico, et proinde thesis applicatur non tantum desiderio sensibili, sed etiam amori sensitivo, voluptati et spei: immo in quantum audacia et ira dicunt motum positivum contra malum etiam his applicatur.

Concupiscentia consequens ea est quae causatur actu ipsius voluntatis, sive directe per imperium sive indirecte per redundantiam voluntatis, quatenus intensitas appetitionis rationalis in humano composito excitat actum appetitus sensibilis versus idem obiectum.

Concupiscentia antecedens ea est quae excitatur proprio suo obiecto sensibili sine influxu causali voluntatis in appetitum sensibilem excitandum.

Actus qui ex concupiscentia fit est actus, quo homo tendit in obiectum sensibile, sub influxu causali (saltem partiali) ipsius appetitionis sensibilis. Non est igitur actus elicitus ipsius facultatis appetitivae sensibilis, siquidem

hic actus elicitus sit id quod intendimus per ipsam concupiscentiam, sed est actus imperatus aut motus in existentiam influxu prioris actus eliciti qui est ipsa concupiscentia. Actus ideoque, de quo agitur in thesi, est effectus (saltem partialis) concupiscentiae, et in quantum talis, quum sit imperatus, est eius effectus per se immediatus. Quaeritur in thesi utrum voluntas etiam influat in talem actum eo usque ut actus iure declaretur voluntarius.

Per se loquendo. Ex experientia scimus concupiscentiam interdum esse tam violentam ut demat usum rationis aut rapiat hominem in actum priusquam intellectus sibi efformet intellectualem conceptum obiecti sensibilis secundum rationes boni aut mali. Hoc autem fit per accidens: per se enim, data sensibili perceptione obiecti, intellectus ex necessitate naturali efformat sibi speciem intellectualem eiusdem obiecti et quidem secundum formalem rationem boni si obiectum sensibiliter iam percipitur secundum materialem rationem boni. *Per se igitur loquendo* excluditur accidentalis casus et consideratur actus concupiscentiae secundum ea quae connaturaliter consequuntur.

Tollitur voluntarium si demitur unum aut alterum ex triplici elemento voluntarii, nempe quod actus procedat ex voluntate, cum cognitione finis formalis et secundum inclinationem agentis.

Probatur A. Concupiscentiae consequens non tollit voluntarium.

Arg. Actus qui est effectus per se immediatus causae voluntariae et simul intellectualiter praecognitus est ipse voluntarius; atqui actus qui fit ex concupiscentia consequente talis est: ergo est voluntarius.

Ad Mai. — Illae enim conditiones sufficiunt pro voluntario in causa.

Ad Min. — *a*) Est effectus per se concupiscentiae, uti supra ostensum fuit in statu quaestionis.

*b*) Est intellectualiter praecognitus, quia ex experientia homo intelligit concupiscentiam per se tendere per suum imperium producere illum actum qui ex illa fit.

*c*) Ipsa concupiscentia consequens est voluntaria:

*a'*) in se, si producitur ex imperio voluntatis, ut per se patet;

*b'*) in causa, si redundat ex intensitatis voluntatis, quia ita redundans est effectus per se et proximus volitionis intensioris, et praecognitus ex experientia volentis tanquam connaturalis effectus talis.

Probatur B. Concupiscentia antecedens non tollit voluntarium.

Arg. Ille actus voluntarius est qui procedit ex voluntate cum cognitione ipsius intellectuali et secundum inclinationem voluntatis; atqui actus qui fit ex concupiscentia antecedente est, per se loquendo, talis: ergo est voluntarius.

Ad Mai. — Haec enim sunt elementa sufficientia ad constituendum voluntarium.

Ad Min. — Intellectualiter praecognitus, quia agens necessario movetur ad cognitionem intellectualem illius actus quem concupiscentia incipit imperare, extra casum surreptionis subitae aut extremae passionis, seu per se loquendo. Procedit ex voluntate et quidem secundum eius inclinationem, quia homo cognoscens intellectu rationem boni sensibilis in illo actu aut per illum obtinendi, et simul conscius de sua concupiscentia tendente ad imperium illius actus, concipi potest habere suam voluntatem dispositam ad illum actum tripliciter tantum; aut reluctatur voluntas contra illum actum edendum, in quo supposito actus non fit, quia contra voluntatem per se loquendo imperium concupiscentiae respectu

alterius actus est inefficax, et ita sumus extra quaestionem; aut positive se determinat ad ipsum actum imperandum, in quo casu, uti per se constat, actus procedit, ex voluntate directe secundum eius inclinationem; aut negative se continet, non obstando productioni actus, in quo casu indirecte procedit ex voluntate secundum eius inclinationem, siquidem voluntas est domina actuum aliarum facultatum, quae quidem, habita praecognitione intellectuali, per se loquendo non prodeunt in actum nisi consentiente voluntate saltem indirecte.

*Coroll.* Ex probatione secundae partis thesis constat omnem actum qui procedit ex homine per imperium cum cognitione intellectuali eiusdem esse voluntarium et procedere non tantum ex principio intrinseco quatenus ex imperio inferioris appetitus, sed etiam ex intrinseco principio appetitivo rationali et quidem secundum eius inclinationem.

*Scholion 1.* Pariter concupiscentia consequens et per se loquendo antecedens non tollit liberum; prima quia ipsa est libera, et effectus per se causae liberae est ipsa libera; altera, quia, manente usu rationis, intellectus apprehendit simul rationem boni et mali in actu ponendo et proinde retinet suam indifferentiam activam, quod insuper confirmatur ex experientia.

*Scholion 2.* Attamen concupiscentia antecedens minuit liberum, siquidem cum actu concupiscendi augetur et urgetur ratio boni sensibilis praestiti intellectui quem etiam subtrahit simul a consideratione mali; unde minuitur indifferentia voluntatis: non vero simpliciter minuit voluntarium, quia licet reddat aliquomodo imperfectam apprehensionem finis qua talis, non minuit rationem principii intrinseci (influit enim mediante intellectu) et potius auget intensitatem inclinationis etiam rationalis in agente

per talem influxum. (Ita SUAREZ, loc. cit., sect. 3, contra Conrad.).

N. B. Ubi D. Thomas loquitur de minutione voluntarii ex concupiscentia antecedenti adhibet « voluntarium », uti saepius, tanquam synonymum cum libero.

*Scholion 3.* Concupiscentia consequens minuit neque voluntarium neque liberum, quia tota sua causalitas est ipsa voluntaria et libera.

**THESIS III. — Actus qui ex gravi metu fit, per se loquendo, est simpliciter voluntarius, regulariter autem est involuntarius secundum quid.**

Cf. D. Thom. 1, 2, q. 6, a. 6; Suarez, op. cit. d. 3, sect. 1 et 2; Ferretti, Thes. XVIII.

*St. Qu.* — Metus in specie est trepidatio animae sensitivae ob imminens aliquod sensibile malum vitatu difficile.

Metus in genere est fuga appetitus sensitivi a malo; hoc sensu sumitur in thesi et extenditur ad passiones odii, horroris et doloris, desperationis et metus specifici.

Huiusmodi metus est aut levis, trepidatio nempe minoris momenti, qualem nempe homines negligant et quae non sufficiat ad ipsos movendum ad actionem; aut gravis, vehemens scilicet trepidatio, quae satis communiter est efficax motivum actionis. Gravis autem metus ipse duplex est: aut extremus, qualis excludat usum rationis in agente, sive quia subito arripiat ipsum in actionem, instante inadvertentia intellectuali, sive causet ingentem turbationem phantasiae et per hanc etiam intellectus; aut simpliciter gravis, qualis, licet vehemens, non tamen demat usum

rationis. Quum metus nonnisi per accidens excludat usum rationis, casus metus extremi excluditur a thesi per verba « per se loquendo ». Metus simpliciter gravis potest esse absolute talis, i. e. qualis videlicet esset vehemens etiam in homine ceteroquin forti, aut respective talis, si vehemens in agente propter infirmiorem conditionem eius, sicut in muliere aut in homine timido: uterque includitur in thesi. Causa metus in homine potest esse intrinseca homini, aut extrinseca, et quidem vel naturalis et necessaria, aut libera: quod si libere ab alio iniicitur, hoc fieri potest vel iuste vel iniuste. Diversitas causae nihil facit ad rem in thesi.

Actus qui ex metu fit est actus cuius metus est causa eo quod sit motivum efficax illius: huiusmodi metus dicitur causalis seu antecedens et distinguitur a metu consequens qui nempe causatur ab ipso actu de quo agitur, et a concomitante, qui licet non causetur ab ipso actu neque causaliter influat in ipsum actum, tamen simul cum actu praesens est in agente. Actus potest procedere ex pluribus simul motivis, quorum unum est metus, aut de solo motivo metus; de hoc altero casu disputamus in thesi, siquidem velimus videre praecisum effectum ipsius metus in rationem voluntarii. Actus prior ex multiplici motivo, dum sit voluntarius simpliciter in quantum respiciat quemlibet influxum metus, erit secundum rationem huius influxus praecisive considerati etiam involuntarius secundum quid.

Voluntarius simpliciter est ille actus cui voluntas praestat consensum efficacem; quod si sit simul involuntarius secundum quid, non est voluntarius simpliciter purum sed mixtum, qualis in casu nostro.

Involuntarius secundum quid est ille actus, cui licet

voluntas praestet efficacem consensum, retinet tamen contrariam inclinationem inefficacem.

Regulariter, id est in ordinario casu in quo homines agunt ex solo metu: ordinarie autem, si homo ex metu solo agat, actus positus ex sese est odibilis aut contrarium eius amabile, et insuper homo ordinarie resistit cessioni electionis suae liberae ob extrinsecum motivum metus: haec constant ex experientia. Excluditur igitur a thesi casus in quo agens nequit efficaciter evitare malum quod metuit nisi simul exuat se omni affectu in contrarium actus positi (et ita etiam apprehendit rem esse), sicut accidit nolenti peccatum grave ex metu inferni: nam in hoc casu contrarium non est ex sese amabile (siquidem per se et essentialiter connexum cum malo quod agens vult efficaciter evitare) neque resistit agens huic cessioni electionis suae liberae.

Probatur A. — Arg. — Id quod procedit ex principio intrinseco cum cognitione finis formaliter ut talis secundum efficacem inclinationem agentis est voluntarium simpliciter; atqui actus qui ex solo metu gravi fit, ita per se loquendo procedit: ergo est voluntarius simpliciter.

Ad Min. — Ex principio intrinseco quia ab homine sese movente, malum enim quod metuitur influit nonnisi ex eo quod percipitur ab agente qui deinde se movet; cum cognitione finis formaliter ut talis, quia per se loquendo non demitur usus rationis, et in homine usum rationis habente perceptio intellectualis necessario sequitur perceptionem sensibilem mali sensibilis; secundum efficacem inclinationem agentis, quia de facto ponitur ex praevalenti desiderio evitandi illud malum.

Probatur B. — Arg. — Illud est involuntarium secundum quid quod, licet fiat, fit tamen manente in voluntate agentis propensione inefficaci in contrarium; atqui actus

qui ex solo metu gravi fit regulariter fit manente in voluntate agentis propensione inefficaci in contrarium: ergo est involuntarius secundum quid.

Ad Min. — Manet in voluntate propensio, licet inefficax, contra id in quo faciendo voluntas habet aliquam displicentiam; cui facto homines, si malum sit, admittunt aliquam excusationem malitiae; quod faciendum est aliquomodo odibile, quia agens debet cedere suam liberam electionem non praecise ad obtinendum aliquid in se desideratum, sed ad evitandum aliquid odibile, malum nempe quod metuitur: atqui regulariter agens ex solo metu aliquam displicentiam sentit de actione ponenda; cui actioni, si malae, homines regulariter tribuunt aliquam excusationem; et in tali actione homo semper cedit suam liberam electionem non propter aliquid desiderabile in actu sed ad evitandum malum quod metuitur: ergo talis actus est secundum quid involuntarium.

Ad Mai. — Tristitia est signum nolitionis; excusatio datur propter rationem propensionis contrariae; et versus id quod concipitur ut odibile, manet contraria voluntatis propensio.

*Scholion 1.* Dicimus actum qui fiat ex concupiscentia non esse involuntarium secundum quid, quia regulariter non comitatur ipsum tristitia, neque homines communiter excusant ipsum, neque voluntas praestat eamdem reluctantiam in prosequendo sub influxu concupiscentiae obiectum ex sese amabile, quam ex experientia sentimus ponendo actum sub metu mali.

*Scholion* 2. Metus regulariter minuit liberum, quia manente inclinatione in contrarium voluntas minus indifferenter agit; attamen non tollit liberum ut scimus tum ex experientia tum ex facto quod homines non excusant huiusmodi actum malum, et ex eo quod, manente

usu rationis, agens potest videre rationem bonam in non-agendo vel in agendo contrarium, quod sufficit ad rationem liberi in actu ceteroquin voluntarii simpliciter.

*Ad Diff.* — 1. Actus ex metu non est ex principio extrinseco quia ipse metus non est physica causa actus sed influit intentionaliter in voluntatem quae est causa physica.

2. Neque movet metus hominem tanquam merum instrumentum physicum sed tantum instrumentum intentionale, et proinde non necessitat.

3. Contractus factus ex gravi metu procedente ex causa extrinseca, libera et iniusta est irritus aut potius rescindibilis propter iniuriam illatam, et non quasi non esset voluntarie factus: unde contractus factus ex metu procedente ex causa intrinseca, aut ex causa extrinseca sive necessaria, sive libera sed iusta, validus manet.

4. Actus ex gravi metu positus contra leges *aliquas* affirmativas et positivas est inculpabilis quia iure censetur legislator non urgere legem in istiusmodi adiunctis, et non quasi deficeret voluntarium: nam culpabilis reputatur talis actus positus contra negativa praecepta tum legis naturalis tum divino-positivae et interdum actus contra legem affirmativam etiam humanam.

5. Quando dicitur sicut metus displicet voluntati, etiam concupiscentiam displicere voluntati in homine cordato et tamen non facere involuntarium; notandum est metum, cui cedimus, nobis regulariter displicere; concupiscentiam, cui cedimus, non regulariter: factum scimus ex experientia, sicuti scimus agentes ex metu non manifestare perseverantiam. Ratio differentiae videtur esse in eo quod metus cum suo obiecto sensibiliter malo ipse induat rationem mali pro voluntate humana, concupiscentia autem

cum suo obiecto sensibiliter bono non praestat ipsa eamdem rationem mali.

6. Metus et concupiscentia sunt contraria, sed non eadem volitio contrariorum, sicut eadem scientia; nam scibilia contraria consentiunt in eadem formali ratione cognoscibilitatis, et insuper intellectus necessitatur quodammodo ad cognoscendum unum ex alio; contraria respectu voluntatis, bonum nempe et malum, non consentiunt in eadem ratione appetibilitatis, unde ex eo quod concupiscentia placeat voluntati, non sequitur ut metus debeat placere: et insuper etiamsi consentirent in eadem ratione boni, voluntas libera est ad complacendum in uno et non in altero.

**THESIS IV. — Actus qui est proprie et simpliciter coactus est omnino involuntarius.**

Cf. D. Thom. 1, 2, q. 6, aa. 4 et 5; Suarez, op. cit. d. 2, sect. 6; Ferretti, Thes. XIX.

*St. Qu.* — Thesis per se constat, explicatis terminis.

Coactum est id quod procedit ex principio extrinseco. Actus proprie coactus est ille qui procedit in homine ex principio extrinseco, voluntate simul renitente; simpliciter coactus est, si voluntas renititur quantum physice potest.

Involuntarius est ille actus, qui, procedens in homine cum cognitione finis formaliter ut talis, est tamen contra inclinationem agentis. Omnino involuntarius est, si ita est contra inclinationem agentis, ut nulla maneat in ipso inclinatio ad illum ponendum.

Non agitur de actibus elicitis voluntatis, siquidem tales sunt ex natura sua intrinseci totaliter voluntati et proinde

excludunt omnem rationem principii extrinseci seu coactionis: sed movetur quaestio de iis actibus qui subiiciuntur in homine imperio suae voluntatis, in quos certe potest influere principium ab extra.

Probatur. — Actus ille est omnino voluntarius qui procedit in homine ita contra inclinationem voluntatis, ut nulla maneat in agente inclinatio ad actum ponendum; atqui actus proprie et simpliciter coactus ita procedit contra inclinationem voluntatis: ergo est omnino involuntarius.

Ad Min. — Non enim simpliciter coactus est nisi voluntas renitatur quantum physice potest.

*Scholion 1.* Actus improprie coactus, aut secundum quid coactus, est voluntarius si agens tenetur resistere quantum potest; indirecte quidem quia per omissionem suae resistentiae; et in causa, quia actus ille est effectus per accidens eiusdem omissionis in adiunctis ubi tenetur agens non principiare illam omissionem praecise ut actus ille impediatur. Quod si agens non tenetur resistere, saltem ultra actualem suam resistentiam, actus ille non est voluntarius; non quidem in se, quia actus ille non immediate terminat voluntatem; non in alio directe, quia voluntas non positive influit in productionem illius, neque indirecte, quia actus ille est effectus tantum per accidens omissionis resistentiae, quae ceteroquin in casu non obligatione requiritur. Notandum est agens saepius non teneri resistere quantum potest, ex eo quod absoluta et continua resistentia esset prorsus inutilis et forsan provocativa maiorum malorum, dummodo quaestio sit de materia in qua est minus periculum consensus voluntatis.

*Scholion 2.* Habitus productus ex liberis actibus non tollit voluntarium neque liberum, quia, siquidem habitus ipse sit voluntarius et liber, eius influxus in productio-

nem actus secum trahit rationem voluntarii et liberi in causa. Habitus autem auget voluntarium in quantum ad intensitatem volitionis, quia homo sub habitu movet se maiori impetu in actum. Attamen habitus minuit liberum in actu hic et nunc considerato cum praecisione a praeterito influxu voluntarii et liberi in productione habitus, siquidem hic et nunc per habitum magis inclinatur voluntas ad actum et ita minor est eius indifferentia; in actu autem adaequate considerato habitus non minuit liberum, quum habitus influens sit voluntarie et libere productus: de actu adaequate considerato praedicatur moralitas. In casu in quo homo per resipiscentiam repudiat ea omnia quae produxerit habitum, probabile est habitum minuere liberum in actibus subsequentibus, utpote resipiscentia reiicit id quod est liberum in habitu influente.

**THESIS V. — Actus humanus imputabilis est libero agenti, cuius actus est.**

Cf. D. Thom. 1, 2, q. 21, a. 2; Ferretti, Thes. XXX.

*St. Qu.* — Imputabilitas est in actu humano exigentia ut moraliter attribuatur personae alicui determinatae. In actu humano, quia de solo actu humano proprie et primario praedicatur moralitas quae attribuitur; personae, quia actiones sunt suppositorum, et actus humanus est solius suppositi rationalis seu personae; determinatae personae, quia determinati actus dari debet determinata causa. Attributio actus est iudicii assignantis actum suae causae; physica erit si assignat actum secundum entitatem physicam suae causae, moralis si assignat actum secundum rationem moralem, quae in ipso est, sive bonam, sive malam, suae causae. Exigentia est fundamentum ne-

cessitatis; attributio physica habet suam exigentiam in veritate obiectiva; attributio autem moralis habet insuper exigentiam in iustitia qua tribuitur cuique suum.

Actus igitur imputabilis est actus in quo est fundamentum necessitatis ex veritate et iustitia ut assignetur secundum suam rationem moralem alicui personae determinatae. In thesi dicimus hanc personam esse agentem cuius actus est, quia volumus supponere attributionem physicam, et additur liber agens ut indicetur formalis ratio propter quam actus secundum suam moralitatem et omnes consequentias moralitatis huic agenti assignatur.

Probandum est: — actus humanus, bonus aut malus, exigit ex iustitia attribui secundum suam rationem moralem agenti, cuius actus est, praecise quia liber est agens in productione eius.

Arg. — Actus humanus exigit ex iustitia attribui secundum moralitatem suam domino suo; atqui agens, praecise quia liber est, dominus est actus humani quem producit: ergo actus humanus ex iustitia exigit attribui secundum suam moralitatem libero agenti cuius actus est.

Ad Mai. — Iustitia enim necessitat ut omnia tribuantur domino suo.

Ad Min. — Dominium actus consistit in potestate aut ponendi illum aut non ponendi; atqui homo praecise quia liber est potestatem habet aut ponendi aut non ponendi actum humanum et quidem formaliter qua moralem. Revera ratio cur Deus dederit dominium homini super actus suos est praecise ut ponat actus moraliter bonos, et non ponat actus moraliter malos.

Confirmatur ex constanti, universali et unanimi testimonio hominum, qui attribuunt actus secundum suam

moralitatem agenti nonnisi quia et in quantum libere eos produxerit.

*Scholion 1.* Ob hanc rationem imputabilitatis homo denominatur ipse moraliter bonus aut malus secundum suos actus moraliter bonos aut malos.

*Scholion 2.* Quum imputabilitas habet ut suum fundamentum rationem liberi in actu, causae quae modificant rationem voluntarii et liberi in actu modificant pariter imputabilitatem actus.

*Scholion 3.* Actus alterius est homini imputabilis in quantum per voluntariam et liberam suam cooperationem fecerit actum illum suum, siquidem fundamentum imputabilitatis sit eius influxus liber in productionem actus. Novem modis potest aliquis cooperari in actum alterius, videlicet mandando, consentiendo (si tamen necessarius sit hic consensus ad actum alterius), participando de fructibus illius actus, protegendo agentem, eius instrumenta aut fructus actionis, consiliando, alliciendo, non impediendo, non dissuadendo, non manifestando quando impedire, dissuadere aut manifestare tenetur.

**THESIS VI. — Actus humanus capax est meriti vel demeriti apud homines et apud Deum.**

Cf. D. Thom. 1, 2, q. 21, aa. 3 et 4; Ferretti, Thes. XXXI.

*St. Qu.* — Meritum in actu humano est exigentia retributionis praemii; demeritum exigentia retributionis poenae. Exigentia (moralis nempe) est in actu fundamentum necessitatis moralis vel tendentiae moralis quae cognata est necessitati; necessitas moralis est in homine obligatio et oritur ex lege; in Deo non est obligatio sed oritur ex determinatione suae naturae perfectissimae:

fundamentum necessitatis est in abstracto illud quo posito oritur necessitas et in concreto respectu meriti vel demeriti est in eo quod actus vergit in emolumentum vel detrimentum alterius. Exigentia est imperfecta si fundat non necessitatem sed tendentiam moralem procedentem ex mero consilio legis vel fundat necessitatem secundum aliquam aliam virtutem praeter iustitiam; haec ultima dicitur imperfecta quia fundamentum non ponit ius in ipso merente, licet sit forte obligatio in altero ad retribuendum: perfecta est exigentia si fundat veram necessitatem et secundum iustitiam. Praemium est bonum quod retribuitur ob emolumentum acceptum, poena malum retributum ob detrimentum passum.

Duplex est meritum, de congruo nempe et de condigno: prius est imperfecta exigentia; posterius est exigentia perfecta: agitur in thesi de merito de condigno.

Meritum de condigno definitur exigentia retributionis praemii ex necessitate secundum aliquem modum iustitiae. Iustitia obiectiva consummata habetur quando cuique iam tribuitur suum: iustitia implenda obiectiva est inter duos habitudo aequalitatis secundum debitum: de ratione huius sunt tria, alteritas nempe, aequalitas et debitum; debitum autem obiectivum est aliquid ab aliquo alteri tribuendum ex necessitate morali. Perfecta est haec iustitia si habeatur plena ratio alteritatis, quando nempe una persona non est moraliter pars alterius aut subdita eius iurisdictioni; plena ratio aequalitatis, scilicet tum inter personas ipsas et inter datum et debitum; plena ratio debiti, quatenus necessitas moralis est absoluta et non tantum hypothetica.

Inter homines intervenit iustitia tum perfecta tum imperfecta. Iustitiae igitur inter homines est triplex modus, iustitiae scilicet commutativae, distributivae et

legalis. Iustitia commutativa intervenit inter homines iuridice aequales et procedit secundum aequalitatem arithmeticam dati et debiti. Iustitia distributiva intervenit inter personam iuridice superiorem tanquam iuris subiectum (sicut princeps aut tota communitas) et personam inferiorem tanquam terminum, et procedit secundum aequalitatem geometricam, i. e. aequalitatem non inter datum et debitum sed inter rationem proportionalem unius dati ad suum debitum et rationem proportionalem alterius dati ad suum: ita princeps servat iustitiam distributivam si dans praemium mille nummorum pro uno servitio publico dat duo millia pro servitio publico momenti duplo maioris. Iustitia legalis intercedit inter personam iuridice inferiorem, v. g. civem, tanquam subiectum iuris et personam superiorem, e. c. principem aut communitatem, tanquam terminum. In thesi praedicatur meritum apud homines secundum triplicem illum modum iustitiae prout diversae sunt dignitates iuridicae duorum inter quos intercedit.

Iam vero inter hominem ut subiectum iuris et Deum ut terminum non intervenit iustitia perfecta sed tantum imperfecta: deficit enim plena ratio alteritatis, quia homo Dei creatura est, unde ipse et sua Dei sunt; datur autem sufficiens alteritas, quia homo est persona distincta quam Deus fecit sui iuris et cui iam concessit dominium sui et suorum: deficit item plena ratio aequalitatis, siquidem personae non sunt iuridice aequales, et in quaestione meriti praemium divinum multo maioris valoris est quam bonum Deo oblatum ab homine; facta est autem iuridica aequalitas inter datum et debitum ex largitione Dei sub conditione onerosa ab homine impleta: demum debitum inter homines est ex lege hominem obligante, sed in Deo debitum est ex necessitate suae naturae. Cum hac limi-

tatione iustitiae imperfectae praedicamus meritum hominis apud Deum tantummodo secundum iustitiam distributivam.

Praedicatur igitur meritum apud hominem et apud Deum non univoce sed analogice: identitas apparet in eo quod in utroque datur exigentia praemii secundum aliquem modum iustitiae; diversitas stat in hoc quod emolumentum inter homines potest esse aut bonum intrinsecum aut bonum extrinsecum, respectu Dei autem bonum oblatum ab homine est Deo extrinsecum; quod praemium dandum inter homines potest retribuens totaliter a sese alienare, Deus autem semper retinet necessario dominium supremum ipsius praemii et homini retribuit tantummodo dominium participatum et subordinatum praemii; inter homines demum meritum potest esse secundum modum iustitiae perfectae vel imperfectae, secundum iustitiam commutativam, distributivam aut legalem, apud Deum vero praedicatur meritum solummodo secundum iustitiam distributivam et imperfectam ut supra.

Conditiones meriti de condigno necessariae et sufficientes enumerantur quinque, quae quidem patiuntur modificationes analogiae quando verificantur apud Deum. Sunt:

1. Ut actus merentis sit liber, quia meritum consequitur imputabilitatem quae subaudit libertatem actus. Non obstat quod actus sit moraliter necessarius, nempe lege obligatus, tum quia sanctio praemii et poenae necessaria est ad integritatem legis, tum quia obedientia ad legem non removet factum quod emolumentum conferatur, quod emolumentum collatum mutat ordinem aequalitatis et consequenter est fundamentum iustitiae ut bonum retribuatur.

2. Ut actus merentis sit moraliter bonus, quia actus moraliter malus nequit fundare exigentiam moralem praemii, siquidem lex praemians malum morale esset lex nulla, neque potest natura Dei perfectissima necessitare praemiationem actus mali. Actus moraliter malus potius fundat exigentiam poenae et ita induit rationem demeriti.

3. Ut merentis actus qua imputabilis conferat bonum alteri, quia nisi ponitur emolumentum alterius non mutatur ordo aequalitatis inter duos ita ut fundetur exigentia retributionis ad aequalitatem restaurandam. Ad hanc conditionem sufficit collatio boni extrinseci et insuper sufficit ut bonum collatum fuerit sub dominio participato tribuentis, neque obstat quod sit ex natura sua, independenter a collatione sub dominio absoluto illius cui offertur: ratio est quia conferens bonum etiam extrinsecum ex suo dominio participato personae alteri, sub cuius dominio absoluto iam est, vere agit in emolumentum alterius et mutat ordinem aequalitatis prout stabilitum ab eo qui dominium absolutum habet.

4. Ut actus merentis sit a remuneratore acceptatus ad praemium, quia non mutatur formaliter ordo aequalitatis nisi bonum illud fiat proprie alterius, quod non fit sine acceptatione, et quod cum conditione retributionis non fit proprie eius nisi acceptatur cum illa conditione: insuper actus unius qui non habet auctoritatem super alterum non potest causare moralem necessitatem seu obligationem super voluntatem alterius nisi huius consensu. Duplex autem est possibilis acceptatio, formalis et explicita, aut virtualis et implicita: formalis et explicita habetur ex pacto aut promissione ob conditionem onerosam facta et signo formali manifestata; virtualis et implicita habetur quando alter ponit aliquam actionem vi cuius merens inducitur cum spe praemii ponere suum

actum in emolumentum alterius. De hominibus utraque acceptatio verificari potest, de Deo autem in ordine naturali praedicamus tantum acceptationem virtualem, et quidem cum implicita promissione libere facta sed cum conditione onerosa: per hanc virtualem et implicitam acceptationem asserimus Deum acceptare *ad praemium* actus hominis eorumque emolumentum, licet ex ipsius Dei supremo dominio iam ad ipsum pertineant.

5. Ut actus merentis non sit iam praemiatus per anticipationem, i. e. per praemium libere acceptatum cum conditione onerosa, quia si esset iam praemiatus emolumentum ex actu merentis tantum redintegrat ordinem aequalitatis et ponit nullum novum fundamentum exigentiae. Non autem obstat rationi meriti quod actus iam debetur simul cum suo emolumento alteri ex alio titulo, dummodo non sit debitus propter praemium iam solutum.

Conditiones demeriti sunt, ut actus demerentis sit liber, sit moraliter malus, sit vergens in detrimentum alterius, ut detrimentum illatum non sit iuste inflictum ob damnum aut iniuriam quam agens iam ab altero suscepit: rationes harum conditionum sunt similes illis supra datis de merito. Non requiritur conditio quod actus demerentis sit acceptatus ad poenam, quia verum detrimentum alterius ex natura sua detrahit aliquod bonum quod est alterius et ita per sese necessario turbat ordinem aequalitatis et fundat exigentiam retributionis poenae. Poena demeriti communiter applicanda est non ab individuo sed ab auctoritate publica ad evitandum necessarium periculum turbationis ordinis publici in applicatione individuali: quod si in applicatione auctoritativa interdum videtur poena inflicta esse maior malo facto a demerente, recolendum est iudicem considerare debere etiam detrimen-

tum factum simul ipsi communitati, et sanctionem legis medicinalem haud raro debere esse ultra mensuram mali actualiter patrati a demerente.

Capax meriti aut demeriti est ille actus de quo verificari possunt ea quae necessaria et sufficientia sunt ad constituendam in ipso rationem meriti aut demeriti.

Arg. — Ut actus humanus sit capax meriti aut demeriti sufficit ut de ipso verificari possint supraedictae conditiones meriti aut demeriti; atqui de actu humano verificari possunt tum apud homines tum apud Deum: ergo actus humanus capax est meriti aut demeriti tum apud homines tum apud Deum.

Ad Mai. — Supra in statu quaestionis dantur rationes cur enumeratae conditiones requisitae sint: hic probandum tantum est easdem esse sufficientes. Iam vero, posito actu libero, moraliter bono aut malo, afferente alteri emolumentum aut detrimentum, et non praemiato aut punito per anticipationem (et insuper, in materia emolumenti, acceptato ab altero ad praemium), oritur secundum aliquem modum iustitiae necessitas moralis aut praemiandi aut puniendi illum actum; nam posito illo actu turbatur ordo aequalitatis iustitiae, quo turbato oritur moralis necessitas ut restituatur per retributionem praemii aut poenae: atqui ille actus quo posito oritur talis necessitas fundat necessitatem ex condigno seu habet rationem meriti aut demeriti de condigno.

Ad Min. — Liber est actus humanus ex sua definitione; quod potest esse moraliter bonus aut malus et quod afferre potest emolumentum aut detrimentum tum intrinsecum tum extrinsecum apud homines constat ex experientia; quod potest dirigi etiam in honorem divinum, qui est bonum Dei extrinsecum, aeque patet: quod demum

potest acceptare apud homines sive formaliter sive virtualiter et quidem in adiunctis in quibus non sit per prius iam praemiatus aut punitus, consideranti vitam quotidianam hominum perspicuum est. Apud Deum vero quartam et quintam conditiones verificari probandum est. Ad quartam: in natura hominis Deus posuit (siquidem naturales sunt) eas tendentias quibus homo movetur ad ponendos actus suos moraliter bonos cum spe praemii; atqui qui ita facit virtualiter et implicite acceptat eos ad praemium; secus enim dicendus esset iuste posse decipere alterum, aut promisisse sine obligatione standi promissis et quidem sub conditione onerosa implenda promisisse sine obligatione iustitiae standi promissis, et ita per fraudem posse obtinere actum liberum alterius in emolumentum extrinsecum suum. Ergo Deus virtualiter et implicite acceptat eos ad praemium. Ad quintam: Deus, quamquam, intendendo obtinere ex homine bonos actus et gloriam suam, creavit eum eique legem respectu eorum imposuit, attamen vere posuit illos sub dominio hominis sine facta ab homine acceptatione libera et libere onerosa; atqui bonum per prius datum sine tali acceptatione nequit habere ratione praemii anticipati: ergo homo non accepit a Deo praemium anticipatum respectu actuum suorum bonorum. Ad poenam quod attinet repugnat iustitiae et divinae bonitati ut faciat malum homini prius quam homo reus mali sit.

*Ad Difficultates:* — 1. Meritum non habetur ex actu iam debito; atqui boni actus hominis iam debentur Deo: ergo.

R. Distinguendo maiorem, ex actu iam debito ex iustitia seu ob praemium iam libere acceptatum cum conditione onerosa, conceditur; debito ex lege aliqua vel

virtute praeter iustitiam, negatur. Contradistinguitur minor: debentur ex lege aliqua vel virtute praeter iustitiam, transeat; debentur ex iustitia seu ob praemium iam libere acceptatum cum conditione onerosa, negatur.

2. Merens apud alium facit hunc ipsi debitorem; atqui nequit Deus fieri debitor homini: ergo.

℟. Distinguitur maior: debitorem vel univoce ex lege aliqua vel analogice quatenus vere necessitatum non ex lege sed ex sua natura, conceditur; necessario debitorem ex lege, subdistinguitur merens apud homines, conceditur; apud Deum, negatur. Contradistinguitur minor: debitor ex lege concedo; secundum necessitatem ex sua natura, nego.

3. Actus qui profuit agenti et non alteri meritum non habet apud illum alterum; atqui bonus actus hominis ipsi prodest et non Deo: ergo.

℟. Distinguo maiorem: agenti soli, concedo; agenti etiam et alteri sive intrinsece sive extrinsece, nego. Contradistinguo minorem: homini soli, nego; homini etiam et Deo licet extrinsece, concedo.

4. Reddens alteri quod est alterius apud illum ex iustitia non meretur; atqui actus boni hominis iam sunt Dei: ergo.

℟. Quod alterius est secundum omnem respectum dominii concedo: quod alterius est in quantum ad dominium supremum, sed agentis est secundum dominium participatum, negatur. Contradistinguitur minor: iam Dei sunt secundum dominium supremum et agentis hominis secundum dominium participatum, concedo: Dei sunt secundum omnem respectum dominii, ita ut neque secundum dominium participatum sint hominis, negatur.

5. Qui dat aliquid alteri ut aliud det ipsi alter, non necessitatur ad alteram retributionem; atqui Deus dedit

homini omnia quae habet praecise ut homo ipsi reddet actus moraliter bonos: ergo.

R. D. Mai. Aliquid quod ab altero libere acceptatur cum conditione onerosa, concedo; secus, negatur. Contrad. min. Dedit homini qui libere acceptavit cum conditione onerosa, nego: dedit sine tali acceptatione, conceditur.

## CAPUT II.

## De Fundamentis Moralitatis.

### PROOEMIUM

#### DISTRIBUTIO MATERIAE.

Priusquam determinetur in quo praecise consistat moralitas, quae est formale obiectum Ethicae, opus est ut declaretur finis Dei Creantis et hominis creati, necnon lex ad finem ordinans huiusque replicatio in ratione humana; siquidem, ut videbimus, haec fundamenta determinationem illam ingrediantur. Moralitas enim specifica est perfectio proprie et primario actus humani qua talis: qui quidem ut actus rationalis respicere debet finem; ut actus hominis proprius ordinatur ad perfectionem hominis in adeptione sui finis; ut actus creaturae seu instrumenti Dei respectum includit ad ideam exemplarem adaequati finis Dei Creantis; ut actus instrumenti *liberi* voluntatem respicit Causae Principalis ordinantis; et demum ut actus supponens illius ideae exemplaris et voluntatis divinae cognitionem immediate connotat relationem ad replicationem earum in ratione humana.

## Articulus I.

### De Fine Dei Creantis.

**THESIS VII. — Finis « cui » ultimus Dei creantis est ipse Deus; finis autem ultimus « qui » est divina gloria externa.**

Cf. D. Th., 1, q. XLIV, a. 4: Ferretti, Th. I, II et III.

*St. Qu.* — Supponitur Deus existere, esse infinite perfectus et creasse quidquid praeter Ipsum existit.

Finis etymologice dicit limitem, id nempe in quo sistit actio: realiter est in genere id cuius gratia aliquid fit. In fine humanae actionis duplicem invenimus rationem, motivum nempe seu causam intentionalem actionis hominis, et terminum humanae voluntatis intendentis; itemque vidimus hominem agere vel ad acquirendum vel ad efficiendum aliquid. Respectu actionis divinae finis nequit esse causa sed est tantum terminus, neque potest actio illa esse ad acquirendum sed necessario est ad aliquid efficiendum. Analogice igitur praedicatur finis de Deo et de homine. Finis autem, licet nequeat dici causa divinae actionis, potest dici ratio eius sufficiens.

Finis operantis est ille quem agens rationale intendit actione vel opere suo efficere aut acquirere; finis autem operis est finis ad quem opus natura sua tendit, illum nempe ad quem efficiendum aut acquirendum naturam habet proportionatam et consequenter naturaliter tendentem. Agitur in thesi de fine operantis efficiendo, de termino nempe quem efficiendum Deus creando intendit.

Finis *cui* est subiectum cui intenditur bonum aliquod; finis *qui* est bonum illud quod subiecto illi intenditur. In humana actione, quando homo se tanquam finem *cui* intendit, potest intendere bonum sibi intrinsecum tanquam finem *qui* aut bonum sibi extrinsecum: in divina actione ad extra nequit Deus intendere bonum efficiendum sibi intrinsecum sed necessario intendit bonum aliquod extrinsecum; hoc intendit *sibi* quatenus intendit ipsum referendum esse ad se tanquam suum.

Finis ultimus in genere est ille qui propter se intenditur dum alia quaevis intenduntur propter illud; finis non-ultimus est ille quod non propter se sed propter aliud intenditur; hic proprie habet rationem medii. Finis simpliciter ultimus est ille qui ita propter se intenditur ut cetera omnia intenduntur propter illud. Agitur in thesi de fine simpliciter ultimo. Finis simpliciter ultimus *cui* est illud subiectum cui ita intenditur bonum aliquod ut non tribuatur ab illo subiecto cuivis alteri. Finis simpliciter ultimus *qui* est illud bonum quod propter se ipsum ita intenditur tribui aut referri fini simpliciter ultimo *cui,* ut cetera omnia, quae intenduntur ipsi, intendantur propter illud. Finis dicitur respective ultimus quando in aliqua serie finium est ultimus, dum tamen tota series sit propter ulteriorem: de hoc fine non est quaestio in praesenti thesi. Notandum est quod finis simpliciter ultimus *qui* non est medium respectu finis simpliciter ultimus *cui,* sed uterque simul integrat unum aliquem finem simpliciter ultimum: attamen finis *cui* habet aliquomodo ulteriorem rationem, siquidem connaturaliter prior est in intentione.

Gloria in genere est clara notitia cum laude. Claritas notitiae in definitione sonat eam notitiam esse magis minusve late divulgatam, vel saltem talis naturae ut de

se tendat ad talem divulgationem. Laus est amor excellentiae manifestativus: hinc etiam constat adesse tendentiam in laude ad divulgationem amoris. Adaequate igitur sumpta gloria communiter requirit divulgationem et proinde pluralitatem glorificantium: attamen gloria potest considerari prouti est in uno glorificante; sed in hoc erit talis naturae ut tendat ad divulgationem. De facto quum Deus creaverit plura entia et ex singulis intendit suam gloriam, habemus in gloria, quae est finis Creatoris, rationem actualis divulgationis.

Gloria externa est clara notitia cum laude quam alii habent de excellentia illius, cuius gloria est: interna, quam quis habet de sua propria excellentia. Huc usque declaravimus gloriam formalem; sed consideratur etiam gloria, quae dicitur obiectiva seu fundamentalis, quae est fundamentum gloriae formalis, excellentia nempe alicuius prout praestat rationem qua clare cognosci et manifestative amari possit. Agitur in thesi de gloria Dei externa, sed non limitatur quaestio ad formalem aut ad obiectivam, sed asseritur in genere aliquam suam glôriam externam sive formalem sive obiectivam esse finem operantis Creatoris ut talis, praecisione habita a specifica natura creaturarum: agitur ergo de aliqua manifestatione seu expressione perfectionis Dei infinitae per entia creata. Aliqui auctores tenent Deum non posse creando intendere solam obiectivam suam gloriam externam sed necessario intendere formalem et proinde non posse creare sola entia irrationalia, sed necessario simul creare, si creat quidpiam, entia rationalia: ab hac quaestione speculativa volumus hic praescindere; de facto enim creavit Deus utriusque generis creaturas, de quibus infra dicemus.

Praedicamus in thesi Deum Creatorem necessario intendere gloriam suam externam, quae tamen necessitas

est hypothetica antecedenter ad decretum creationis, et absoluta nonnisi consequenter ad illud decretum.

Probanda sunt: — *A*) Deus in quavis actione sua creativa necessario intendere se ipsum tanquam subiectum cui ultimatim referat tanquam suum illud bonum quod actione sua intendit efficere.

*B*) Bonum illud quod ultimatim Deus ita intendit efficere sibi referendum est sua gloria externa sive formalis sive saltem obiectiva; seu est manifestatio sive expressio divinae excellentiae in ente effecto.

Probatur A. — De Fine *Cui.*

Arg. Est in divina natura exigentia necessitatis ut Deus non subordinat se alteri; atqui agens propter alium praeter se ipsum tanquam simpliciter ultimum finem *cui* se alteri subordinat: ergo Deus sua actione necessario agit propter se tanquam finem simpliciter ultimum *cui.*

Ad Arg. Supponitur Deus, sicut omne ens, agere propter finem; insuper sapientiae suae repugnaret agere non propter finem aliquem et quidem simpliciter ultimum tum *cui* tum *qui:* in argumento nostro determinamus qualis necessario sit ille finis *cui.*

Ad Mai. — Divina natura est infinite bona et sapiens; repugnat autem sapientiae ordinare bonum infinitum alteri enti quod necessario esset bonum inferius, quum principium ordinationis sit ratio boni. Porro est etiam natura divina necessario independens; repugnat autem tali se facere dependentem ab alio, qualiter aliquomodo faceret agendo propter alium tanquam finem simpliciter ultimum *cui.*

Ad Min. — Etenim principium ordinis in actione invenitur in fine simpliciter ultimo *cui,* cui agens se disponit *quasi* medium.

Confirmatur. 1. Exigentia ut sit finis simpliciter ultimus *cui* suae actionis est in ente infinito perfectio simpliciter simplex; omnis autem talis necessario invenitur in Deo, ut demonstratur in Theodicea.

2. Absolutum primum Esse, quale Deus est, necessario est absolute primum in omni genere causae et rationis sufficientis etiam intentionalis; quodsi Deus non esset finis *cui* simpliciter ultimus suae actionis, non esset in genere causae intentionalis prima ratio sufficiens.

Probatur B. — De Fine *Qui.*

Arg. 1. Bonum quod Deus necessario intendit sibi ultimatim referendum ex actione sua est necessario bonum Deo extrinsecum et quidem non bonum qua sibi utile; atqui praeter utilitatem bonum extrinsecum non refert efficienti bonum nisi gloriam eius externam; ergo bonum quod Deus actione sua necessario intendit ultimatim referre sibi est sua gloria externa.

Ad Mai. — Bonum illud ita intentum est finis simpliciter ultimus *qui:* nequit esse bonum intrinsecum, quia infinitum nequit suscipere quidquam intrinsece; ergo est extrinsecum; demum bonum quod intenditur ob rationem utilem eo ipso non est bonum ultimum intentum.

Ad Min. — Constat considerando inter bona humana ea quae externa sunt, quae de facto — exclusa ratione utili — homini, cuius sunt, nihil boni referunt nisi eius gloriam externam: quod clarius adhuc patet quando quaestio est, sicuti in casu praesenti, de bono quod agens communicat alteri, ita tamen ut illud, dum maneat eius cui communicatur, sit communicanti ulterius referendum ut bonum ipsius.

Arg. 2. Illud bonum quod Deus actione sua creativa efficit est necessario ipsa sua excellentia communicata creaturis in similitudinem sui sive in assimilationem sibi;

atqui necessarius modus quo tale bonum refertur communicanti est quatenus est eius gloria externa; ergo bonum quod Deus intendit sibi actione sua creativa est sua gloria externa.

Ad Mai. — Omne efficiens efficit communicando aliquomodo suum esse; et insuper omne agens agit sibi simile. Insuper Deus nequit ad extra agere ad quidquam sibi acquirendum: ergo necessario agit ad aliquid de suis communicandum.

Ad Min. — Excellentia unius communicata alteri in similitudinem vel assimilationem communicantis est ex natura rei manifestatio seu expressio excellentiae communicantis.

*Corol. 1.* Thesis vera est, uti constat ex natura argumentorum, de omni activitate divina ad extra sive sit creativa sive conservativa sive concursiva in actionibus creaturarum, et proinde intenditur idem ille finis generícus efficiendus non tantum in ipsa entitate creata sed etiam in omni eius entitatis activitate exercita: omnia igitur, sive creaturae ipsae sive creaturarum actiones, sunt intenta ad ipsam gloriam divinam externam efficiendam.

*Corol. 2.* Omnis creatura est necessario instrumentum Dei ad gloriam suam externam efficiendam: activitas cuiusque creaturae est causalitas eius instrumentalis ad talem finem, et eius actiones sunt haec causalitas in actu secundo ad illum efficiendum.

*Scholion 1.* Ex proportione a Divino Opifice data naturae humanae constat finem ab homine efficiendum esse gloriam Dei formalem; ex natura data entibus irrationalibus patet finem ab ipsis efficiendum esse per se gloriam obiectivam: quum vero entia irrationalia in hoc mundo adspectabili proportionentur ad inserviendum

usibus humanis, clarum est eorum finem proximum esse inservire homini et proinde indirecte influere etiam ad formalem Dei gloriam efficiendam.

*Scholion 2.* Respectu hominis possumus distinguere vitam humanam, seu vitae humani compositi (vitam nempe hominis in terris) et vitam animae humanae perenniter superstitis, et proinde distinguere etiam finem huius vitae seu finem efficiendum ab homine in terris (gloriam quidem formalem Dei efficiendam hac in vita) qui tamen aliquomodo habet rationem ad ulteriorem finem, et finem ultimatim et determinato modo perenniter efficiendum in altera vita, seu determinatum gradum gloriae Dei formalis perpetuo reddendum in vita immortali: de utroque erit ulterior quaestio infra. Videbimus enim gloriam Dei formalem illam futuram constituere beatitudinem perfectam hominis, gloriam autem reddendam in his terris esse generice subiectam materiam officiorum hominis naturalium et rationem relative ultimam propter quam ipsi homini tribuuntur a Deo iura naturalia.

*Ad Difficultates* notanda sunt.

1. Finis *qui* debet esse bonum conferendum fini *cui*, sed non necessario bonum internum; sufficit aut internum aut externum: neque potiorem rationem finis *cui* habet ille cui ultimatim bonum internum confertur, si et ipse ordinatur ad alium rationem boni altioris habentem cui conferat bonum externum.

2. Non est inhonestum quaerere gloriam, nisi haec sit inordinata: suprema autem gloria Deo debetur, et proinde nulla mensura gloriae eius potest esse inordinata.

3. Deus non intendit suam gloriam quia indiget habere, sed quia exigit, i. e. ex intrinseca suae perfectionis necessitate non potest, si creet, non ordinare creaturam ad suam gloriam.

4. Gloria praestanda Deo a creaturis suis non est ipso indigna; nam non derogat de perfectione eius, siquidem sit terminative infinita, et ratio finiti quae in creatura et suo actu Deum glorificante est, ibi non ex necessaria limitatione omnis entis creabilis.

5. Gloria externa, quum sit bonum externum, per suam entitatem possessam non perficit glorificatum sed est principium gaudii in glorificato; analogice tamen respectu Dei et hominis. Gloria externa hominis est vera causa cuius effectus est novus actus seu perfectio in homine gaudente propter ipsam; Dei autem externa gloria non est causa sed terminus gaudii divini, quod non est novus actus sed idem immutabilis et infinitus actus quo Deus est, attamen cum nova terminatione ad extra; hoc vero sufficit ad rationem sufficientem liberae actionis divinae ad extra.

6. Datur inter Deum et hominem aliqua proportio realitatis; non in perfectione substantiali, neque in ulla mensura quantitatis, neque in qualitatibus seu attributis omnibus, sed in aliquibus, et in his quidem non univoce sed analogice. Requiritur autem et datur proportio ordinis inter glorificantem hominem et Deum glorificatum: ad hanc autem proportionem exigitur et sufficit ut in homine sit potentia terminative infinita; non vero requiritur infinitas entitativa. Neque urget factum quod percipiens debet entitative proportionari percepto sicut recipiens recepto, quia hoc verum est tantum de percipiente comprehensive, sicut et de recipiente adaequate; non autem de percipiente apprehensive et abstractive, sicut neque de recipiente inadaequate.

**THESIS VIII. — Finis « qui » intrinsecus hominis simpliciter ultimus est beatitudo perfecta; cuius necessarium obiectum est ipse Deus.**

Cf. D. Th., 1, 2, q. II, a. 8; Ferretti, Thes. V et VI.

*St. Qu.* — Finis *qui* intrinsecus est id quod agens intendit sibi tanquam fini *cui;* finis *qui* extrinsecus est id quod agens intendit alteri tanquam fini *cui.* In praecedenti thesi statuitur finis *qui* intrinsecus Dei operantis; in praesenti agitur de hominis fine *qui* operis intrinseco: prior ille finis identificatur cum fine hominis extrinseco, siquidem Deus est operans indefectibilis; ex eadem ratione finis hominis intrinsecus identificatur cum fine Dei extrinseco, quae, ut innuitur in argumento secundo supra dato, est ipsa bonitas Dei communicata: attamen haec dentitas est secundum realitatem rei tantum et non secundum formalitatem, quae diversificatur secundum diversum finem *cui* consideratum. Insuper demonstravimus supra finem Dei sub generica ratione gloriae ex necessitate naturae divinae; hic autem, quum finis, quem quaerimus, sit specificus operi, debemus rem determinare ex natura ipsius operis.

Beatitudo seu eudaimonia definitur in genere a Boethio « status omnium bonorum aggregatione perfectus »; quae definitio accipitur in communi sensu hominum, utpote nemo consideratur beatus, qui caret ullo bono cuius ipse connaturaliter capax est. In illa definitione complectuntur tria elementa: primum est negativum, exclusio nempe cuiuscumque mali; secundum est positivum, plena videlicet possessio omnium bonorum connaturaliter possibilium; tertium est completivum, scilicet perpetua per-

manentia certo cognita elementi primi et alterius. Ratio primi et secundi elementi per se constat: ratio tertii in eo est quod defectus perpetuae permanentiae esset malum animae immortali, et defectus certitudinis esset malum intellectui in beato. Ex effectu suo beatitudo hominis definitur satisfactio omnium potentiarum in homine seu quies omnium facultatum in possessione suorum propriorum obiectorum in plenitudine illa cuius capaces sunt, uno verbo, perfecta in suprema actuatione quies. Iam vero quum sit unitas naturae in homine et proinde correspondens bonum adaequatum specificum eius, quod sit possidendum per eius facultates specificas, ceterae facultates in homine his subordinantur: unde non opus est ut in sua beatitudine homo simul habeat satisfactionem formalem inferiorum facultatum, dum formaliter satisfiat superioribus; haec enim satisfactio specifica est essentialis ratio in beatitudine humana.

Distinguitur beatitudo in obiectivam, formalem et terminativam: obiectiva est ipsum obiectum quod beat hominem; formalis est actus quo obiectum beans possidetur, seu quo facultates specificae quiescunt in satisfactione sua beatifica; terminativa est beatitudo considerata tanquam status permanens in quo possessio illa habetur perpetuo duratura. Hic iuvat recolere distinctionem inter finem *qui* obiectivum, seu finem *cuius,* qui est obiectum bonum quod quaeritur, et finem *qui* formalem, seu finem *quo,* qui est possessio seu fruitio illius obiecti adepti.

Item distinguitur beatitudo hominis in perfectam et imperfectam; perfecta est si gaudet triplici elemento supra dicto; imperfecta, si unum aut alterum deficit ex illis elementis. Deficientia autem potest provenire ex triplici fonte: aut ex parte obiecti, quatenus non est sufficiens ad potentiae specificae hominis satisfaciendum,

siquidem non sit adaequate proportionatum ad potentiam; aut ex parte formae, seu illius actus quo possidetur obiectum, quatenus obiectum ceteroquin proportionatum non possidetur secundum adaequatam capacitatem specificam hominis; aut demum ex parte securitatis, quatenus homo caret cognitione certa perennitatis in illa possessione.

Deinde considerari potest beatitudo in genere, i. e. secundum suam essentialem definitionem cum praecisione ab hoc vel illo obiecto in quo concipi potest ut verificanda, aut in specie et concreto, i. e. prout verificata consideratur in obiecto aliquo determinato. Beatitudo specifica duplex distinguitur, beatitudo nempe vera, si obiectum, quod apprehenditur ut beans, re continet essentialia ad beandum, et beatitudo apparens tantum, si falso ut beans apprehenditur obiectum quod de facto caret potentia beandi.

In utraque parte thesis agitur de perfecta beatitudine, sed in prima parte de beatitudine in genere licet complexive secundum obiectum, formam et statum, dum in altera parte agitur de beatitudine in concreto obiectiva et vera.

Per obiectum beatitudinis intendimus in thesi id sine quo possesso nequit haberi beatitudo, quo tamen possesso nequit non haberi: unde agitur de obiecto tum necessario tum sufficiente.

Contra thesim sunt: — I. Stoici antiqui, qui, duce Zenone, formalem hominis beatitudinem posuerunt in conditione apathiae, qua sine molestia homo cedat necessariis legibus quibus fatalistice regitur; obiectum beatitudinis in hac sententia est virtus animae qua excluditur molestia.

II. Kant defendit formam Stoicismi recentiorem,

docens supremum hominis bonum stare in suprema aliqua habituali conformitate cum lege categorica rationis, et licet beatitudinem nostro sensu sumptam huic conformitati succedere admittat, negat tamen illam habere rationem finis respectu hominis et proinde non esse illud in quod formaliter tendat homo secundum suam naturam. Obiectum igitur specificae tendentiae hominis ultimae est in hac etiam sententia illum habitum animae quo conformis sit legi.

III. Epicurus cum sua schola docet perfectam beatitudinem esse homini impossibilem, supremam autem eius beatitudinem, licet imperfectam, stare in voluptate corporis et animae, utraque sensibili, cum hac tamen differentia quod voluptas corporis est in obiecto sensibili praesenti, dum voluptas animae coniungit cum ea voluptatem sensibilem ex memoria praeteritae sensationis delectabilis et ex spe futurae. Unde in hac sententia obiectum beatitudinis est summa bonorum sensibilium.

IV. Utilitarii ponunt beatitudinem formalem in aliqua felicitate quam logica analysis eorum sententiae necessario reducit ad delectationem quodammodo sensibilem, licet prout finem ultimum velint eam non esse mere egoisticam, sicut Epicurus docet, sed universalem, prout nempe includat felicitatem omnium, vel saltem tot hominum quot practice sit possibile eam adipisci. Ita Helvetius, Bentham, Paley, Hartley, J. Mill, J. Stuart Mill et Bain.

V. Evolutionistae ponunt finem ultimum hominum in conservatione et evolutione vitae individui, societatis civilis et speciei humanae, et beatitudinem in delectatione consequente necessarias actiones vitales huic fini inservientes: ita Herbert Spencer.

Probatur *A*). Intrinsecus hominis finis *qui* simpliciter ultimus est perfecta eius beatitudo.

Arg. 1. Intrinsecus finis *qui* simpliciter ultimus entis est id ad quod ens natura sua proportionatur tanquam ad id quod est ipsi supremum bonum in se et propter quod cetera bona omnia quaerenda sunt; atqui homo ita proportionatur ad perfectam suam beatitudinem: ergo...

Ad Arg. Maior constat ex definitione ultimi finis et minor ex consideratione expositionis beatitudinis perfectae.

Arg. 2. Illud est intrinsecus finis *qui* hominis simpliciter ultimus ad quod voluntas humana necessario tendit et ita quidem ut ultra tendere nequeat neque possit ipsum excludere a quovis desiderio deliberato quominus sit huius terminativum ultimum; atqui voluntas humana ita tendit in beatitudinem: ergo...

Ad Mai. — Quia voluntas tendit, illud est bonum seu finis, quia ultra tendere nequit, est bonum propter se; quia terminativum cuiusque desiderii, cetera omnia desiderantur propter ipsum: ergo...

Ad Min. — Voluntas tendit in beatitudinem quia bonum; necessario tendit, i.e. quoad specificationem actus, quia in omni speciali bono quaerendo voluntas movet versus terminum completivum omnium suarum potentiarum; non potest ultra tendere quia ultra beatitudinem non datur bonum cuius voluntas capax est: non potest excludere, quia, uti experientia conscii sumus, nos nunquam desideramus bonum partiale ut in ipso absolute sistamus, sed cum intentione progrediendi in aliud et aliud, donec completae nostrae capacitati satisfiat in aliquo termino adaequato, qui igitur involvitur in quoque desiderio.

Confirmatur ex concordi testimonio hominum in omni aetate quod nos quaerimus in hac vita terminum quietis in possessione omnis boni quod cor nostrum ap-

petere potest, qualis quies respondet nostrae definitioni beatitudinis perfectae.

Probatur *B*). Obiectum beatitudinis perfectae est ipse Deus.

Arg. 1. Illud est obiectum beatitudinis perfectae sine quo possesso homo nequit beari, quo possesso nequit non beari; atqui solus Deus est tale ens: ergo solus Deus est obiectum beatitudinis perfectae.

Ad Min. — *a*) Primo, homo nequit beari sine possesso adaequato obiecto sui intellectus et voluntatis, vero nempe et bono universali, quae non inveniuntur nisi in Deo. Secundo, homo nequit beari sine illo obiecto, cuius possessio realiter et obiective verificat illam formalem Dei gloriam, quae est finis ultimus Dei creantis hominem, siquidem finis ultimus Dei creantis identificatur realiter cum fine hominis ultimo intrinseco; hoc autem obiectum est nonnisi Deus ipse.

*b*) Possesso obiecto adaequato sui intellectus et voluntatis nequit homo non specifice beari: et insuper nequit non beari possesso illo obiecto quod ita desiderat propter se ut necessario cetera desiderat nonnisi propter ipsum; homo autem desiderat bonum infinitum, et bonum infinitum necessario desideratur propter se et quidem ita ut cetera omnia quae desiderantur necessario desiderantur propter ipsum.

*Corol.* Beatitudo perfecta nequit inveniri in ullo bono creato, neque in tota collectione omnium bonorum creatorum. Haec propositio, quae immediate sequitur ex thesi probata, probari etiam potest ex defectu in singulis bonis creatis necnon in tota simul eorum collectione.

*Scholion 1.* Ex experientia scimus perfectam beatitudinem non posse possideri in hac vita humani compositi: etenim quaecumque invenitur in hac vita beatitudo, non

est perpetua neque excludit mala physica; insuper cognitio nostra Dei hic habita est obnoxia difficultatibus, erroribus dubiisque, atque amor Dei, quem hic habemus, caret stabilitate et perseverantia. Attamen certo certius est nos posse adipisci perfectam beatitadinem in aliqua hominis vita, quum repugnet divinae sapientiae et bonitati ponere in opere suo tendentiam intellectualem consciam in beatitudinem perfectam tanquam in terminum proportionatum, cuius possessio non sit in aliqua existentia illius intelligentiae certo possibilis. Unde in aliquo termino vitae immortalis post exitum hominis ex hac vita est beatitudo perfecta possessu possibilis.

*Scholion 2.* Finis extrinsecus *qui* hominis simpliciter ultimus et finis eius intrinsecus *qui* simpliciter ultimus respective denominantur secundum suas formalitates finis hominis ultimus primarius et secundarius: secundarius non est medium ad primarium, quia realiter identificantur illi duo; qui vero simul adintegrant unum finem ultimum *qui* adaequatum. Est autem prioritas in fine primario supra secundarium, quia in ordine intentionis, ubi quaeritur prioritas finis, prior est finis operantis quam finis operis operati.

*Ad Difficultates.* (Cf. Tongiorgi, nn. 40 sqq.).

1. Datur consensus hominum quoad beatitudinem in genere et tendentiam humanam in ipsam, licet non detur talis consensus respectu beatitudinis in specie.

2. Neque pertinet ad Dei providentiam dare cuique homini actualem cognitionem obiecti veri beatitudinis in specie, sed sufficit quod dederit cuique potentiam suo marte illud addiscendi.

3. Homines non *necessario* appetunt obiectivam beatitudinem *in specie,* sed naturali modo possunt tum addiscere qualis sit, tum ipsam appetere. Neque quidem

necessario appetunt homines bona creata, nisi sensibilia appetitu sensitivo, licet naturaliter et libere possint ea appetere.

4. Quando beatitudo concipitur secundum sacrificia et opera laboriosa, quae involvuntur in eius adeptione, concipitur secundum aliquam rationem mali, sub qua reiici potest a voluntate humana.

5. Datur proportio ordinis inter facultatem humanam et Deum, obiectum perfectae beatitudinis; facultas igitur humana est infinita terminative, licet non entitative, neque requiritur entitativa infinitas, quum ad beatitudinem non requiritur ut Deus comprehendatur.

6. Deus est etiam sed non tantum obiectum beatitudinis supernaturalis: differentia est in eo quod cognitio supernaturaliter beans est intuitiva, dum cognitio naturaliter beans sit abstractiva.

**THESIS IX. — Finis intrinsecus « qui » hominis relative ultimus est meritum beatitudinis perfectae: extrinsecus in genere est activitate sua specifica efficere ea in generali proposito Creatoris mundi ad quae efficienda Creator naturam eius ordinavit.**

Cf. Ferretti, thes. XI.

*St. Qu.* — Quaerimus de fine ultimo relate ad hominis vitam in his terris: mors enim facit divisionem vitae humanae in duo stadia, illud compositi humani in his terris et illud animae immortalis in altero mundo. Quum vero ethica tractet de moralitate actuum humanorum in hoc mundo, opus est ut aliquomodo determinetur finis hominis respectu huius mundi.

Meritum iam definitur et explicatur supra sub thesi

sexta, sed hic praecipue recolere volumus quaestionem praesentem esse de merito de condigno, licet secundum illam imperfectam rationem iustitiae, quae sola intervenire potest a Deo ad hominem, necnon secundum divinam acceptationem actuum merentium virtualem et implicitam ex promissione divina implicite facta et manifestata cum conditione onerosa. Gradus huius meriti contingens est, dependens in casu individuo quoad suam potentiam a duratione vitae terrenae et opportunitate homini divinitus concessa, et quoad actuationem ab exercitio liberae activitatis. Respondebit huic gradui diversus gradus accidentalis in beatitudine essentialiter perfecta quem quivis beatus habebit.

Finis extrinsecus relativus hominis potest considerari in specie et individuo, et tunc includit respectum ad opportunitatem datam huic vel alteri individuo, aut in genere et tunc consideratur sub ratione per se communi omnibus quibus datur natura humana: in thesi sumitur in genere.

Activitas specifica hominis in thesi sumitur pro illa activitate quae homini maxime propria est, activitas nempe secundum actus humanos.

Universale propositum Dei creantis includit omnem illam specificam gloriam externam tum obiectivam tum formalem, quam Deus intendit habere ex tota sua creatione: propositum generale extenditur solummodo ad talem gloriam specificam intentam tanquam habendam ex hoc mundo terrestri creato: est enim in Deo idea exemplaris omnium entium et factorum ex quibus in his terris Deus gloriam suam externam intendit habere: generale propositum Dei Creatoris repraesentatur in illa idea exemplari.

In generali proposito quaedam efficienda sunt ab aliis

entibus, quaedam ab homine, et pressius quaedam ab homine secundum suam activitatem specificam: de his solis praedicatur finis extrinsecus in thesi.

Ordinatio divina alicuius naturae praeter divinam intentionem dicit obiective, i. e. in ipso opere creato, duo, scilicet, aptitudinem et tendentiam naturalem ipsius operis ad id efficiendum quod Deus voluit et vult per ipsum efficere. Unde quando quaerimus quaenam sint ea quae in generali Dei proposito pertinent ad specificam hominis activitatem, debemus examinare aptitudines et tendentias humanae naturae, necnon exigentias provenientes ex essentialibus suis relationibus cum Deo, cuius instrumentum operativum est, et cum ceteris creatis in terris cum quibus tanquam Dei instrumentum cooperari intenditur in generali proposito.

Probatur *A*). — De Fine Intrinseco.

Arg. — Finis *qui* intrinsecus hominis relative ultimus necessario est aliquod medium efficax ad beatitudinem perfectam; atqui solum medium efficax ad beatitudinem quod homo potest in hac vita obtinere est meritum eius: ergo finis ille est meritum beatitudinis perfectae.

Ad Mai. — Finis relative ultimus necessario habet rationem medii ad finem simpliciter ultimum, et finis ultimus in stadio proximo ad stadium possessionis simpliciter ultimi finis est necessario in nostro casu medium efficax quia Creator et Ordinator naturae humanae est causa indefectibilis.

Ad Min. — Efficacitas medii est in nexu necessario exigentiae aut physicae aut moralis cum fine; atqui in nostro casu non est medium physice exigens, medium autem moraliter exigens est meritum: ergo...

Ad Min. — Quoad primum: nihil est quod scimus hominem posse facere in hac vita quod physice exi-

geret beatitudinem, et tamen si quid tale esset, debemus scire. Homo enim, sicut ens omne, ordinatur ad obtinendum suum finem necnon medium efficax ad illum per actus suos specificos; homo autem per specificos suos actus, intelligentes nempe et liberos, nequit obtinere nisi id quod praecognosceret. Quoad alterum. Exigentia moralis est aut ex pura iustitia, aut ex pura fidelitate promissionis gratuitae, aut ex mixta fidelitate et iustitia promissionis cum conditione onerosa. Iam vero in nostro casu nequit esse ex pura iustitia, quae quidem non potest intervenire a Deo ad hominem; neque ex promissione gratuita, quia Deus ordinavit hominem ad finem obtinendum per actus suos specificos, liberos nempe, et quidem determinatos, qui sunt de sua natura conditio onerosa. Quod ordinatio illa sit secundum actus aliquos determinatos liberos, constat ex eo quod penes libertatem hominis est ponere actus contrarios, immo et contradictorios per liberam omissionem aut positionem eiusdem actus; sed repugnat contrarios et contradictorios actus natura sua ordinari ad eumdem finem. Revera ex experientia hominum scimus eos admittere aliquos actus iure denominari bonos, alios malos, et per illos expectare adipisci beatitudinem; quae expectatio, quum sit naturalis et proinde a Deo, nequit divinitus frustrari.

Probatur *B*). — De Fine Extrinseco.

Arg. — Finis extrinsecus *qui* hominis realiter identificatur cum fine relative ultimo *qui* Dei hominem Creantis; atqui hic finis in genere est efficere per specificam hominis activitatem ea in generali suo proposito, ad quae efficienda naturam eius ordinavit: ergo haec efficere est item in genere finis extrinsecus *qui* hominis relative ultimus.

*Scholion 1.* Finis extrinsecus *qui* hominis relative ultimus denominatur finis hominis efficiendus in terris.

*Scholion 2.* Praesens vita dicitur respectu finis ultimi simpliciter hominis status viae. Status viae duo dicit: primo, negative dicit stadium existentiae in quo homo neque possidet suum finem simpliciter ultimum, neque potest eum actualiter possidere; secundo, positive addit hominem posse in hoc stadio per exercitium suae libertatis disponere se ad proportionem exigitivam actualis possessionis ultimi finis, ita quasi per viam ipsi appropinquando, aut etiam sese deformare a tali proportione. Altera vita post mortem hominis denominatur status termini. Status termini item duo dicit: primo, negative indicat stadium existentiae in quo homo ultra non potest se disponere sive bene sive male ad possidendum suum finem simpliciter ultimum, neque potest quidquam facere proportionatum ad ipsum obtinendum, neque quidquam per quod alienatur ab ipso; secundo, positive addit quod homo illum finem iam secure possidet in perpetuum, aut in perpetuum iam determinate praevenitur quominus unquam ipsum obtineat. Quaestio statim oritur utrum talis status termini immediate sequatur vitam praesentem in terris, an forsan detur alius status viae in vita separata animae: solvetur haec quaestio infra, ubi agetur de sanctione legis naturalis, statuendo statum termini in ordine naturali immediate sequi praesentem vitam.

*Ad Difficultates:* — Notanda. 1. Hic iterum moventur difficultates quae supra indicantur sub thesi sexta.

2. Meritum perficit ipsum hominem, licet non formaliter intrinsece; sed finis intrinsecus postulat tantum ut quaeratur finis *qui* pro ipso agente tanquam pro fine *cui*, et non ut semper intrinsece perficiat agentem. Re quidem

vera ultima perfectio hominis in his terris est sui dispositio efficaciter exigitiva beatitudinis.

3. Actus liberi quibus homo non efficit sed officit iis quae a Creatore intenduntur efficienda, sunt actus hominis specifici, sed instrumentum nequit mereri per actus quibus deficit ab intentione Causae Principalis, neque possunt tales actus praestare specificam excellentiam instrumenti qua talis; unde licet Deus fecerit hominem liberum instrumentum, determinavit quosdam actus quibus effectus a se intentus efficiendus sit.

*Scholion* 1. Iuvat hic indicare specialem falsitatem theoriae Kantianae respectu beatitudinis humanae. Docet quidem Kant beatitudinem formalem hominis stare in perpetuo accessu ad perfectam beatitudinem, nunquam plene possidendam. Destinatio, seu ordinatio naturalis, hominis ex practicae rationis imperio est ut perseveret in progressu in infinitum versus plenam conformitatem cum lege rationis. Iuxta haec principia homo nunquam erit in termino completae suarum facultatum satisfactionis, seu in satietate suae capacitatis respectu boni: unde actualis beatitudo eius formalis nunquam est respective perfecta, seu aliis verbis vera beatitudo perfecta est adeptu impossibilis, et obiectiva beatitudo seu ultimum obiectum voluntatis humanae est progressus ille indefinitus. Insuper et perfecta sanctitas est impossibilis in homine.

Licet possimus in genere declarare falsitatem huius theoriae, utpote contra veram doctrinam iam supra statutam, eam reiicimus in specie:

*a*) Quia facit veram beatitudinem perfectam adeptu impossibilem, quod est contra sapientiam divinam tribuentem homini capacitatem et tendentiam ad illam.

*b*) Quia ponit seriem causarum finalium sine prima, seriem moventium intentionaliter sine primo movente,

quod repugnat. Etenim Kant admittit rationem motivi pro homine in quolibet gradu conformitatis sui cum lege rationis additque hunc ipsum non esse bonum propter se solum sed propter ulteriorem gradum obtinendum et ita deinceps, et simul demit rationem motivi ab ultima et perfecta ulla conformitate, siquidem docet eam esse adeptu impossibilem. Neque dici potest illud ens ultimum posse intentionaliter movere voluntatem, etiamsi sit illud adeptu per se et essentialiter impossibile: etenim per se et impossibile adeptu tantum illud est quod est extra omnem proportionem ad naturam humanam; quod autem tale est nequit movere intentionaliter voluntatem humanam, utpote deest in natura humana omnis tendentia ad illud ex defectu proportionis ad idem.

*c*) Quia negat esse adeptu possibilem perfectam sanctitatem seu conformitatem humanae voluntatis cum divina: ast uti nos iam probavimus, homo potest inchoare suam sanctitatem in hac vita disponendo sese per meritum exigitive ad beatitudinem, et per possessionem beatitudinis in termino ingreditur in plenam talem conformitatem et in indeficientem suae voluntatis rectitudinem seu consummatam sanctitatem. Unde antecedenter ad formalem beatitudinem perfectam possibilis est sanctitas inchoata; consequenter ad eamdem necessaria est sanctitas consummata.

*d*) Quia negat perfectam esse sanctionem legis divinae destruendo iustam distributionem praemii, siquidem secundum doctrinam Kantianam quivis homo eamdem prorsus (et non specifice tantum) beatitudinem habet et habebit, continuum nempe illum progressum in infinitum respectu conformitatis voluntatis cum lege rationis.

2. Pariter reiicienda est sententia Naturalismi Pantheistici. Docet haec theoria finem ultimum hominis in-

dividui esse bonum ultimum generis humani, qui porro consistat in ideali seu antonomastica cultura et perfectione humanitatis evolvenda iugi progressu inter homines. Genus igitur humanum est ultimus finis *cui* hominis individui; finis eius ultimus *qui* est cultura generis humani; proximus vero sua propria cultura in quantum conferat ad culturam generis. Specialiter reiicitur:

*a*) Quia falsum habet fundamentum, Pantheismum nempe.

*b*) Quia facit ultimum et summum bonum in universo esse bonum generis humani, et non bonitatem divinam, et insuper ponit perfectionem supremam hominis non in beatitudine sed in cultura aliqua temporali et, magna ex parte, etiam materiali.

*c*) Quia subordinat individuum totaliter speciei tanquam medium ad bonum huius, neglectis exigentiis personalitatis individui.

## Articulus II.

### De Lege Divina.

**THESIS X. — Existit in mente divina rerum gubernandarum ratio, quae merito dicitur lex aeterna.**

Cf. D. Thom. 1, 2, q. XCI, a. 1; q. XCIII, a. 1; Suarez, De Legibus, lib. II, c. 1: Ferretti, Thes. XXXVI.

*St. Qu.* — Gubernare est in genere dirigere motum seu ens movens: in specie est dirigere ens secundum actus et motus suos in finem proprium, et quidem non in proprium solum, sed in finem plurium communem, quatenus ens unumquodque in illum cooperatur.

Res gubernandae sunt omnia entia creanda, non praecise prout creanda, sed prout dirigenda in finem universae creationis communem per actiones et motiones singulorum: actio procedit tanquam motus ab intra entis, dum motus prout distinguitur ab actione est motus impositus enti ab extra suae naturae. In praesens praescindimus a gubernatione actuum sive necessariorum sive liberorum Dei, licet hi etiam sensu analogico possint dici gubernari et ad ipsos extendi legem aeternam. In thesi includimus omnem motum (i. e. tum actionem tum motionem presse dictam) omnium entium creandorum, prout hi motus sunt in finem totius creationis communem dirigendi.

Ratio rerum gubernandarum est ratio practica ordinans hos motus et proinde subaudit praeter exemplarem ideam motuum faciendorum etiam dictamen voluntatis

de se efficax ad determinandum quodlibet ens secundum naturam sibi propriam ut actione sua efficiat pro parte sua finem omnium communem. Datur quaedam ratio rerum quae est in solo intellectu divino sed haec est idea exemplaris rerum creabilium; datur etiam ratio rerum creandarum, quae est idea earum exemplaris connotans decretum divinae voluntatis ut suo tempore existant: sed ratio rerum gubernandarum est idea exemplaris motuum rerum creandarum simul cum determinatione divinae voluntatis movente eas per imperium. Hoc autem imperium in ente irrationali apparet tanquam necessitas physica in naturali eius tendentia; in creatura autem rationali seu in homine, praeter tendentiam naturalem voluntatis ad bonum in genere et ad beatitudinem in genere, imperium illud exstat tanquam necessitas moralis communicata rationi eius, quae tamen necessitas relinquit eum physice liberum in concretis eius actibus humanis.

Lex in genere est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis, promulgata. Ordinatio in genere est dispositio plurium respectu unius quod quidem unum dicitur principium ordinis; in casu legis plures quae disponuntur sunt motus eorum qui sunt in communitate, principium ordinis est bonum omnium commune, dispositio est determinatio motuum ad illum bonum. Ordinatio ipsa connotat duos actus, priorem intellectus quo dirigitur, posteriorem voluntatis quo determinatur ens quod ordinatur; specificatio ordinationis venit ab actu priori, siquidem actus voluntatis sequitur illuminationem intellectus, vis autem determinativa provenit ex voluntate. In lege haec determinatio est de se efficax, i. e. necessitas saltem moraliter: unde lex distinguitur a mera regula directrice, quae non est movens ullo modo, et a consilio, quod quidem est suadens tantum, i. e. mo-

vens nonnisi secundum rationem boni in eo quod proponitur in consilio sine tamen necessitate.

Ordinatio *rationis* non dicitur sensu exclusivo (quasi non esset voluntatis) sed sensu aiente, quatenus formaliter tribuitur rationi, quia a ratione specificatur: ratio enim est quae percipit relationem inter ens et finem suum, praestat voluntati medium eligendum ad finis consecutionem, ita formulans imperium voluntatis.

Lex est ordinatio ad bonum, quia principium eius ordinis est finis aliquis, finis autem semper habet rationem boni; est ad bonum commune, quia lex est communitatis gratia: reductive hoc bonum debet esse bonum commune ultimum respective, i. e. respectu illius communitatis pro qua lex ponitur. Per communitatem in definitione intenditur communitas perfecta seu collectio plurium simul ad bonum commune cooperantium talis ut in se habeat media sufficientia ad suum finem, et proinde non dependens ab alia communitate a qua suum complementum perfectivum accipiat. Qui curam habet communitatis sonat illum qui est subiectum supremae potestatis supra illam communitatem; secus non esset determinatio eius de se efficax, talis nempe quae necessitare possit omnes in communitate ad bonum commune.

Promulgatio est publica legis denuntiatio qua a subditis cognosci seu participari lex potest: non necessario debet esse effectiva, haec enim est communicatio seu divulgatio, sed debet esse de se efficax, talis nempe ut subditi in genere eam cognoscere vel de ea participare possint. Ratio cur promulgatio requiratur ad legem est quia lex est determinatio, nequit vero ens determinari nisi communicatur ipsi ligamen seu activa determinatio, quae quidem fit voluntati hominis nonnisi per cognitionem, neque enti irrationali nisi per impressionem seu participationem

determinationis receptam in sua natura. Attamen tripliciter inspici potest lex: active inspecta lex est prouti est in ratione ordinantis, seu in ipsius legislatoris actu imperante; passive inspecta lex est prout est in ratione ordinati, seu in actuali cognitione subditi cui ut in passo communicatur; significative inspecta lex est prout est in signo eam denuntiante, e. g. in praeconis proclamatione, in tabulis, in codice. Externa denuntiatio est de essentia legis significative acceptae, signum enim est ipsa denuntiatio; eadem essentialiter praerequiritur ad legem passive acceptam, quia sine ea lex non potest a subdito cognosci: ad legem vero active inspectam essentialis est denuntiatio in suo actu efficaci, i. e. requiritur in decreto legislatoris seu ratione ordinantis illud quod de se efficax est ut debito tempore et circumstantiis ordinatio fiat manifestata. Humanus legislator in suo actu interno ordinante nequit habere illam causalitatem efficacem, siquidem ante manifestationem significativam homo potest mori aut suum mutare consilium: unde ad essentiam legis humanae requiritur, praeter legem active acceptam, etiam legem significativam. In casu autem Dei haec non requiritur, quia Deus nequit deficere aut consilium suum mutare et decretum Dei est indefectibile ad habendam significationem legis tempore debito: unde ad essentiam legis divinae non requiritur actualis significatio legis, sed sufficit efficax decretum legem suo tempore debito significandi.

Supradicta definitio legis traditur a Divo Thoma, qui ita accurate definit per causas id quod eodem sensu homines ubique agnoscunt ut legem.

Lex aeterna sonat in genere legem positam ab aeterno, legem in suis essentialibus verificatam ab aeterno: opponitur legi temporali, quae essentialiter non habetur

nisi in tempore. Sumitur lex aeterna in thesi secundum activam legis acceptationem tantum, licet ita ponatur secundum omnia sua essentialia: non enim asserimus entia creata exstitisse ab aeterno, aut signum legis fuisse positum ab aeterno. Item non intenditur lex aeterna univoce descendere in irrationalia creata et rationalia, sed analogice; necessitat enim irrationalia physice, rationalia moraliter.

Probatur A. — De Ratione Rerum Gubernandarum.

Arg. — Sapiens et indefectibilis opifex in mente sua habet ideam exemplarem omnium actionum et motuum quibus efficiendus est finis quem ipse intendit per opera sua efficere, necnon volitionem de se efficacem tribuendi illis operibus secundum naturam uniuscuiusque determinationem sufficientem ad tales motus et actiones; atqui Deus est opifex sapiens et indefectibilis omnium rerum creatarum, et ratio cum volitione de se efficaciter determinativa actionum et motuum omnium rerum creatarum ad finem illum est ratio rerum gubernandarum: ergo existit in mente divina ratio rerum omnium gubernandarum.

Ad Mai. — Opifex, si sapiens, vult finem per opera sua efficaciter efficiendum: quod si in mente sua non haberet rationem determinativam actionum et motuum in operibus suis ad finem illum, esset quia vel nesciret, vel non posset, vel non vellet: atqui si non posset, esset defectibilis; si nesciret vel non vellet, non esset sapiens: ergo sapiens et indefectibilis opifex necessario habet illam rationem.

Ad Min. — Quod Deus sit opifex sapiens et indefectibilis omnium creaturarum assumitur ex Theodicea: quod supra probata ratio sit vere ratio rerum gubernandarum constat ex huius definitione.

Probatur B. — De Ratione Legis Aeternae.

Arg. — Ratio illa rerum gubernandarum habet omnia essentialia legis; atqui omnis ratio in Deo est ab aeterno posita: ergo illa ratio rerum gubernandarum est lex aeterna.

Ad Mai. — Etenim est ordinatio rationis, quia est tum exemplar actionum et motuum tum imperium; ad bonum commune, quia Deus necessario fecit universam creationem ad eumdem finem communem, scilicet suam gloriam externam: in communitate, quia complexus omnium creaturarum operantium ad communem finem sub Deo dirigente habet omnia quae necessaria et sufficientia sunt ad illum finem efficiendum, secus enim Deus esset causa defectibilis; ab eo qui supremam simpliciter habet auctoritatem super omnia, quia creavit Deus omnia et ipsius sunt, unde potestatem habet super omnia disponendi de iis, seu dirigendi ea ad finem communem: promulgata, quia decretum in Deo de determinatione tribuenda omnibus est de se efficax, ita ut sine ullo alio actu suo (consequenter ad decretum creationis, quod supponitur) in quovis creato, in determinata temporis differentia, sit illa determinatio secundum naturam illius creati tanquam in signo. Iam vero haec sunt omnia quae requiruntur ad rationem legis in lege divina.

Difficultates. — 1. Non datur lex sine subdito; atqui ab aeterno nullus exstat Dei subditus: ergo...

R. *Dist. mai.* — Non datur lex passive inspecta, *conc.:* active inspecta, *subd.* - sine subditis in suo actu existentibus, *nego;* sine subditis saltem determinatis ut certo exstituris in illa temporis differentia in qua lex transitura est ab activa ratione ad induendam etiam rationem passivam, *conc.*

*Contrad. min.* — Nullus exstat subditus in suo

actu existens, *conc.*; nullus est subditus determinatus ut certo exstiturus in illa temporis differentia in qua lex transitura est a ratione activa ad passivam, *nego.*

*Completur distinctio in consequente:* ergo nulla est ab aeterno lex Dei passive inspecta, *conc.*; active inspecta, *nego.*

Explicatur. In signo divinae rationis respectu operationis Dei ad extra prius est videre modum quo dirigi possunt creabilia ad finem efficiendum (seu habere ideam exemplarem omnium motuum et actionum quibus creanda efficere possint illum finem), deinde decernere creationem illarum creaturarum in determinata aliqua temporis differentia, et demum decernere legem actionum et motuum qua determinantem eas creaturas ad finem illum per suas actiones. His positis decretis, creaturae illae in determinata sua temporis differentia exsurgunt in existentiam et in earum naturis invenitur illa determinatio quae est lex aeterna illis applicata et in naturis tanquam in signo manifestata.

2. Atqui sine subdito exstante in actu suo non datur lex, ne active quidem inspecta: quod probatur. Sine ligato exstante in actu suo non datur ligamen actuale; atqui lex active sumpta est ligamen actuale, subditus autem ligatum lege: ergo sine subdito exstante in actu suo non datur lex active sumpta.

℟. *Negatur* subsumptio et ad probationem *dist. mai.* — Ligamen actuale, i. e. ligamen in actu secundo ligandi, *conc.*: i. e. in actu primo proximo efficaciter determinato ad ligandum suo tempore, *nego.*

*Contrad. min.* — Lex active sumpta est ligamen actuale sensu altero, *conc.*: sensu priore, *nego.*

3. Sine promulgatione essentialiter non datur lex;

atqui in aeterna ratione Dei ordinantis non datur promulgatio: ergo neque lex.

℟. *Dist. mai.* — Sine promulgatione, i. e. sine denuntiatione in effectu passivo, seu in cognitione subditi, *nego:* sine denuntiatione aut in decreto ordinantis aut in signo, *conc.:* necessario in signo, *subd.:* ubi decretum non est de se efficax ad significandum suo tempore sicut in legislatore mutabili et defectibili, *conc.:* ubi decretum est ita efficax, sicut in legislatore immutabili et indefectibili, utpote divino, *nego.*

*Contrad. min.* — In aeterna Dei ratione non est promulgatio, i. e. denuntiatio in effectu passivo, aut in signo, *conc.:* in decreto de se efficaci ad significandum suo tempore, *nego.*

4. Lex debet esse ad bonum subditorum; atqui ordinatio divinae rationis non est ad bonum creaturarum sed Dei, nempe ad gloriam eius: ergo...

℟. *Dist. mai* — Etiam, *conc.:* tantum aut primario, *subd.:* ubi ordinans non sit absolute dominus omnium subditorum, *conc.:* ubi est talis dominus, *nego.*

*Contrad. min.* — Non est etiam ad bonum subditorum, *nego:* non est tantum aut primario, *subd.:* quia Deus est absolute dominus, *conc.:* quasi Deus esset, sicut homo, dominus tantum per participationem et ad bonum communitatis, *negatur suppositum.*

Explicatur. Inter homines princeps civile habet dominium iurisdictionis participatum a Deo praecise in bonum communitatis, unde primario in tale bonum ordinare debet ille activitatem communitatis: Deus autem habet dominium absolutum supra omnia ex necessitate suae naturae, et ex eadem necessitate ordinat omnia primario ad suam gloriam, quae tamen gloria talis est ut

obiective identificetur cum bono creaturarum, est enim divina excellentia seu bonitas creaturis communicata.

5. Lex connotat obedientiam exigendam ex subditis; atqui aeterna ratio divina nequit exigere obedientiam ex irrationabilibus: ergo saltem quoad irrationalia ratio illa non est lex.

R. *Dist. mai.* — Obedientiam, i. e. conformitatem determinationi legis, *conc.:* i. e. obedientiam sensu proprio, *subd.:* lex in sensu restricto et specifico ita connotat, *conc.:* lex in sensu universali, *nego.*

*Contrad. min.* — Obedientiam sensu conformitatis determinationi, *nego:* sensu proprio, *conc.*

*Completur distinctio in consequente.* — Non est lex sensu restricto et specifico, *conc.:* sensu universali, *nego.*

*Explicatur.* — Leges naturae, quae sunt lex aeterna prout applicatur irrationalibus (et etiam rationalibus in iis actionibus et motibus quae non subduntur imperio voluntatis creatae) ligat cum necessitate physica et proinde producit conformitatem suae determinationi: lex naturalis, quae est lex aeterna applicata homini respectu actuum humanorum (seu eorum in homine quae subduntur imperio suae voluntatis) ligat necessitate morali et proinde exigit obedientiam proprie dictam.

*Scholion 1.* Distinguere possumus in Deo diversa signa rationis quoad activitatem eius ad extra et indicare uniuscuiusque passus necessitatem.

*a*) Prima est ratio omnium creabilium et proinde omnium modorum possibilium divinae gloriae externae: haec ratio est idea exemplaris omnium factibilium et agibilium et est necessaria ex necessitate divinae imitabilitatis ad extra et ex necessitate divinae cognitionis.

*b*) Secunda est volitio determinati gradus, speciei et

mensurae gloriae externae habendae: haec volitio est intentio finis et est necessaria quoad specificationem actus respectu gloriae externae in genere; sed respectu gloriae in specie habendae, i. e. respectu determinati illius gradus, speciei et mensurae, est libera; quoad exercitium actus est simpliciter libera.

*c*) Tertia est ratio creabilium eorumque actuum et motuum quibus ille determinatus gradus gloriae efficiendus est: haec ratio est consilium respectu medii, et quoad creabilia est idea exemplaris rerum creandarum, et quoad actiones et motus est lex aeterna fundamentaliter inspecta: utraque ratio in se et prout pars est rationis primae supra sub *a*) est ratio necessaria, sed prout aliquid est separatim positum tanquam medium volendum ad efficiendum finem volitum supra sub *b*), est, secundum talem separationem, antecedenter ad volitionem finis, absolute liberum licet conditionate necessarium, consequenter autem ad volitionem finis est simpliciter necessarium.

*d*) Decretum voluntatis creativum quoad creaturas in consilio sepositas tanquam medium eligendum: hoc decretum est consensus voluntatis ad partem priorem consilii, et consequenter ad volitionem finis supra sub *b*) est simpliciter necessarium, sed antecedenter ad illam volitionem est conditionate tantum necessarium sed absolute liberum.

*e*) Decretum voluntatis determinativum actuum et motuum praevisorum in consilio tanquam medium completivum eligendum: hoc decretum est consensus voluntatis ad alteram partem consilii, et est formaliter lex aeterna; est absolute necessarium consequenter ad decretum creativum supra sub *d*), sed antecedenter ad illud est tantum conditionate necessarium, absolute autem liberum.

*Scholion* 2. Addenda de Lege Aeterna.

Lex aeterna a D. Thoma definitur « ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum et motuum ».

Ratio: i. e. ratio practica ordinans; duo igitur subaudit; in intellectu rationem exemplarem actionum et motuum entium creatorum, in voluntate dictamen de se efficax determinandi actus et motus secundum naturam uniuscuiusque creati. Distinguitur a gubernatione, quippe quae est actualis et continuata directio seu determinatio sive physica sive moralis illorum actuum et motuum: est igitur gubernatio executio legis.

Sapientiae: quia est Dei operantis prout cognoscit causam et causatum, proportionem et efficacitatem omnium actuum et motuum tanquam mediorum ad finem. Ratio enim haec dirigit omnia per suos actus et motus ad communem finem universi.

Divinae: quia in sola divina sapientia est cognitio huiusmodi adaequata: Deo etiam propria est illa potestas tum physica tum moralis requisita ad talem directionem, necnon interna necessitas ita dirigendi: enimvero, licet liberum sit Deo dirigere creata sicut libera est ipsi eorum creatio, libertate nempe antecedenti et absoluta, supposito tamen decreto creationis, necessaria ipsi est, necessitate consequenti, directio eorum actuum et motuum ad finem universi.

Secundum quod est *directiva:* non igitur ratio divinae sapientiae prout est idea exemplaris rei creandae, neque ratio directiva divinae operationis, sed directiva entis creati agentis et moti, et quidem non directiva tantum intellectualiter, licet hoc modo etiam concurrat in rationali creatura, sed directiva principaliter determinative, per determinationem physicam in ente irrationali,

et aliqualiter etiam in ente rationali; per determinationem autem moralem nonnisi in ente rationali.

Actionum et motuum: i. e. omnium in omni creatura et ad finem universi. Haec ultima clausula indicat rationem esse rerum gubernandarum. Distinguitur igitur lex aeterna seu haec ratio gubernandarum a providentia divina, non adaequate sed formaliter: providentia enim est ratio divinae sapientiae ordinans singulis creatis media omnia necessaria et sufficientia ad finem attingendum; respicit igitur entia producenda et coordinanda, dum ratio rerum gubernandarum respicit tantum actus et motus eorum. Insuper in signo rationis in mente divina prius est ordinare universum creatum ad finem et ordinare actus et motus illius quam supplere media singulis creaturis: immo, quum ratio cur suppleat singulis abundantiam mediorum sufficientium sit ipsa ratio dirigens entia omnia per actus suos et motus ad finem universi, ideo lex aeterna dicitur principium providentiae divinae. Unde etiam apparent alia discrimina inter legem aeternam et providentiam. Lex aeterna respicit primario finem universi (bonum commune), providentia primario res singulas (bonum individuum). Lex aeterna ponit determinationem in entibus ad actus et motus proportionatos ad finem: providentia praestat media sed non tradit determinationem ad actus.

Lex aeterna in suo adaequato conceptu non patitur exceptionem seu dispensationem: est enim universalissima, siquidem Deus ab aeterno praecognoscit omnia quae fient, et habet suam propriam rationem cur permittat unumquodque: unde si quid fieri permittatur contra leges naturae universae, non erit contra legem aeternam, quae est lex naturae universalissimae, et si quid fiat contra legem moralem, est etiam in Deo ratio cur hoc permittat:

unde ratio omnium gubernandorum continet omne quod fiet sed diversimode, et propter hanc rationem lex aeterna, quum sit ita universalissima, neque admittit dispensationem neque ullum effugium ex parte cuiuslibet creati. Insuper respectu actionum moraliter malarum, quas permittit voluntas divina, datur in lege aeterna compensatio poenae naturalis et quoad ordinem supernaturalem poenae supernaturalis, sicut etiam continet praemium decretum pro bona facientibus: lex aeterna secundum hanc rationem compensationis praemii et poenae dicitur lex taxativa.

Omnis lex pendet et derivatur a lege aeterna in quantum (pro omnibus) obligatio obediendi ultimo venit ex lege aeterna, et iusta est nonnisi quatenus conformetur legi aeternae praecipienti, prohibenti vel approbative permittenti.

Demum lex aeterna, sicut quaevis alia lex, est vel affirmativa seu praeceptiva, quatenus nempe iniungit positionem alicuius actus: vel negativa seu vetans seu prohibens, quatenus iniungit ne actus ponatur; et quidem hoc dupliciter, nempe aut prohibens tantum, quando simpliciter reddit actum illicitum aut prohibens simul et irritans, quando reddit actum non tantum illicitum sed etiam invalidum: vel permissiva, quatenus nempe tribuit ius subdito ut ponat ad lubitum aliquem actum. Haec divisio indicat actus qui sunt proprii legi, scilicet praecipere, prohibere et permittere: cui additur etiam punire, quia sanctio necessaria est legi, praemiatio videlicet et punitio; sed quum praemium iuste conferri possit a quolibet, poena tamen nonnisi a legislatore, indicatur actus puniendi tanquam actus proprius legi.

**THESIS XI. — Existit in homine lex divina naturalis, quae a S. Thoma merito declaratur legis aeternae participatio in creatura rationali.**

Cf. D. Th. 1, 2, q. 91, a. 2; Suarez, De Legibus, lib. 2, cap. 5; Ferretti, thes. XXXIX.

*St. Qu.* — Lex divina naturalis in genere est —

Lex secundum propriam rationem legis, sed passive inspecta, i. e. prout recipitur cognoscitive in subdito, scilicet in homine.

Divina quatenus procedit a Deo, in quo iam est active sumpta.

Naturalis, primo quatenus procedit a Deo tanquam ab auctore naturae, et non tanquam ab auctore gratiae et supernaturalis conditionis hominis, sed prout creavit humanam naturam simul cum ceteris naturis in hoc mundo positis et eam dirigit tanquam in statu naturali ad finem naturalem communem totius generis humani: secundo, quatenus naturalibus facultatibus per media tantum naturalia cognoscitur ab homine.

Per participationem legis aeternae in thesi intendimus actualia dictamina rationis humanae esse cognitam ab homine subdito legem Dei aeternam in quantum haec determinat necessitate morali, seu obligat, hominem in iis quae ab ipso agenda sunt secundum partem illius legis quae pertinet ad hominem subditum. In quantum ad signum huius partis legis aeternae, Deus illud posuit in ipsa humana natura cum omnibus suis tendentiis naturalibus, et insuper Deus huic contulit facultatem intellectivam, illud lumen rationis, uti dicitur, quo homo potest ex signo legere legem et passive eam habere in sua cognitione.

Probatur *A*). — Existit Lex Divina Naturalis.

Arg. 1. — Ex testimonio conscientiae. Conscii sumus de iudiciis intra nos discernentibus inter actus aliquos tanquam intrinsece bonos et alios tanquam intrinsece malos, item de iudiciis denuntiantibus obligationem vitandi malos, ponendi aliquos bonos et permittendi alios, et de mum de iudiciis approbativis et reprobativis tum respectu nostrum ipsorum, tum respectu cuiuslibet alterius hominis prout servatur vel violatur haec obligatio: atqui haec iudicia constituunt passive inspectam veram legem, divinam, naturalem: ergo existit in nobis talis lex.

Ad Mai. — Factum illud a conscientia renuntiatum nequit negari quin pessumdetur omnis valor humanae intelligentiae. Iudicia haec intellectus noster pronuntiat tanquam veritates evidentes; dubium de illis naturaliter non admittimus: insuper, quum in normali suo statu et adiunctis intellectus noster haec pronuntiet, iure concludimus quemvis intellectum humanum eodem modo iudicare, quod experientia confirmatur. Obligationem illam conscii sumus urgere super nos etiam nolentes, et secum trahere sanctionem, siquidem approbatio et reprobatio quam de nostris respectivis actibus habemus movit nos etiam expectatione naturali praemii vel poenae futurae.

Ad Min. — Inibi est vera *lex* quia ordinatio rationis, siquidem sunt iudicia tum directiva actionum tum moraliter determinativa, secus enim non traherent secum obligationem: sunt item ad bonum commune totius familiae humanae, nam dum conscii sumus praecepta illa obligare ad bonum nostrum, illud bonum nostrum non concipimus tanquam de solo individuo iudicante, sed potius de quolibet membro humanae familiae: deinde sunt ab eo qui curam habet communitatis, quia obligatio eorum est super omnes homines, et quidem non a se ipsis,

quia vera obligatio nequit esse talis, et insuper urgent supra nos etiam nolentes; neque sunt a ratione nostra dictante quasi iure suo, quia ratio nequit nos iure suo obligare, quum non sit distincta persona; ergo sunt ab alio qui iurisdictionem habet super omnes homines: immo urget obligatio illa etiam quoad secreta cordium necnon ligans etiam cum iactura vitae, igiturque suprema est et ab eo solo qui secreta cordium iudicat et vitae dominus est: demum promulgata sunt illa iudicia, quia nobis, teste conscientia, manifestata.

*Divina* lex illa est, quia nemo nisi Deus habet ius obligandi super omnes homines, secreta cordium iudicat, et vitae dominus est, uno verbo, curam habet totius familiae humanae.

*Naturalis* etiam est: primo, quia ex universali, constanti et ineluctabili praesentia eorum iudiciorum in homine constat ea esse necessario in humana natura: unde procedunt a Deo obligante necessario; iam vero ordinatio status gratiae est secundum liberam Dei electionem, et ea quae, posita natura, necessario ordinat Deus, ordinat tanquam auctor naturae. Naturalis est sensu secundo, quatenus a facultatibus naturalibus et per media naturalia cognoscuntur illa iudicia in homine, quia oriuntur haec in homine quovis ex initiali usu suae rationis, ideoque sine ulla necessaria revelatione aut alio adminiculo supernaturali.

Arg. 2. — Ex intrinseca ratione. Lex aeterna ponit in homine determinationem actuum eius liberorum ad finem universi per obligationem homini manifestatam; atqui talis determinatio est lex divina naturalis: ergo existit in homine lex divina naturalis.

Ad Mai. — Ponit determinationem, quia haec determinatio est necessarius effectus aeterni decreti quo

Deus ordinat omnes actus et motus creaturarum; determinationem moralem seu per obligationem, quia ponit determinationem secundum naturam creaturae, et natura creaturae rationalis non admittit quoad actus suos liberos determinationem nisi moralem sine contradictione in terminis; per obligationem in homine manifestatam, quia sine tali manifestatione homo non moraliter determinatur: ex efficaci igitur illo decreto legis aeternae Deus posuit signum suae determinationis in natura humana, dedit huic naturae facultatem intellectivam qua potest homo legere evidentiam in illo signo, et dedit huic facultati tendentiam naturalem ad quaerendam illam evidentiam illique inventae assentiendum; inde securo sequitur haberi in homine cognitionem illius determinationis moralis.

Ad Min. — Est lex et quidem divina, quia lex ipsa aeterna passive inspecta in intellectu hominis cognoscente: naturalis, primo, quia illa determinatio est secundum naturam hominis et proinde necessario posita a Deo tanquam auctore istius naturae; secundo, quia habita in cognitione hominis ac activitate naturali suae facultatis super signum datum in ipsa humana natura.

Confirmatur. — Exstat testimonium universale, constans et uniforme omnium gentium et nationum (et quidem testimonium reluctanter redditum a pluribus eius testibus) quod detur in cognitione hominum lex morum proveniens ex aliquo superiore supra totum genus humanum, et quod detur secundum exigentias ipsius naturae, i. e. tum quia requiritur ad conservationem humanae naturae in ordine ad naturalem finem totius generis humani, tum quia ineluctabiliter invenitur in omni homine: atqui talis lex est lex passive inspecta, quia in cognoscente subdito; divina, ex legislatore nempe quem omnes agno-

scunt ut numen aliquod supremum; et quidem naturalis, tum quia naturaliter (siquidem universaliter et ineluctabiliter) cognita, tum quia proveniens secundum exigentias naturae et non ex dispositione aliqua addita gratiae: ergo... Cf. Ferretti, loc. cit.

Probatur B. — Est participatio legis aeternae in creatura rationali.

Arg. — Illud est participatio legis aeternae in creatura rationali, quod est pars ipsius legis aeternae passive habita in intellectu humano ex signo posito in ipsa humana natura; atqui huiusmodi est lex divina naturalis: ergo lex divina naturalis est participatio aeternae legis in creatura rationali.

Ad Arg. — Maior per se patet: minor constat ex secundo argumento supra dato pro prima parte thesis.

Ad Difficultates. — 1. Proprie lex active sumpta nequit esse ratio illius qui regitur; passive autem sumpta potest esse, in quo casu non vi sua imponit obligationem sed vi auctoris legis active inspectae, cuius auctoris ratio illius qui regitur est praeco.

2. Lex, eo quod dicitur naturalis, non involvit motum ex necessitate naturae, sicut in irrationalibus, sed secundum exigentias naturae rationalis, quae, utpote talis, simul libera est et exigit ut motus liber veniat secundum necessitatem moralem tantum. Datur quidem participatio legis aeternae in irrationalibus, quae movet ex physica necessitate naturae, sed haec participatio non denominatur lex naturalis, sed leges naturae.

3. Lex naturalis ordinat actus humanos ad finem et homo ipse sua ratione et voluntate eos ordinat, sed aliter et aliter: lex ordinat indicando per naturam humanam homini viam ad finem, homo sese dirigit legendo indicationem et movendo sese ad sequendum viam.

4. Ens irrationale non eximitur a lege, neque ens rationale, eo quod liberius est quam irrationale, ideo eximitur: utrumque subditur legi, irrationale legi physicae, rationale legi morali.

## SCHOLIA QUAEDAM DE LEGE NATURALI.

1. Conditor legis naturalis est ipse Deus, ut constat ex probatis, praeco denuntians eam est ratio hominis, subditus eius est proprie ipse homo, sed immediate descendit imperium, seu determinatio moralis, super voluntatem. Quaeritur quid sit lex naturalis secundum se ipsam inspectam? Ad responsum praenotandum est Deum posuisse in homine rationem seu facultatem rationalem; in ea ut ipsi connaturalem posuit tendentiam innatam ad necessario pronuntiandum iudicia practica moralia obligativa sed ob eorum evidentiam sive immediatam sive mediatam: huiusmodi iudicia sunt e. g. « parentes sunt amandi », « nemo occidendus est », « incestus non est faciendus », « nihil est furandum », etc. De immediata evidentia in ordine practico morali notandum est, quod ordo speculativus praecedat ordinem practicum et quod prima omnium principia rationalia per se evidentia sunt in ordine speculativo: unde quando dicitur principium primum in ordine practico non excluduntur sed potius praesupponuntur in ordine speculativo quaedam principia, quorum aliqua erunt per se evidentia et alia forte mediate evidentia in ordine illo: his praecognitis ab homine fit ipsi per se evidens primum principium in ordine practico.

Deus etiam posuit in homine voluntatem rationalem et in ea, ut ipsi connaturalem, tendentiam inclinantem

hominem ad obsequendum supradictis iudiciis practicis moralibus, non tamen ita ut non sit in potestate liberae voluntatis hominis resistere huic tendentiae et non sequi illa iudicia.

His praedictis quaesito respondemus legem naturalem secundum se inspectam formaliter consistere in iudiciis practicis moralibus universalibus: virtualiter consistere in ipsa facultate rationis: fundamentaliter in evidentia illorum iudiciorum, quae evidentia invenitur in natura humana secundum sua essentialia tum absoluta, tum relativa i. e. secundum relationes suas essentiales ad Deum, ad ceteras creaturas in mundo et cum his praesertim ad finem communem efficiendum in terris.

2. Differt lex naturalis a lege aeterna:

*a*) Quia lex aeterna est lex active inspecta; naturalis, passive.

*b*) Quia lex aeterna est aeterna; naturalis, temporalis.

*c*) Quia lex aeterna est divina speciatim quia in ipso Deo est; naturalis, divina quia a Deo procedit, ab Ipso ertur.

*d*) Quia lex aeterna est imparticipata; naturalis, eius participatio.

*e*) Quia lex aeterna se extendit ad omnem creaturam; naturalis limitatur ad creaturam rationalem.

*f*) Quia, uti infra probabimus, lex aeterna est suprema regula morum; naturalis, tantum proxima.

3. Differt lex naturalis a lege positiva:

*a*) Quia propria et immediata materia legis naturalis sunt actus intrinsece promoventes vel frustrantes finem efficiendum in terris; legis positivae, etiam actus qui non sunt tales.

*b*) Quia lex naturalis necessario fertur; positiva libere.

*c*) Quia lex naturalis est a Deo immediate et tamquam ab auctore naturae; positiva humana est a Deo tantum mediate, immediate autem ab homine; positiva divina, licet immediate a Deo, procedit tamen ab Ipso tamquam ab auctore gratiae.

*d*) Lex naturalis respicit necessario omnes homines universaliter; positiva non necessario omnes.

*e*) Lex naturalis, secundum infra probanda, est immutabilis; positiva non ita.

*f*) Lex naturalis, utpote procedens a Dei voluntate necessaria, manifestatur sola natura et ratione humana; positiva, quia libere fertur, necessario manifestanda est aliquo signo externo.

4. Differt lex naturalis a synderesi: – quia lex naturalis constat iudiciis moralibus practicis universalibus actualiter habitis; synderesis, qui est habitus primorum principiorum practicorum, continet tantum habitualiter principia prima practica moralia.

5. Differt lex naturalis a conscientia morali, quia lex naturalis constat iudiciis universalibus; conscientia moralis constat iudiciis particularibus, quibus applicatur individuis actibus in concreto principia illa universalia.

6. Obiectum materiale seu materia legis naturalis propria sunt actus humani secundum intrinsecam suam proportionem promotionis aut frustrationis ad finem ultimum Dei creantis efficiendum, quia haec proportio est fundamentum propter quod Deus interne et consequenter necessitatur ad praecipiendum vel prohibendum actus humanus. Unde:

*a*) Omnis actus humanus qui intrinsece proportionatur ad frustrandum illum finem est lege naturali prohi-

bitus, et quidem non tantum semper (quatenus semper in genere valet illa prohibitio), sed etiam pro semper (quatenus singulis temporis instantibus urget): ratio est quia actus intrinsece proportionatus ad frustrandum finem nequit ullo modo aut instanti non frustrare finem et proinde prohiberi.

*b*) Actus qui intrinsece proportionatur ad promovendum finem illum est in duplici differentia. Aliqui ita proportionati actus tales sunt ut eorum omissio necessario frustret finem: huiusmodi actus lex naturalis praecipit, et semper quidem, sed non pro semper, quia non est necessario verum eorum omissionem singulis momentis iterum atque iterum frustrare finem; totalis autem vel diuturna eorum omissio finem ita frustrat. Alii actus intrinsece proportionati ad finem promovendum tales sunt ut, licet eorum positio finem promoveat, eorum tamen omissio finem non frustrat. Huiusmodi actus lex naturalis positive permittit, i. e. ius homini tribuit eos ponendi; ita quidem quoad exercitium actus, quoad specificationem vero actus lex naturalis praecipit ut, si huiusmodi actus ponuntur, ob finem ultimum ponantur.

Unde positive contra legem naturalem est actus qui prohibetur; negative contra illam est omissio actus qui praecipitur. Positive de lege naturali est actus qui praecipitur; huiusmodi actus etiam dicitur esse de lege praecipiente: negative de lege naturali est actus qui a lege permittitur; huiusmodi actus etiam dicitur de lege permittente, de lege permissive vel concessive. Insuper si inter duos actus respectu eiusdem obiecti unus alio melior est (quatenus magis promovet finem ultimum efficiendum), hic actus cadit sub admonitione consilii, quatenus de bono meliore. Item actus permissus interdum habet in naturali conditione fundamentum suasivum ut fiat, licet a lege

naturali non praecipiatur; huiusmodi actus dicitur de lege naturali approbante, et communiter praecipitur postea a lege positiva humana.

Demum infra probabimus actum intrinsece proportionatum ad finem ultimum efficiendum etiam et idcirco esse actum intrinsece bonum fundamentaliter, et actum intrinsece proportionatum ad frustrandum finem esse intrinsece malum fundamentaliter: hoc posito, apparet differentia quaedam inter legem naturalem et legem positivam: etenim lex naturalis praecipit actum quia bonus est (intrinsece et fundamentaliter ut supra), et prohibet actum, quia pariter malus est; lex autem positiva facit actum quem praecipit bonum, quem prohibet malum et ideo actus praeceptus a sola lege positiva et nullo modo a lege naturali bonus est quia praecipitur, et pariter actus exclusive prohibitus a lege positiva malus est quia prohibetur.

7. Quum in executione finis sui ultimi efficiendi homo ex natura sua relationes habet ad diversa, possumus considerare subiectionem actuum humanorum ad legem naturalem secundum illas relationes essentiales. Unde

*a*) Quidam actus immediate respiciunt Deum, finem ultimum glorificandum: ex his ii quibus recedimus a Deo intrinsece proportionantur ad frustrandum finem efficiendum et proinde cadunt sub prohibitione legis naturalis. Ratio est quia effectio finis efficiendi essentialiter involvit accessum ad Deum, siquidem totus ille finis ordinatur ad Deum tanquam ad ultimum finem *cui*, itemque involvit Deum tanquam finem *qui* communicandum homini et iterum Deo referendum. Deinde actus per quos ita accedimus ad Deum eique adhaeremus ita ut eorum omissione recederemus a Deo, sunt ex eadem ratione intrinsece et

necessario promoventes finem et ideo lege naturali praecepti.

*b*) Quidam actus immediate respiciunt alios homines: ex his ii qui prosunt conservationi vitae socialis intrinsece proportionantur ad finem promovendum et per consequens lege naturali praecipiuntur vel permittuntur, prout eorum omissio obest illi conservationi vel non; actus qui obstant illi conservationi sunt proportionati ad frustrandum finem et prohibentur. Ratio est quia Deus dando homini naturam socialem indicat se includere in fine efficiendo productionem, conservationem et evolutionem perfectivam societatis humanae.

*c*) Quidam respiciunt entia irrationalia: ex his ii qui utuntur irrationalibus secundum suam rationem conservativam aut perfectivam vitae humanae, sive individualis sive socialis, sunt intrinsece proportionati ad finem ultimum efficiendum et vel praecipiuntur vel permittuntur lege naturali; ii autem qui utuntur irrationalibus eo modo vel mensura qua damnum faciunt humanae vitae, proportionantur ad frustrandum et prohibentur. Ratio est, quia Deus dando entibus irrationalibus naturam proportionatam ad humanae vitae inserviendum indicat se includere in adaequato fine efficiendo usum eorum ordinatum ad beneficium vitae humanae et excludisse usum deordinatum.

*d*) Quidam actus respiciunt corpus hominis et inferiores animae facultates: ex his ii qui dirigunt corpus et inferiores facultates in usum et beneficium facultatum superiorum seu specificarum, et ita ad specificam unitatem tendentiae naturae humanae, sunt proportionati ad finem et vel praecipiuntur vel permittuntur; ii autem qui ea dirigunt in damnum facultatum superiorum proportionati sunt ad frustrandum finem et prohibentur.

Ratio est quia Deus dando unitatem specificam naturae humanae indicat se includere in fine efficiendo usum omnium quae in illa natura sunt ad adiumentum activitatis facultatum specificarum et tendentiae specificae in illa natura.

**THESIS XII. — Deus legis naturalis perfectam sanctionem necessario statuit.**

Cf. Ferretti, thes. XLIX.

*St. Qu.* — Sancire legem est in genere eam sanctam seu inviolabilem reddere: in specie autem sanctio inspici potest aut active aut passive.

Active inspecta sanctio est decretum quo legislator determinat bonum seu praemium legem servantibus tribuendum et malum seu poenam violantibus imponendam.

Passive inspecta sanctio est ipsum praemium et poena ita determinata.

Sanctio haec passiva est perfecta, si sit proportionata bonitati vel malitiae actus observantis vel violantis, et simul sufficiens seu per se efficax ad voluntatem humanam in custodia legis retinendam.

Sanctio passiva imperfecta est, si deficit ab una aut altera aut ab utraque ratione supra indicata.

Finis operis in sanctione est efficaciter providere legi servandae, et consequenter ad ordinem communitatis sustentandum. Ordo hic est habitudo omnium subditorum per actus suos ad bonum commune communitatis. Distinguitur triplex talis ordo, individualis nempe, socialis et universalis. Ordo individualis habetur quando omnes facultates, actus et relationes in homine proportionantur ad communem finem totius individui: in hoc ordine in-

veniuntur aliquae sanctiones legis, quales sunt approbatio conscientiae aut remorsus, integritas animi et corporis vel eorum morbi, libertas a iugo concupiscentiae vel subiectio ad illud. Ordo socialis in eo sistit quod omnes cives respectu eorum iurium et officiorum proportionantur ad commune bonum civitatis: in hoc ordine sanctiones sunt fruitio iurium et bonorum vel eorum amissio, fruitio prosperitatis socialis tum domesticae tum civilis vel eiusdem amissio aut perturbatio. Ordo universalis seu simpliciter moralis, in eo stat quod homines iuribus, officiis et actibus suis proportionantur ad finem Dei creantis efficiendum et proinde in statu iustitiae respectu Dei Creatoris. In hoc ordine sanctio est, ut in subsequenti thesi probabimus, possessio vel privatio beatitudinis perfectae. Lex naturalis proxime et principaliter respicit ordinem universalem et tantum mediate et secundario ordinem socialem et individualem.

Sanctio primario dirigitur ad ordinem conservandum contra perturbationem: secundum hanc rationem inspicitur antecedenter ad liberum actum hominis sive observantis sive violantis legem. Secundario dirigitur ad ordinem restituendum quando iam perturbatus est: hoc sensu inspicitur consequenter ad actum hominis liberum per quem ordo turbatur.

Sanctio est aut remunerativa aut poenalis, et si poenalis, aut medicinalis aut vindicativa. Remunerativa sanctio tribuit praemium legem servanti, poenalis imponit poenam violanti. Poenalis est medicinalis in quantum tendit ad subditos retrahendum a violatione legis: quod fieri potest tripliciter: primo, antecedenter ad actum hominis puniendi, quatenus comminatio poenae est medicina praeservativa a violatione; secundo, consequenter ad actum violativum, quatenus reus punitione sit deterrendus ab

iterata violatione; tertio, respectu aliorum, quatenus per exemplum punitionis in uno alter sit deterrendus, qua ultima ratione sanctio vel poena dicitur exemplaris. Sanctio vindicativa est quatenus tendit ad redintegrandum ordinem iustitiae imponendo supra violatorem legis malum proportionatum malo facto per violationem sive alteri subdito sive communitati sive legislatori. Haec vindicatio est conditionate volita a legislatore antecedenter ad actum liberum hominis violantis, absolute volita consequenter ad illud.

Probandum est in thesi Deum necessario addidisse legi naturali decretum quo perfecta habeatur sanctio eius.

Arg. — Legislator sapiens et iustus necessario decernit motiva humanae voluntati sufficientia et iusta ad custodiam legis; atqui Deus est sapiens et iustus legislator legis naturalis, et motiva illa sufficientia et iusta constituunt sanctionem perfectam: ergo Deus decrevit legis naturalis sanctionem perfectam.

Ad Mai. — Sapiens qui vult finem necessario vult media sufficientia: finis legislatoris est custodia legis ab humana voluntate, media sufficientia ad illam custodiam non sunt nisi motiva voluntatis, siquidem haec, utpote libera, non movetur nisi motivis, i. e. bono obtinendo aut malo vitando; ergo sapiens legislator necessario decernit motiva sufficientia. Iustus autem legislator necessario vult ordinem iustitiae non tantum servari sed etiam redintegrari, si fuerit turbatus; nonnisi autem per bona vel mala imposita proportionate ad bonum vel malum factum ab observante vel violante legem redintegratur ordo iustitiae; ergo iustus legislator necessario decernit bona et mala ita proportionata, seu iusta, tanquam motiva supra in sua sapientia requisita.

Ad Min. — Quod Deus sit legislator legis naturalis

constat ex thesi praecedenti; quod sit sapiens et iustus praesupponitur: quod motiva servandi legem constituunt sanctionem, et quod motiva sufficientia, i. e. de se efficacia, et ceteroquin iusta, constituunt sanctionem perfectam constat ex definitione utriusque.

Confirmatur. — Quia secus creatura rationalis a lege et ab auctoritate Creatoris totaliter se subtrahere posset: sed stante sanctione, licet a lege praecipiente et vetante se subtrahat, sub lege, prout taxativa est, adhuc manet efficaciter ligata.

*Ad Difficultates.* Notanda: 1. Ad rationem perfectae sanctionis non requiritur ut sit effectiva, quia subditus semper manet physice liber ad violandum legem; sed sufficit ut sit de se efficax, i. e. talis, qualis vim motivam habet proportionatam ut inducat subditum quantum possibile sit, salva eius libertate, legem servare.

2. Proportio poenae debet esse ad essentialem malitiam violationis legis, et haec sufficiet, si forsan impossibile sit augere poenam ultra ad accidentale augmentum malitiae in violante. Ita, exempli gratia, sub humana lege, mors homicidae est proportionata poeua pro homicidio in llo qui unum tantum hominem occidit, licet maior poena non sit in promptu pro illo qui decem alios occiderit.

**THESIS XIII. — Perfecta legis naturalis sanctio respicit vitam futuram et in beatitudine perfecta tribuenda aut deneganda consistit.**

Cf. Ferretti, Thes. I.

*St. Qu.* — Pronum est expectare in hac vita aliquam legis naturalis sanctionem. Praemium enim et poena totaliter dilata non essent, considerata hominum

natura, de se efficacia ut voluntas hominis cohiberetur intra legis naturalis limites: ratio est quia homo animalis naturae est et absentia animal non afficiunt sicut instantia; insuper ex experientia scimus hominem inclinatum esse futura et absentia extenuare et ita sanctionis totaliter dilatae vim minuere. Talem deinde sanctionem in hac vita dari scimus ex experientia, approbationem nempe conscientiae et remorsum, morbos animi et corporis qui naturaliter consequuntur ex excessibus hominum et integritatem animi et corporis consequentem moderatum et ordinatum modum vivendi, aestimationem, famam et auctoritatem, contemptum, infamiam et moralem apud homines impotentiam; insuper pacem prosperitatemque socialem, bella et socialem miseriam.

Haec vero omnia sunt primario in ordine aut individuali aut sociali et secundario tantum in ordine universali. Movetur in thesi quaestio utrum haec constituant sanctionem perfectam, et si non, quid sit illud in ordine universali quae perfectae sanctionis rationem habeat.

Probatur A. — Perfecta sanctio respicit vitam futuram.

Arg. — Perfecta sanctio aut habetur in praesenti vita aut respicit futuram; atqui non habetur in praesenti vita: ergo...

Maior constat ex praecedenti thesi.

Ad Min. — Sanctio in hac vita neque sufficiens est neque iuste distributa: ergo non perfecta. Non est sufficiens, quia ad talem sufficientiam praemia et poenae huius vitae excedere debent cuncta alia emolumenta vel detrimenta quae homo sibi praestare potest tanquam motiva contra observationem legis; atqui non excedunt, ut constat quando homo in angustiis est ubi per violationem legis possit salvare vitam suam, vel omnia sua bona liber-

tatis, famae et fortunae, atque observando legem omnium illorum iacturam necessario patiatur. Non iuste distributa, quia in hac vita saepius accidit ut legem observantes plura et peiora mala cum paucioribus et minoribus bonis in sortem suam suscipiant quam legem violantes, et in his violantibus poena etiam remorsus, exempli gratia non crescat prout augeatur malitia suae vitae sed haud raro minuatur. Quod confirmatur communi consensu, nam etiam inter paganos antiquitus notatum fuit bona et mala in hac vita secundum iustitiam non distribui.

Probatur B. — Consistit in beatitudine perfecta tribuenda aut neganda.

Arg. — *α*) Quoad praemium. Praemium in sanctione perfecta legis naturalis necessario illud bonum est quo legem observanti tributo ordo iustitiae impletur, quo non tributo deficit ille ordo; atqui huiusmodi bonum est perfecta hominis beatitudo: ergo est praemium in perfecta sanctione.

Ad Mai. — Secus non est sanctio iusta.

Ad Min. — Homo per totam suam vitam in terris legem naturalem perfecte servans iam efficit finem relative ultimum Dei ipsum creantis et proinde posuit medium efficax in ordine meriti ad beatitudinem perfectam habendam; atqui posito merito beatitudinis, tributa homini beatitudine ordo iustitiae impletur, ea non tributa ordo ille deficit: ergo...

Ad Probationem. — Maior constat ex comparatione thesis XI de lege naturali cum thesi IX de fine hominis relative ultimo. Re quidem vera Deus hominem ad beatitudinem proportionando et in eius natura ponendo tendentiam in illam, seu naturale illius desiderium, implicitam et virtualem promissionem homini dedit illam habendi. At Deus onus legem naturalem servandi simul

posuit supra hominem, et addendo in homine naturalem exspectationem habendi beatitudinem, si servaverit legem illam, connectionem inter observantiam legis et beatitudinem habendam clarissime indicavit. Unde habetur implicita Dei promissio tribuendi beatitudinem, impleta conditione onerosa ab ipso posita. Huiusmodi autem promissio ius in homine fundat ex iustitia vera, licet imperfecta, ad beatitudinem ob servatam legem naturalem: qua conditione impleta, et data beatitudine, servatur ordo iustitiae; qua impleta, et non data beatitudine, deficit iustitiae ordo.

*b*) Quoad poenam. Poena in sanctione perfecta necessario est malum aequale in mensura ad bonum praemii; atqui solum malum in mensura aequale praemio beatitudinis est privatio eiusdem: ergo poena in perfecta sanctione legis naturalis est privatio beatitudinis.

Ad Mai. — Malum factum in violatione legis est privatio boni facti in eius observatione; unde poena proportionata illi malo in mensura aequale esse debet cum praemio proportionato illi bono cuius privatio habetur in malo puniendo. De facto est aliqua ratio largitionis in praemio beatitudinis quae videtur officere valori argumenti; sed quum haec largitio sit data propter conditionem onerosam impletam, deficiente conditione in malefactore, iustum est ut hic illa largitione privetur, qua privatione habetur aequalitas in mensura cum praemio. Re vera in ordine generali quem Deus constituit in terris, quum possessio beatitudinis sit naturale complementum legis naturalis observatae, privatio beatitudinis debet esse naturale complementum legis violatae.

*Scholion.* — De ratione perpetuitatis in poena amissae beatitudinis.

Praemium sanctionis perfectae respectu legis natu-

ralis est beatitudo perfecta, beatitudo autem non est perfecta nisi simul sit perpetua, unde perpetuitas in praemio facile constat: ex paritate, quale praemium seu sanctio remunerativa, tale debet esse poena seu sanctio poenalis; unde etiam perpetua. Haec perpetuitas poenae offendit non paucos inter acatholicos. Dicunt enim, quum poenalis sanctio in altera vita non amplius sit medicinalis aut exemplaris, deesse rationem cur sit perpetua: cui responsum in promptu est; poena illa non fuisset antecedenter seu praeventive medicinalis, si non esset futura perpetua; insuper et praecipue, ratio perpetuitatis non procedit tantum ex medicinali et exemplari sed etiam ex vindicativa ratione poenae, ut redintegretur ordo iustitiae stabilitus a Deo inter hominem et ipsum, atque ab homine legem violante turbatus. Addunt iniustum esse perpetuo punire actum inobedientiae momentaneum: sed non ita est, quia gravitas offensae non est mensuranda ex duratione actus sed ex bono quod offendens homo subtraxit, et ex dignitate Dei qui ita postponitur creaturae; homo enim qui recusavit medium necessarium ad finem nequit unquam possessionem finis iuste postulare, et illa praecisa gloria quae per offensionem fuit Deo negata postea nequit ullo modo reddi, cui negationi perpetuae proportionata poena est perpetua privatio finis ultimi seu beatitudinis. Subsumunt repugnare divinae bonitati desiderare vindictam; sed Deus non propter se ipsam vult vindictam sed propter generis humani bonum commune, quod postulat ut legi naturali imponatur sanctio efficax et proportionata. Insuper Dei bonitas obstare nequit quominus amet ordinem iustitiae eumque redintegrare decernat, quae redintegratio, ut diximus, poenam invocat perpetuam. Demum quomodo potest etiam bonitas Dei

homini iuste tribuere bonum cui homo iam suo actu se reddidit ineptum et improportionatum.

Neque dici potest sufficientem sanctionem poenalem haberi in annihilatione hominis, quia annihilatio est contra naturam a Deo positam in homine, et frustraret totaliter intentum Dei ut perpetua haberet aliqua gloria externa ex illa creatura. Neque solutio haberi potest proponendo correctionem hominis in altera probatione, quasi daretur post mortem secundus status viae. Nam ita daretur series probationum aut indefinita aut definita: si indefinita, deficeret efficacitas sanctionis: si definita, illa series debet aut continuare usque dum resipuerit homo, aut ex lege habere exigentiam ut sit aliquis terminus probationum determinatus independenter a resipiscentia hominis: si determinatus independenter sit terminus, tandem aliquando habemus perpetuam poenam, quin difficultas amoveatur per hanc gratuitam assumptionem plurium successivorum statuum viae; si sumatur alterum suppositum, primo gratis prorsus asseritur, quia nulla sufficiens ratio afferri potest cur Deus alteras illas probationes dare debeat; secundo, nulla est certitudo omnes homines malos unquam habituros esse resipiscentiam; tertio, quam plurimi emendationem suam ad alteram vitam different et ita actum esset de morali ordine in hac vita.

Demum perpetuitas haec poenae inspici potest tanquam quaestio de iure, aut tanquam quaestio de facto *de iure* perpetua debet esse haec poena, ut sanctio legis naturalis sit perfecta, i. e. iusta et de se efficax; *de facto,* utrum sit perpetua in omnibus et singulis casibus est quaestio theologica, cognoscenda non ex naturali sola ratione, sed ex revelatione, et in theologia respondetur affirmative: philosophice certum est perpetuitatem non posse in universum abrogari, neque derogari in illis ad-

iunctis in quibus essentialis integritas finis sanctionis deficeret.

*Ad Difficultates.* — Notanda. 1. Praeter ea quae afferuntur supra in scholio obiicitur beatitudinem de facto legem naturalem non efficere inviolabilem, ut tristissime constat ex historia mundi, et licet non opus sit ut sanctio perfecta sit effectiva, saltem meliorem effectum habere debet, quam beatitudo efficit.

℟. Sed beatitudo est maius bonum (et proinde fortius motivum) quam tota summa bonorum quae homo legis violatione obtinere potest, et privatio eius est maius malum quam tota congeries malorum quae propter legis observantiam homo in hoc mundo pati potest: unde ex natura rei dari nequit, salva humana libertate, sanctio magis efficax.

2. Urgetur: Merita hominum observantium legem sunt diversa, itemque demerita violantium; idem autem est praemium in beatitudine data, eadem poena in eius privatione: quod est contra proportionem iustitiae.

℟. At licet beatitudo eadem est essentialiter in omnibus beatis, accidentaliter variari potest secundum merita hominum; pariter licet privatio ipsa stet in indivisibili quoad beatitudinem essentialem, tamen si conscii sint homines de privatione etiam quoad diversas rationes accidentales beatitudinis, non videtur repugnare poenam posse ita augeri secundum demerita, sicut possessio variatur secundum merita. Ceteroquin, in sententia eorum qui censent restitutionem corporis esse convenientem, in corpore restituto dari possent diversi gradus dolorum sensibilium; qui de facto dabuntur in termino ordinis supernaturalis et denominantur poena sensus in contradistinctione ad privationem beatitudinis, quae nuncupatur poena damni.

**THESIS XIV. — Obligatio legis in suo effectu formali stat in determinatione aut ad legi obsequendum aut ad reatum culpae et poenae contrahendum: efficienter autem procedit legis naturalis obligatio immediate ex divina voluntate.**

Cf. D. Thom., Qu. Disp., De Verit., q. 17, aa. 3 et 4; Suarez, De Leg., lib. 1, c. 14, n. 4, et c. 17, n. 3; Ferretti, thes. 46.

*St. Qu.* — Obligatio in genere, secundum sensum communem, est *quaedam* necessitas moralis et praedicatur tanquam connexa cum omni lege iusta: quaeritur in thesi qualis moralis necessitas sit, et quomodo connectatur cum lege seu ex qua causa efficiente proveniat.

Necessitas est in genere determinatio ad unum: determinatio dicit influxum causae aliquomodo efficacis; determinatio ad unum est influxus causae efficacis respectu unius effectus, ita deinde ut effectus ille aliquomodo nequeat non sequi. Duplex est:

Necessitas physica, quae est determinatio simpliciter et absolute ad unum effectum, quae proinde fit ex absolute indefectibili efficacitate causae, sive extrinsecae, sicut in coactione, sive intrinsecae, sicut in intellectu assentiente veritati sub influxu evidentiae.

Necessitas moralis in genere et in contradistinctione ad definitionem necessitatis physicae definitur determinatio secundum quid et conditionate ad unum effectum, i. e. determinatio ad unum effectum, ut aliud, quod includitur tanquam conditio etiam habeatur aut evitetur; causa enim indefectibiliter producit illum effectum (qui dicitur necessitatus moraliter) indefectibilitate conditionis, i. e. ut secus habeatur alter determinatus effectus, qui

de facto non sequeretur, nisi deficiat prior effectus, et quidem ita ut non necessitaretur posterior effectus nisi intuitu alterius per alternationem necessarii. Pressius autem praedicatur de necessitate exercita supra voluntatem liberam, salva eius libertate: unde quum sit super voluntatem, prior terminus est aliquis determinatus actus voluntatis; et quum sit, salva libertate, licet causa determinans sit antecedenter efficax efficacitate causae, datur alter terminus tanquam effectus alternative determinatus. Hinc necessitatem moralem iure possumus definire determinationem ad unum ex duobus, quorum unum est determinatus aliquis actus liber, et alterum est determinatus aliquis effectus ob defectum illius actus liberi hominem afficiens et ex vi causae necessitantis. In casu legis, ubi proprie habetur obligatio, terminus prior illius necessitatis est actus liber legi obsequens; terminus alter aliquomodo in controversia est; etenim plures effectus necessario consequuntur violationem legis: nos in thesi asserimus terminum alterum seu illum effectum necessarium qui cum termino obsequii constituit ipsam specificam determinationem quae est obligatio esse reatum culpae et poenae. Hic est sensus prioris partis thesis.

Reatus in genere est imputabilitas alicuius effectus ex actu moraliter malo.

Reatus culpae est offensa imputabilis ob actum malum. Offensa vero in genere est, dicit D. Thomas, « inaequalitas quaedam qua unus alteri substraxit quod debitum erat ». Debitum autem est cuivis quidquid suum est. In materia legis actus imperatus a lege iuridice pertinet (cum bono proveniente ex ipso) ad legislatorem, vel ratione sui vel ratione communitatis cuius curam habet. In quaestione de lege naturali legislator, Deus, creavit omnes creaturas et tum ipsae tum omnes earum actus

Ipsius sunt; posuit in potestate physica hominum omnes suos actus humanos; eosdem posuit in potestate morali hominum (seu hominibus communicavit ius super illos) sed cum restrictione ad obsequium versus legem naturalem: quando igitur homo ponit actum humanum secundum legem naturalem, exercet ius suum a Deo concessum, seu ponit actum qui suus est tum physice tum moraliter: quando autem violat legem, infringit ius Dei seu ponit actum qui, licet physice suus est, moraliter non est, sed assumptus ultra concessionem iuris ipsi a Deo factam; ita facit iniuriam Deo et producit inaequalitatem ordinis iustitiae subtrahendo a Deo id quod Deo debitum est, seu libere facit offensam contra Deum et proinde reatum eiusdem contrahit. Immo et haec offensa est personalis: etenim quicunque personam aliquam digniorem indigniori, sive personae sive rei, postponit, iniuriam personalem ei facit, et tanto amplius quanto persona offensa est dignior. Quicunque autem in re creata finem absolute ultimum sibi constituit, quantum ad affectum suum praeponit creaturam Creatori, diligens plus creaturam quam Creatorem; finis enim ultimus est bonum quod maxime diligitur. Iam vero violans legem naturalem ponit finem suum ultimum in aliqua re creata, violatio enim illa nequit esse medium ad Creatorem, et proinde postponit Creatorem creaturae et facit Deo iniuriam personalem.

Reatus poenae est imputabilis exigentia ut quis physicum malum patiatur in ordine ad restituendum aliquo modo aequalitatem turbatam per boni subtractionem quod alteri debitum est. Hic reatus est necessario consequens reatum culpae, uti per se constat: unde ex dictis patet unum effectum consequentem violationem legis naturalis esse reatum tum culpae tum poenae respectu Dei.

Determinatio efficienter procedit immediate ab aliqua causa, quando inter hanc causam et formalem determinationem non intervenit alia ulla causa quae vi sua propria determinat: mediate procedit ab illa causa inter quam et formalem determinationem intervenit alia causa efficiens quae vi sua propria determinat. In casu legis naturalis asserimus in thesi immediatam causam efficientem obligationis esse voluntatem Dei legislantis: non asserimus volitionem illam esse liberam consequenter ad creationem humanae naturae prouti est, sed admittimus adesse aliam causam determinantem, mediatam tamen, scilicet naturam divinam, ob necessarium nexum inter actum imperatum et ultimum finem a Deo intentum efficiendum, gloriam eius externam formalem specificam: hoc enim est fundamentum propter quod Deus sua natura necessitatur ad imperandum illum actum.

Contra thesim sunt: *A*) Quoad primam partem thesis sunt qui tenere videntur formalem effectum obligationis esse necessitatem ad obsequendum legi aut incurrendum amissionem simpliciter ultimi nostri finis *qui* obiectivi, Dei nempe, infiniti boni, licet non in quantum sit bonum nobis sed qua bonum simpliciter in se: ita apud Cathrein, ubi tamen tandem aliquando definitur obligatio cum respectu ad displicentiam et offensam Dei. Cf. Cathrein, Phil. Mor., n. 216.

*B*) Contra alteram partem stant: — Primo, Kant cum Rationalistis qui ponit rationem humanam autonomam tanquam proximum principium vi sua efficiens legis naturalis obligationem. Cf. Kant, Metaphys. Morum, sect. 2, et Introd. ad Metaphys. Morum, sect. 4.

2. Moralistae, uti vocantur, Independentes, qui docent hominem esse immunem ab omni obligatione mo-

rali naturali, et primam super ipsum obligationem descendere a lege civili.

3. Evolutionistae, qui ponunt principium obligationis in humana natura prout in praesenti stadio suae evolutionis necessariae constituta, et explicant ideam obligationis inter homines tanquam ortam ex timore sanctionum poenalium gradatim suggerente ex associatione idearum conceptum necessitatis extrinsecae ad evitandas omnes actiones intrinsece malas. Ita Herbert Spencer. Cf. Spencer, Data of Ethics.

4. Vasquez qui admittens obligationem procedentem ex divina voluntate in ratione ordinantis, aliam huic praecedentem esse autumat obligationem naturalem provenientem ex intrinseca convenientia vel disconvenientia inter actum et naturam rationalem. Attamen contra ipsum tenemus nihil esse in illa convenientia vel disconvenientia quod imponit necessitatem ullam super voluntatem nostram, licet in ipsis inveniri possit criterion obiectivum quo diiudicamus actum conformari cum fine a Deo intento efficiendo, vel ab hoc difformari, quod quidem est fundamentum praecepti, et deinde certi sumus actum subiacere praecepto.

Probatur A. — De Formali Effectu Obligationis.

Arg. 1. Formalis effectus obligationis est necessitas ad legi obsequendum aut per alternativum vel ad amittendum finem (ultimum) vel ad contrahendum reatum culpae et per consequens reatum poenae: atqui formalis terminus alternativus non est finis amissio: ergo est reatus culpae et poenae et proinde obligationis effectus formalis est necessitas ad legi obsequendum aut reatum culpae et poenae contrahendum.

Ad Mai. — Obligationem admittunt omnes esse determinationem seu necessitatem aliquam voluntatis re-

spectu actus humani: non simpliciter et absolute ad unum, quia actus humanus sub obligatione manet physice liber; ergo ad aliquid tanquam alternativum, secus vera determinatio seu necessitas dici nequit; non enim sufficit illam determinationem simpliciter influere intentionaliter per motivum, quia quum motivum non necessitet, talis influxus nequit formaliter dici necessitas. Iam vero inter effectus multiplices, qui sequuntur ex recusatione actus humani in quem primo descendit obligatio, nullus satis proximus est ut considerari possit tanquam formalis terminus, nisi aut amissio finis aut contractio reatus.

Ad Min. — Illa separatio a fine connectionem habet cum actu non obsequendi legi aut physicam aut moralem seu demeriti: atqui, si physicam finis amitteretur per defectum obsequii independenter ab obligatione et proinde nequit esse formalis effectus obligationis; si moralem seu demeriti, prior est effectus reatus culpae in homine quam ratio demeriti, et id quod prius contrahitur est effectus formalis potius quam id quod posterius sequitur ex causa, quum effectus (seu terminus) formalis necessitatis debet esse immediatus.

Arg. 2. Obligatio venit ex iurisdictione legislatoris; atqui proximi et proinde formales effectus alternativi necessitatis procedentis ex iurisdictione sunt aut habere actum qui secundum ius legislatoris postulatur (obsequium legi factum) aut imputare agenti iniuriam contra ius legislatoris factam ab agente qui denegat actum postulatum (en reatus culpae et per consequens poenae!): ergo.....

Confirmatur. Nam ita communi sensu inter homines intelligitur in genere ratio obligationis, uti facile constat in casu legis civilis, ubi omnes censent agentem necessitari formaliter vi obligationis aut ad actum praeceptum

ponendum aut ad contrahendum reatum culpae et poenae penes legislatorem vel executorem legum. Unde bene definitur obligatio legis a Patre Bucceroni « necessitas quaedam moralis, exorta ab ipsa lege, ita vel aliter agendi, ut quis agat honeste, h. e. citra omnem culpam et poenam contrahendam ». Cf. Instit. Theol. Mor., vol. 1, n. 202.

Probatur B. — Immediate ex divina voluntate procedit.

Arg. 1. Illud est immediatum principium efficiens obligationem, cuius influxu posito statim existit obligatio, cuius influxu dempto, non existit; atqui influxu divinae voluntatis habito, statim existit obligatio legis naturalis eo dempto non existit: ergo divina voluntas est immediatum principium efficiens obligationem legis naturalis.

Ad Mai. — Si obligatio non habetur sine influxu alicuius, hoc aliquid est principium efficiens; si autem habetur statim post influxum illum datum, est principium immediatum.

Ad Min. — Primo, quod existit vel non existit obligatio legis naturalis secundum influxum divinae voluntatis, probatur. Statim existit obligatio quando fit determinatio alternative ad actum aut ad imputabilem offensam per inobedientiam; atqui influxu voluntatis Dei, Domini Supremi actuum humanorum, decernentis legem naturalem, habetur illa determinatio, dempto illo influxu non habetur: ergo.

Ad Mai. — Constat maior ex definitione obligationis iam statuta in prima parte thesis secundum explicationem reatus datam in statu quaestionis.

Ad Min. — Offensa est inaequalitas facta eo quod agens liber aliquid subtrahit quod personae offensae debetur, et imputabilis est per consequens libero agenti: in casu legis naturalis id quod debetur, Deo debetur, et

est actus humanus (cum gloria formali in illo involuta) supra quem Deus ius sibi reservavit: debitum autem qua debitum non subtrahitur, nolente domino; si non nolit dominus, res ceditur, non subtrahitur contra debitum, et proinde nonnisi nolente domino, habetur inaequalitas debiti, quae constituit offensam. Iam vero posito influxu voluntatis Dei ordinantis hominem per legem naturalem habetur nolitio Domini circa actus qui cadunt sub lege, ablato illo influxu, non habetur nolitio Domini: ergo..... Re vera statim vi sua ex illa nolitione habetur determinatio ad offensam: non vi rationis humanae, quae est tantum conditio communicantis nolitionem homini et est praeco tantum divinae virtutis neque habet ipsa vim obligandi propter defectum distinctionis suppositi inter rationem et hominem aut eius voluntatem. Neque sine nolitione illa formaliter habetur obligatio vi convenientiae vel disconvenientiae humani actus cum natura rationali, quia haec non determinat ad offensam; neque ex nexu necessario inter actum et finem, quia neque hic ita determinat. Etenim non obstante illo nexu offensa non habetur nisi consequenter ad dictamen divinae voluntatis respectu illius actus, siquidem antecedenter, licet ponatur illud quod Dei est, non subtrahitur quod hic et nunc Deo debetur. Nam Deus de suis dando voluntatem liberam homini dedit ipsi potestatem ponendi actum prout lubet, et per exercitium illius libertatis homo non subtrahit a Deo aliquid, sed utitur illo quod a Deo conceditur; considerata tamen restrictione posita a Deo super hunc usum, seu posito dictamine divinae voluntatis – Deus enim per suum supremum dominium retinet potestatem imperandi - si non ponatur ab homine actus a Deo imperatus, homo subtrahit aliquid hic et nunc Deo debitum, et exinde oritur inaequalitas debiti.

Arg. 2. Ex divina voluntate immediate principiatur vis motiva legis aeternae; atqui obligatio legis naturalis non est nisi vis motiva legis aeternae prout haec applicatur hominibus in vita sua super terram: ergo obligatio legis naturalis immediate principiatur ex voluntate Dei.

Ad Arg. Maior et minor constat ex comparata natura legis aeternae cum lege naturali, quae uti probavimus, est participatio legis aeternae in creatura rationali.

*Ad Difficultates.* — Notanda. 1. Iudicia practica moralia rationis humanae constituunt legem naturalem et proinde secum trahunt obligationem, at non vi rationis humanae productam sed vi decreti divini.

2. Quod Deus ad legem naturalem decernendam necessitatur (necessitate consequenti) non derogat de facto quod sit decernens Dei voluntas quae obligationem faciat, neque tribuit fundamento propter quod necessitatur, neque exigentiae suae naturae qua necessitatur, vim obligandi sine Dei decreto.

**THESIS XV. — Lex naturalis neque ab intrinseco neque ab extrinseco mutari potest, i. e. stante natura humana quidquid praecipitur lege naturali nequit non praecipi, quidquid vetatur nequit non vetari.**

Cf. D. Thom., 1, 2, q. 94, a. 5; Suarez, De Leg., lib. 2, c. 13 et lib. 1, c. 20; Ferretti, thes. XLII.

*St. Qu.* — Agitur in thesi de immutabilitate tanquam de legis naturalis proprietate proprie dicta, scilicet de attributo quod inest non tantum omni eius praecepto sed quod inest solis illis, siquidem non invenitur in lege positiva, quamvis haec debeat esse saltem stabilis. Haec

immutabilitas praedicatur in thesi de lege praecipiente et prohibente, sed non de lege permissiva, de qua dicemus aliquid in scholio infra.

Mutatio legis, seu transitus eius ab uno statu determinationis in alium, habetur quando in illa lege aut additur aut demitur sive praeceptum sive prohibitio.

Mutatio ab intrinseco habetur quando ex superveniente deficientia alicuius rationis essentialis in ipsa lege, prout significative aut passive inspecta, aliquid prius praeceptum aut vetitum cessat esse tale, sicut e. g. quando praeceptum aut vetitum alicuius legis transitu temporis non amplius operatur ad bonum commune sed contra illud et deinde fit iniustum et cessat habere rationem legis. Agitur hic solummodo de *deficientia* praecepti et prohibitionis, quia nulla mutatio obiectiva potest *addere* quidquam legi sine novo decreto legislatoris.

Mutatio ab extrinseco quando habetur ex superveniente actu auctoritativo alicuius superioris, i. e. alicuius iurisdictionem super subditum habentis (sive sit ipse legis lator, sive sit alter). In hoc casu respectu legis naturalis nulla est quaestio de praecepto aut lege positiva quae non revocat aliquid in lege naturali, quia in illo casu habetur mera additio alterius legis, manente integra lege naturali, et est de natura legis naturalis ut possit per positivam legem definiri aut perfici, sicut quando legi naturali iubenti cultum externum Deo exhibendum divina lex positiva addit eum exhibendum esse die Dominica, qua additione definitur prius preceptum; aut quando legi naturali vetanti nos periclitari vitam proximi lex civilis addit praeceptum contra explosionem armorum in viis civitatis. Unde quaestio est etiam in mutatione extrinseca tantum de revocatione praecepti aut prohibitionis

legis naturalis, seu uti dicitur de mutatione legis per ablationem. Mutatio extrinseca tripliciter fieri potest:

*a*) Per abrogationem, quando tota lex et quoad omnes revocatur.

*b*) Per derogationem, quando aliqua tantum pars legis aufertur.

*c*) Per dispensationem, quando, perseverante lege quoad ceteros, aliqua persona excipitur ab eius applicatione.

Distinguenda est formalis mutatio legis a materiali legis mutatione, quae vere non est mutatio legis sed mutatio in materia legis.

Mutatio materialis legis habetur, quando, perseverante ipsa lege, actus humanus, quae est materia eius, non manet formaliter idem secundum eam rationem propter quam cadit sub lege, sed tantum materialiter: ita actus aliquis humanus, qui apparet esse idem, quia materialiter talis est, factus formaliter diversus potest non amplius cadere sub praecepto vel prohibitione legis, quin ullo modo lex mutetur.

Mutatio formalis legis habetur quando, eodem formaliter, secundum rationem propter quam sub lege cadit, manente actu humano, lex mutatur; in tali mutationi ille idem formaliter actus semel vetitus fit non vetitus aut vice versa, vel semel praeceptus fit non praeceptus vel vice versa.

Actus humanus formaliter idem est secundum rationem propter quam cadit sub lege, quando retinet eamdem relationem repugnantiae aut proportionis ad bonum commune legis non tantum secundum ea quae essentialia sunt ad omnem humanum actum sed etiam secundum integram suam rationem in obiecto adaequato (includendo igitur remotiores effectus voluntarios), in fine agentis et in suis circumstantiis.

Actus humanus materialiter tantum idem actus est secundum rationem propter quam sub lege cadit, aut quando cessat ob aliquem defectum esse actum humanum, licet maneat idem actu hominis physicus; aut quando manens actus humanus non includit in suo obiecto adaequato, fine agentis et circumstantiis omnia illa elementa quae fundant relationem repugnantiae aut proportionis ad bonum commune legis. Ita homicidium factum ab homine demente et ab homine sano est idem actus hominis physicus sed non est humanus in utroque casu: ablatio rei alienae invito domino est idem actus humanus materialiter sed non formaliter cum ablatione rei alienae consentiente domino: facere incendium suae domus cum periculo incendii aedium proximi est tantum materialiter idem actus humanus cum incendio tali, proximi periculo obviato: et similia. Constat actum humanum ita mutatum ut careat illa praecisa ratione propter quam ceciderit sub praecepto aut prohibitione, non amplius cadere sub eodem: si tamen sit mutatus sed non secundum illam rationem, patet actum eodem modo manere sub lege.

Contra thesim sunt: — *a*) Occam et sui sequaces qui faciendo legem naturalem pendere a voluntate Dei libera etiam consequenter ad decretum creationis tenent eam esse extrinsece mutabilem a Deo in omnibus.

*b*) Scotus et S. Bonaventura qui docent eam esse dispensabilem quoad praecepta secundae decalogi tabulae.

*c*) Durandus qui idem docet quoad praecepta tantum affirmativa eiusdem tabulae.

Probatur A. — Lex naturalis ab intrinseco nequit mutari.

Arg. Lex naturalis non mutatur ab intrinseco nisi actus aliquis vetitus aut praeceptus dictamine rationis humanae cessat esse ita propter mutationem in bono

communi, aut in proportione actus secundum repugnantiam aut promotionem ad bonum commune, vel propter defectum evidentiae propter quam dictamen ponitur; atqui nequit dari huiusmodi mutatio aut defectus: ergo nequit lex naturalis ab intrinseco mutari.

Ad Mai. — Lex naturalis est pars legis aeternae in dictaminibus rationis manifestata: haec dictamina pronuntur propter evidentiam necessarii nexus aut repugnantiae aut promotionis in aliquo actu ad bonum commune: unde si deficit aliquid in bono communi aut in proportione actus ad illud, intellectus videns illum defectum non edit dictamen, et proinde mutatur lex ex defectu in aliquo essentiali, nempe in ordinatione rationis aut in bono communi: insuper si non edit propter defectum evidentiae, deficit promulgatio tum significative tum passiva, quae est aliud essentiale. Quod si secundum evidentiam habitam ex humana natura de nexu necessario ipsius actus cum bono communi humanae naturae ratio humana pronuntiat dictamen, necessario illud dictamen secum trahit ordinationem rationis Dei supremam auctoritatem super totam humanam naturam indefectibiliter habentis, quia Deus necessario ordinat tales actus ita ad bonum commune necessitate consequenti eiusdem naturae creationem. Unde defectus nisi sit ut supra, nequit inveniri in ullo essentiali legis, quae est nonnisi ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata.

Ad Min. — Natura humana est immutabilis, et proinde eius bonum naturale commune (seu finis eius ultimus efficiendus in terris) nequit, stante humana natura, qualis est, mutari; neque potest actus humanus, manens formaliter idem, mutare eius proportionem repugnantiae aut promotionis respectu illius boni, quia haec

proportio est intrinseca ipsi actui. Neque potest deficere evidentia illius quia haec continetur etiam in humana natura.

Probatur B. — Neque ab extrinseco lex naturalis mutari potest.

Arg. Illa lex ab extrinseco nequit mutari, quam ne ipsa divina quidem auctoritas mutare potest; atqui ne divina quidem auctoritas legem naturalem mutare potest: ergo haec ab intrinseco mutari nequit.

Ad Mai. — Lex naturalis lata est divina auctoritate et nequit dari auctoritas huic superior aut aequalis; unde si auctoritas divina legem mutare nequit, neque potest ulla auctoritas; non superior aut aequalis, quia non datur; non inferior, quia haec non est nisi divina auctoritas communicata, et Deus nequit communicare potestatem quam non habet ipse.

Ad Min. — Ut divina auctoritas posset mutare legem naturalem, opus est aut ut Deus mutet finem ultimum naturalem hominis in individuo casu, quod stante natura humana repugnat; aut ut possit ad finem a se intentum non ordinare illum actum qui ex natura sua necessarius est ad illum finem, vel ad eumdem finem ordinare actum qui ex natura sua huic fini repugnat; atqui utrumque impossibile est Deo, opifici sapientissimo: ergo...

*Scholion.* — De lege naturali permittente notandum est hanc legem homini concedere ius ad actum aliquem ponendum in ordine ad finem suum, qui tamen actus non est necessarius ad finem; hoc autem ius quoad suum exercitium subiacere auctoritati sociali a Deo positae in ordine ad finem humanae naturae. Unde sequitur primo, quum homo non teneatur exercere ius suum, ut huiusmodi actum possit non ponere etiam secundum permis-

sionem legis naturalis; secundo, ut socialis auctoritas, iusta interveniente causa, exercitium illius iuris suspendere, modificare aut conditionare possit, in quo casu lex permittens non mutatur, sed eius exercitium definitur intra limites originalis concessionis. Neque repugnat Deum ob finem supernaturalem humanae naturae statutum positiva lege ius aliquod tale revocare.

*Ad Difficultates.* — Notanda. 1. Non datur paritas inter legem positivam, sive humanam sive divinam, et legem naturalem quoad mutabilitatem, quia lex positiva libere ponitur, lex autem naturalis necessario. Quod si subsumitur legem naturalem poni a Deo libere, respondetur hanc libertatem esse antecedentem (ad decretum nempe creationis naturae humanae): si tandem urgetur antecedentem libertatem arguere aliquam mutabilitatem, concedimus eam, remota conditione consequenter ad quam supervenit necessitas (siquidem antecedenter lex saltem conditionate necessaria est), sed posita illa conditione, seu stante natura creata, negamus.

2. Lex positiva dicitur legem naturalem corrigere, at non mutando, sed sensu quod, immutata manente lege naturali, lex positiva ultra et magis definite hominem ad finem dirigit.

3. Lex naturae non mutatur per miraculum, sed eius effectus suspenditur, destruitur aut augetur nova Dei activitate, quia respectu Dei contingentes in effectu suo sunt leges naturae: pariter non mutatur lex naturalis, quando homo violat ipsam, sed effectu suo privatur. In utroque casu lex manet immutata, et stante natura est immutabilis quia consequenter ad eam necessaria.

4. Lege naturali sunt homines liberi, i. e. lege permissiva et cum subiectione ad legem civilem; unde quando

homo iuste privatur sua libertate per actionem legis civilis, non mutatur lex naturalis, sed potius adimpletur.

5. Lex naturalis non absolute prohibet occisionem hominis, sed occisionem factam privata auctoritate et extra casum necessariae defensionis contra iniustum aggressorem: unde quando homo ex necessitate suae defensionis occidit aggressorem iniustum, aut quando carnifex occidit auctoritate legis civilis hominem iuste ad mortem condemnatum, vel quando auctoritate positiva divina Abraham voluit occidere Isaac, et Israelitae occiderunt mulieres et liberos in quibusdam victis civitatibus, lex naturalis neque fuit violata neque dispensationem passa est. Occisio facta cum auctoritate publica aut divina est actus formaliter diversus in respectu ad finem humanae vitae ab occisione facta sine tali auctoritate.

6. Spolia Aegyptiorum non per furtum ab Israelitis abrepta fuerunt, quia furtum supponit nolitionem domini; Aegyptii autem non amplius fuerunt domini, sublato suo dominio participato per actionem Domini Supremi et translato Israelitis in poenam Aegyptiorum et praemium Israelitarum. Ablatio sine divinitus translato dominio et cum ipso non est formaliter idem actus in respectu ad finem humanae vitae et proinde materia legis mutatur, non lex.

7. Malitia intrinseca fornicationis est in eo quod mulier nequit ius corporis sui tradere extra matrimonium, neque homo extra matrimonium exercere talem actum propter ius prolis violatum vel periclitatum et deinde bonum commune civile invasum et periculum corruptionis carnalis positum: quod si Deus per supremum suum dominium ius transfert super corpus mulieris, sicut potest et ceteroquin per suam specialem providentiam efficiat ut obvietur illis periculis et aliis forsan malis effectibus ex

actu ordinarie consequentibus, removetur malitia, actus cessat esse repugnans fini humanae vitae, et non amplius manet formaliter idem actus in relatione ad finem vitae. In tali igitur casu, si Deus non prohibet, non est mutatio legis sed in materia legis. Ita ab aliquibus explicatur actio Osee prophetae (Os 1, 2); attamen Suarez notat eam explicationem non esse necessariam ad locum, quum bene interpretatur locus a pluribus optimae notae Patribus sensu quod Osee iussu Domini sumpsit mulierem, quae erat fornicaria, in veram suam coniugem (Cf. Suarez, loc. cit., n. 14; Os. III, 3).

8. Pariter de polygamia patriarcharum aliqui explicant dicendo Deum non dedisse mandatum aut dispensationem patriarchis in hac re, sed patriarchas ita fecisse ex conscientia erronea mala formata ob exemplum infidelium inter quos vitam degerent, et matrimonium tantum apparens contraxisse cum pluribus. Alii vero tenent Deum dedisse dispensationem improprie dictam, i. e. non per veram dispensationem legis sed per mutationem in materia, propter quam non amplius lex monogamiae applicatur. Etenim iterum intrinseca malitia polygamiae est ex violato iure mulierum et prolis et periculum malorum ordinarie ex matrimonio plurali consequentium respectu mariti, mulierum, prolis et communitatis: unde dempto divinitus iure illo, in quantum opus sit et fieri possit, et divinitus obviato periculo supra dicto, actus talis matrimonii non amplius est idem formaliter actus in relatione ad frustrationem finis humanae vitae.

9. Quod attinet ad libellum repudii concessum Israelitis in Vetere Lege propter duritiam cordis, quia, ut apparet, proni erant, sicut et aliae nationes aliquae, occidere suam coniugem in re tori infidelem, notandum est praeceptum legis naturalis contra divorfium vetare

illud fieri humana auctoritate, sive privata, sive publica, quia malitia eius est in violatione iuris compartis vel prolis, vel ob periculum mali ordinarie exinde consequentis: quae iura potest Deus, Dominus Supremus, evacuare et quibus malis Ipse per suam providentiam obviare potest. Item in privilegio Paulino et in solutione matrimonii rati sed non consummati facta a Supremo Pontifice, intervenit divina auctoritas in ordine supernaturali gratiae, exercita respectu primi casus, communicata respectu alterius.

10. Quando loquimur de actu praecepto ob necessitatem eius ad finem, non loquimur de fine beatitudinis, quae absolute loquendo posset communicari creaturae rationali sine ullo actu eius antecedente, sed de fine divinitus intento efficiendo per activitatem humanae naturae, respectu cuius Deus intendendo finem efficiendum per talem activitatem et creando naturam ita proportionatam non potest non obligare hominem ut ponat illum actum sine quo non efficitur finis sed potius frustratur.

11. Quando homo ex conscientia erronea facit aliquid intrinsece malum, non dispensatur a lege, sed violatio ipsi, si invincibiliter in errore est, non imputatur propter defectum voluntarii et liberi. Neque dici debet lex naturalis deficere, quia in ipso deficit iudicium practicum secundum quoddam praeceptum eius (seu potius secundum applicationem praecepti), quia etiamsi deficiat cognitio non tantum applicationis debitae sed etiam ipsius praecepti, hoc praeceptum divinum, sicut omne aliud legis naturalis est in ipsa humana natura tanquam in signo, et per se esset in omni intellectu practico hominis, sed per accidens interdum non invenitur. Neque per se non invenitur eo quod sit magis minusve communis ille error in aliquibus gentibus; quia deficientia non est universa-

lis: neque quidem, si post aliquem temporis decursum deficientia illa invenitur in omnibus tunc exstantibus hominibus, est illa deficientia effectus per se humanae naturae, quia etiam in tali casu provenit per accidens in intellectu fallibili, propter imperfectum ratiocinium, propter perversam persuasionem acceptam ex doctrina iniquorum, vel propter obscurationem intellectus ex corruptis moribus inductam.

*Scholion.* — Quaeritur num legem naturalem interpretare liceat. Respondetur distinguendo: per interpretationem improprie dictam, conceditur; per proprie dictam interpretationem, negatur.

Interpretatio enim improprie dicta est authentica declaratio sensus clara et distincta de praecepto aliquo in se obscuro et confuso: haec permittitur auctoritati legitimae humanae, et ratio est quia talis declaratio authentica nihil aliud est quam lex positiva addens legi naturali illam perfectionem definitivam qua lex naturalis de natura sua interdum indiget.

Interpretatio proprie dicta seu proprie dicta epikeia habetur quando lex universalis iure censetur in aliquo casu particulari ita deficere (i. e. a ratione necessitatis ad bonum commune) ut iuste urgeri non possit. Huiusmodi interpretatio legis naturalis non permittitur: ratio est quia lex naturalis ne quidem dispensationem admittit et a fortiori neque epikeiam, quae est mutatio legis formalis per praesumptam dispensationem; insuper lex naturalis ita consequitur naturam humanam ut nunquam particularis seu individuus homo, siquidem semper secum habens naturam humanam, in talibus adiunctis esse possit, ut actus ceteroquin repugnans aut necessarius fini humanae naturae non sit in iis etiam adiunctis talis et proinde non cadere sub obligatione legis naturalis. (Cf. Suarez, De Leg., lib. II, c. 16, nn. 6 et 7).

## CAPUT III.

## De Obiecto Formali Ethicae seu De Moralitate Actuum Humanorum.

### PROOEMIUM.

In actu morali tria distinguimus, ipsam entitatem actus physicam, per quam est actus accidens voluntati inhaerens, rationem voluntarii et liberi in actu, quae est habitudo actus ad suam causam intrinsecam et per quam actus est humanus et potentialiter moralis, atque rationem moralitatis seu eam qua actus sit moraliter bonus aut moraliter malus. De hac ultima ratione nunc quaerimus. In ordine ad solutionem quaestionis quaedam praemittimus facta quae assumimus ex nostra conscientia (psychologica) confirmata testimonio aliorum hominum de sua conscientia. Haec sunt:

*a*) Homo iudicat aliquos actus humanos in se ipsis, seu praecisione habita ab omni humana lege, esse moraliter bonos, sicut e. g. amare parentes, reverentiam exhibere Deo, et alios pariter esse moraliter malos, sicut latrocinium, parricidium, blasphemia.

*b*) Homo iudicat actus illos moraliter malos esse aliquomodo prohibitos, et aliquos saltem ex actibus illis moraliter bonis esse aliquomodo praeceptos.

*c*) Homo iudicat eos qui faciunt actus moraliter bonos esse propterea dignos laude, eos qui patrantur actus malos esse dignos vituperio.

*d*) Homo praedicat de bona agentibus quod sint homines boni (simpliciter et sine addito), de mala patrantibus quod sunt pariter mali (simpliciter et sine addito).

*e*) Homo tamen praedicat moralitatem formaliter et primario de actu et nonnisi de actu humano. « Ibi incipit genus moris, ubi primum dominium voluntatis invenitur ». D. Thom., lib. II, Dist., d. 24, q. 3, a. 2.

Haec iudicia et praedicationes non hic assumimus esse vera, sed factum assumimus tanquam verum quod homo ea pronuntiat. Veritatem eorum opus est in Ethica indicare et explicationem eorum existentiae simul afferre.

## Articulus I.

### De Regula Formali Moralitatis.

**THESIS XVI. — Moralitas stat in habitudine actuum humanorum ad aliquam regulam, i. e. in habitudine conformitatis, si actus sit moraliter bonus, difformitatis, si sit moraliter malus.**

Cf. Ferretti, thes. XXI, et Opusc. De Essentia Boni Malique Moralis, thes. I. Bucceroni, De Actibus Humanis, comment. 9, n. 9: Billot, De Natura Peccati, in prooemio.

*St. Qu.* — Suppositum in thesi volumus moralitatem esse attributum proprium actui humano et proinde de solo actu humano iure praedicari. Ratio suppositi haec est: praeter perfectionem psychologicam quae actui necessaria est ut sit vere humanus alia est quae pertinet ad exercitium actus secundum suam electionem liberam; actus enim humanus terminari potest ad alterutrum ex contradictoriis, ex contrariis, ex disparatis: in tali exercitio praeter aequalem perfectionem psychologicam libertatis potest esse aliqua alia perfectio, quae adsit in exercitio ad unum et deficiat in exercitio ad aliud. Hanc perfectionem, si qua sit (nostrum autem erit postea probari quod sit) et privationem eius denominamus sub generico nomine moralitatis. Quam denominationem scimus non esse abusum vocis, ex eo quod communi ore hominum eadem denominatio tribuatur actui humano secundum talem perfectionem eiusque privationem.

Moralitas in genere est id quo seu propter quod actus

humanus est et denominatur moralis: praedicatur, tanquam de ultimis suis speciebus, de bonitate morali et de malitia morali; unde est id quo actus humanus est moraliter bonus vel malus.

Moralitas materialis est moralitas in actu humano inspecto materialiter tantum, i. e. quando illa ratio praesens est in actu humano quae faceret ipsum moraliter bonum aut malum, si ratio illa caderet sub voluntario et libero in ipso actu, seu si actus esset humanus praecise secundum illam rationem: ita siquis ex ignorantia invincibili comederet carnes die Veneris, adesset in illo actu materialis malitia violationis praecepti Ecclesiae, sed deesset malitia formalis, atque actus ille esset materialiter quidem malus sed non formaliter.

Moralitas formalis est illa ratio quae in actu humano qua tali facit ipsum moraliter bonum aut malum: in hoc casu ratio illa cadit praecise sub voluntario et libero in illo actu et proinde actus est formaliter aut bonus aut malus propter illa rationem praesentem.

Moralitas obiectiva est illa ratio in obiecto seu termino voluntatis, qua tale sit obiectum ut si libere acceptatur a voluntate constituit humanum actum acceptationis formaliter bonum aut malum. Unde constat moralitatem non iure dici obiectivam in oppositione ad moralitatem formalem, nisi sit adaequata ratio obiectiva requisita ad ita terminandum actum humanum ut sit hic formaliter moralis.

Specifica moralitas est id quo actus est in aliqua specie proxima moralitatis, sicut e. g. quo actus est actus furti, mendacii, castitatis, prudentiae, iustitiae etc.

In thesi quaestio est de moralitate in genere et formaliter sumpta.

Habitudo est relatio: supponit igitur subiectum, terminum et fundamentum. In praesenti casu non agitur de

relatione transcendentali, quia actus humanus non est per essentiam suam moraliter bonus aut malus; sed asseritur relatio praedicamentalis, siquidem accidit actui humano ut nunc sit moraliter bonus, nunc moraliter malus. Est autem relatio illa realis et proinde subiectum, terminus et fundamentum in subiecto sunt omnia realia, et fundamentum insuper est accidens quoddam adveniens actui. Subiectum habitudinis quam asserimus esse moralitatem est actus humanus; terminus est regula aliqua; et fundamentum est illud accidens in ipso actu quo actus adaequatur regulae vel regulae non est adaequatus.

Regula sensu proprio est instrumentum ad quod, si linea in sua directione adaequatur, dicitur linea recta, si non adaequatur, dicitur prava. Norma sensu proprio est instrumentum ad quod adaequatus angulus dicitur rectus, inadaequatus dicitur obliquus. Transfertur indifferenter uterque terminus ad alias res praeter res mathematicas.

Regula seu norma in re morali est id ad quod conformis actus humanus est et denominatur moraliter bonus, et a quo difformis actus humanus est et denominatur moraliter malus. De huiusmodi regula est quaestio in thesi et interdum nuncupatur regula propria moralitatis ut distinguatur ab alia regula, quae dicitur communis, secundum quam scilicet distinguitur actus qui nullo sensu moralis est, sicuti actus hominis et non humanus, ab actu qui utpote humanus potest iure suscipere denominationem moralitatis.

Probandum est moralitatem habere aliquam regulam propriam secundum quam differentiatur actus moraliter bonus ab actu moraliter malo.

Probatur. — Arg. 1. Ex consensu hominum communi. Homines communi consensu exprimunt bonitatem moralem et malitiam moralem per voces rectitudinis et pra-

vitatis tanquam per translationem analogice veram ex ordine rerum materialium: atqui in ordine materiali secundum proprium suum sensum rectitudo et pravitas significant habitudinem conformitatis et difformitatis respectu alicuius regulae: ergo ita et bonitas atque malitia moralis.

Ad Min. — Ita linea recta, linea prava, via recta, via prava.

Arg. 2. — Bonitas moralis est perfectio in effectu libertatis exercitae; atqui perfectio in effectu libertatis exercitae stat in habitudine conformitatis cum aliqua regula propria: ergo bonitas moralis stat in tali habitudine.

Ad Arg. — Idem valet pro malitia morali quae pariter est imperfectio in effectu libertatis exercitae et proinde stat in deformitate ab aliqua regula propria.

Ad Mai. — Quia bonitas moralis est perfectio actus humani qua talis, seu praecise qua procedit, qua est effectus ex agente libero.

Ad Min. — Secus omnis effectus libertatis exercitae eiusdem rationis esset sine attributo bonitatis aut malitiae, siquidem in quantum ad libertatem, omnes participant de illa; omnes enim essentialiter liberi sunt.

Confirmatur. — Omnes moralistae, seu periti in scientia morali, consentiunt in hoc quod moralitas stat in tali habitudine: disputant tantum de quaestione, quid sit illa regula.

**THESIS XVII. — Regula formalis suprema moralitatis est lex aeterna.**

Cf. D. Thom., 1, 2, q. 71, a, 6; q. 21, a. 1; q. 19, a. 4; Suarez, De Bonitate et Malitia Humanorum Actuum, d. 11, aa. 1 et 2; Ferretti, thes. XXI, et Opusc. cit., thes. II.

*St. Qu.* — Agitur in thesi de moralitate in genere, sed formaliter et non materialiter aut obiective tantum sumpta, i. e. de illa habitudine qua actus humanus per conformitatem ad aliquam regulam est actus moraliter bonus et per deformitatem ab eadem est moraliter malus.

Agitur etiam de regula propria et non de regula mere communi, i. e. non de regula secundum quam actus nullo modo moralis (sicut actus mere hominis) ab actu qui est moralis sive bonus sive malus distinguitur, sed de regula secundum quam differentiatur actus moraliter bonus ab actu moraliter malo per conformitatem et difformitatem respectu regulae.

Unde in genere definiri potest regula propria moralitatis regula qua secundum conformitatem cum ipsa et deformitatem ab ipsa discriminatur actus moraliter malus ab actu moraliter bono.

Formalis regula moralitatis est terminus illius habitudinis quae est formaliter moralitas, seu terminus ad quem humanus actus habens habitudinem conformitatis est formaliter bonus moraliter praecise propter illam conformitatem, et ad quem pariter actus humanus habens habitudinem difformitatis est formaliter malus moraliter praecise propter illam difformitatem. Est igitur terminus habitudinis qua actus non mere denominatur moralis,

vel agnoscitur ut moralis, sed constituitur moralis. Distinguitur igitur a fundamento moralitatis, quod est id in ipso actu humano propter quod habet habitudinem moralitatis; distinguitur etiam ab illo termino per habitudinem ad quem actus est materialiter aut obiective aut fundamentaliter tantum moralis, et ab illo termino per habitudinem ad quem actus tantum agnoscitur ut moralis sed non constituitur talis. Omnes alii isti termini dici possunt aliquo sensu vero regulae moralitatis, sed non regula formalis; recte denominantur respective materialis, obiectiva, fundamentalis et cognoscitiva regula, et ultima ex his magis proprie criterion.

Formalis regula suprema moralitatis est illa formalis regula quae supra se nullam aliam habet vere formalem regulam moralitatis, i. e. nullum habet terminum cui ipsa debet conformari *eo modo quo actus humanus debet ipsi conformari ut sit moraliter bonus.*

Lex aeterna, uti constat ex thesi supra statuta est ordinatio divinae rationis ab aeterno posita determinans omnes actus et motus omnium creaturarum secundum naturam uniuscuiusque. In ea distinguimus rationem intellectus, quae continet ideas exemplares omnium actuum et motuum quos de facto Deus determinavit fieri, et imperium voluntatis quo Deus eos determinavit. Prout asserimus legem illam esse supremam regulam formalem moralitatis volumus utrumque includi, nempe ideas exemplares et decretum voluntatis. Quod si actus humanus conformis sit ideae suae exemplari in mente divina, sed non praecise in subordinatione ad imperium divinae voluntatis, seu non sit ita positus quia Deus voluit, admittimus aliquam bonitatem moralem in actu, sed materialem tantum, et negamus eam esse formaliter talem nisi ex conformitate ad imperium.

Naturam divinam admittimus esse necessarium determinativum omnium possibilium qua talium, sive naturarum sive earum actuum, et ideas exemplares divinae imitabilitatis esse regulam possibilitatis proximam sicut et divinam naturam esse supremam. Item divina natura antecedenter necessitat conditionaliter ut Deus, si creet, creet ob suam gloriam externam. Libera autem Dei electio determinavit habere gloriam suam externam et proinde creare, atque habere illam gloriam in determinata specie et gradu et proinde ex omnibus possibilibus creare illas naturas quae proportionantur sua entitate et activitate ad reddendam talem gloriam. Consequenter ad illam electionem divina natura necessitat ut Deus determinet illas naturas ad actus secundum ideas exemplares actuum quibus solis illa gloria electa haberi potest. Unde illae ideae exemplares sunt fundamentum (seu si velis regula fundamentalis aut directiva) determinationis dandae, et divina natura est principium ut detur, et proinde sensu consequenti ad liberam electionem supra dictam eadem divina natura potest dici regula determinativa divinae voluntatis, quae tandem ipsa dat determinationem requisitam. In tota autem illa ordinatione divinae activitatis nullam tenemus dari formalem regulam moralitatis nisi in illa ordinatione divinae rationis respectu actuum creaturarum, quae ordinatio includit ideas exemplares ipsorum actuum et imperium voluntatis ad eos habendos secundum naturam uniuscuiusque creaturae.

Demum non sumimus universalem rationem legis aeternae tanquam regulam moralis bonitatis, sed tantum legem secundum illam eius determinationem respectu actuum humanorum qua determinavit quosdam actus fieri, quosdam non fieri, dependenter ab ipsa libertate humana.

In re regulae moralitatis plures sunt errores, quos

reiiciemus in thesibus subsequentibus: hic sufficit notare aliam esse sententiam praeter nostram inter auctores Catholicos, quae ponit regulam supremam in essentia divina, regulam autem proximam in natura rationali adaequate considerata (cf. Cathrein, thes. XII), aut ponit supremam regulam in ordine essentialium hominis ad cetera entia relationum (cf. Tongiorgi, thes. XLII).

Probatur. — Explicite de bonitate morali, unde sequitur per consequens de morali malitia.

Arg. 1. — Illud est formalis regula suprema moralitatis quod est ex essentiis rerum ultimum gubernativum actus in homine liberi qua talis; atqui lex aeterna est ex essentiis rerum illud ultimum gubernativum: ergo ex aeterna est formalis regula suprema moralitatis.

Ad Mai. — Bonitas moralis est ultima perfectio actus in homine liberi qua talis, siquidem praedicatur solummodo de actu humano qua tali. Iam vero si actus liber ex natura rei esset independens ab omni gubernativo, eius perfectio possit concipi sine conformitate cum gubernativo: sed si ex natura rei est dependens a voluntate altera, concipi nequit eius ultima perfectio sine conformitate cum illa altera. Unde id quod est ex essentiis rerum gubernativum humani actus, seu actus in homine praecise qua liberi, necessario est id cum quo conformis actus est propter illam conformitatem in sua ultima perfectione seu moraliter bonus; quod sonat illud gubernativum esse regulam formalem moralitatis. Quod si detur aliquod ultimum gubernativum, ultra quod non datur neque verum gubernativum humani actus, neque verum gubernativum sui, illud erit tum ultimum gubernativum tum suprema formalis regula moralitatis.

Ad Min. — Ex thesi probata de existentia legis aeternae constat eam ex essentiis rerum esse gubernati-

vum humanae voluntatis et cuiuscunque eius actus liberi. Insuper est ultimum tale non tantum ex eo quod datur nullus superior homini simul et Deo, sed etiam quia ceterae regulae quae sunt in ordinatione divinae activitatis neque vere obligant hominem, obligatio enim uti probavimus supra in thesi de obligatione legis naturalis, quae est lex aeterna prout ad hominem applicatur, est ex voluntate Dei ordinante secundum rationem legis aeternae in mente sua; neque obligant ipsum Deum sed in quantum necessitant, necessitant physice ex eius natura et in iis in quibus non datur Deo libertas: obligatio autem proprie non cadit nisi in actum liberum.

Arg. 2. — Per partes. Primo, quod lex aeterna sit regula formalis.

Illa est formalis regula moralitatis cui conformis actus humanus praecise propter suam conformitatem est formaliter bonus bonitate morali: atqui lex aeterna est talis regula: ergo.

Ad Min. — Actus humanus est effectus activitatis causae secundae liberae qua talis; atqui formalis perfectio seu bonitas istiusmodi effectus stat in conformitate cum idea exemplari et volitioni causae primae seu cum lege aeterna: ergo lex aeterna est illa regula cui conformis actus humanus praecise propter suam conformitatem habet formalem perfectionem propriam actui humano qua tali, seu bonitatem moralem.

Ad Min. — Causa prima necessario agit propter determinatum finem ideoque quando producit causam secundam necessario producit quasi instrumentum quo suum finem efficiat; quod si causa haec secunda sit causa libera est ad instar instrumenti liberi, seu servi causae principalis seu primae. Iam vero perfectio in effectu activitatis instrumenti est in quantum efficiat intentum causae prin-

cipalis, seu in quantum conformis sit ideae exemplari in mente causae principalis, et perfectio talis respectu instrumenti liberi seu servi est in eo quod efficiat intentum causae principalis praecise quia intentum eius, seu quatenus sit conformis ideae exemplari simul et imperio causae principalis, i. e., in nostro casu, Causae Primae seu Dei.

Secundo, quod lex aeterna sit regula suprema. Enimvero illa regula formalis est supreme talis quae non admittit supra se aliam *formalem* regulam cuius imperio et ipsa et actus humanus conformari debent ut illa sit regula et hic sit moraliter bonus; atqui nullam talem supra se admittit lex aeterna: ergo lex aeterna suprema est.

Confirmatur 1. — In genere perfectum dicit totaliter factum; totaliter autem factum mensuratur ex conformitate cum illo quod erat faciendum: id autem quod praestat formaliter id quod est ab actu creaturae libero qua tali faciendum est gubernativa idea exemplaris divina cum divino praecepto seu lex aeterna.

Confirmatur 2. — Voluntas humana respectu bonitatis moralis in suo actu nequit esse sua regula, quia secus nullus actus liber esset malus; ergo aliam habet regulam; haec autem nequeat esse nisi sit humanae voluntati qua tali superior et nequit esse suprema nisi sit talis quae ab Infinita Bonitate, quae est fons omnis bonitatis, aberrare nequit: atqui sola divina voluntas est ex natura rei superior humanae voluntati qua tali, et sola voluntas Dei, siquidem habentis naturam suam in Infinita Bonitate constitutam, a Bonitate Infinita nequit aberrare. (Cf. Billot, Opusc. De Natura Peccati, pp. 20 et 21).

*Ad Difficultates.* — Notanda. 1. Quando dicitur actus moraliter malus non esse quia prohibitus, sed prohibitus

quia malus, propositio vera non est de actu prohibito sola legepositiva: de actu autem prohibito lege aeterna aut naturali neque est vera, si agatur de ipsa formali ratione malitiae moralis, haec enim consistit in difformitate a lege aeterna; sed vera est de tali actu, si quaestio restringatur ad fundamentalem rationem malitiae, quia haec praesupponitur legi aeternae et est fundamentum propter quod Deus ex sua natura necessitatur ad prohibendum illum actum lege aeterna. (Cf. D. Thom., 1, 2, q. 81, a. 6, ad 4).

2. Quando dicitur actus contra legem positivam esse moraliter malus et tamen non necessario esse contra legem aeternam, reponimus dicendo hunc actum necessario repugnare legi aeternae, cuius datur praeceptum obediendi legi positivae.

3. Quando subsumitur actum contra legem aeternam non esse malum nisi secundum inobedientiam, dicitur quod verum est in ultima et formali ratione malitiae moralis *generice sumptae:* quod si addatur inobedientiam deinde debere esse ex alia regula formaliter malam, siquidem non possit esse propter difformitatem a lege aeterna sine petitione principii, respondemus legem aeternam in sua natura tanquam ordinationem Creatoris et Supremi Domini simul facere inobedientiam sibi praestitam morale malum quid; esset enim contradictio in terminis exercere dominium suum supremum in lege aeterna super actum humanum, dominii nempe participati, et non facere inobedientiam huic legi simul malum morale, quum perfectio exercitii huius dominii participati qua tali sit in conformitate cum dominio supremo exercito.

4. Lex aeterna debet necessario sequi aliam normam, uti explicatum est supra in statu quaestionis, sed haec

norma non est formalis regula moralitatis propter rationes supra datas in argumentis quibus probatur illa lex aeterna esse *suprema* regula formalis.

5. Verum est naturam divinam debere esse principium et regulam omnis necessitatis et bonitatis atque causam exemplarem rerum omnium, et quidem modo quo explicavimus in statu quaestionis, sed non proinde est formalis regula moralitatis propter rationes in argumento datas.

6. Regula debet esse talis ut regulatum possit cum ipso comparari ad mensuram, sed hoc sive directe sive indirecte: quod si directe, debet regula esse homogenea, seu in eodem genere mensurabilitatis: si vero indirecte, sufficit ut regulatum sit homogeneum cum regula proxima, haec autem homogenea cum regula suprema. Datur autem regula proxima moralitatis, ut videbimus infra, et proinde non requiritur ut actus humanus sit homogeneus cum lege aeterna.

7. Unius rei debet esse una tantum regula formalis suprema, sed hoc non prohibet quin sit altera mensura seu regula proxima.

8. Regula suprema moralitatis debet esse in se certa seu secura, et etiam certo cognoscibilis nobis, sed non necessario directe in se ipsa, seu immediate evidens, sed sufficit ut sit certa in alio seu per mediatam evidentiam.

9. Ordo emergens ex essentialibus hominis relationibus est id propter quod seu fundamentum secundum quod Deus necessitatur necessitate consequenti eius creationem naturae humanae ad imperandum ea quae homini imperat, et actus hominis huic ordini conformis est obiective, fundamentaliter et materialiter bonus moraliter, sed si praecisio fiat a sua subordinatione illi imperio prae-

stita non est formaliter bonus, quia non habens ultimam perfectionem in effectu activitatis liberae qua talis in bera creatura.

10. Ordo ille idem est sufficiens evidentia rationi humanae ut cognoscat Deum imperare actum conformem huic et proinde ut dictet illum actum et pronuntiet illum per consequens formaliter bonum: sed ille ordo, praecisione habita a divino imperio et dictamine rationis non est sufficiens evidentia rationi humanae ut pronuntiet actum formaliter bonum sed tantum ut illum pronuntiet obiective, materialiter aut fundamentaliter bonum.

11. Homines secundum conformitatem cum illo eodem ordine agnoscunt aliquos actus humanos esse intrinsece bonos, et difformes ab illo intrinsece malos, sed vel propter solam illam conformitatem et difformitatem, et tunc pronuntiant tantum fundamentalem moralitatem eorum, aut secundum illam habitudinem simul cum habitudine necessario consequente, nempe ad imperium divinum in lege aeterna, et tunc pronuntiant formalem moralitatem actuum sed secundum hanc posteriorem habitudinem.

Cf. D. Thom., 1, 2, q. 71, a. 6; Cathrein, n. 113; Tongiorgi, n. 148.

**THESIS XVIII. — Formalis regula proxima moralitatis est recta ratio.**

Cf. D. Thom., 1, 2, q. 19, a. 3; Ferretti, thes. XXI, et Opusc cit., thes. II.

*St. Qu.* — Agitur de moralitate formali et de regula eius formali.

Formalis regula proxima moralitatis est immediatus

terminus habitudinis conformitatis vel difformitatis in actu humano qui praecise propter illam conformitatem vel difformitatem constituitur actus formaliter bonus moraliter vel malus: est igitur immediatus terminus illius habitudinis quae est ipsa formalis moralitas. Si proxima regula simul esset suprema et proinde sola nihil ultra addi debet illi definitioni. Quum vero adsit altera regula quae est suprema, regula proxima, qua proxima, dicit negationem rationis supremae regulae, et proinde ut ipsa sit vera regula subaudit conformitatem cum regula suprema.

Ratio interdum sumitur pro natura rationali: non ita in thesi: item sumitur interdum et magis proprie pro facultate rationali seu intellectu, sed neque ita in thesi. Sumitur in thesi pro actu aliquo rationali, nempe pro iudicio practico, quod praestat homini non tantum actum aliquem humanum tanquam agibilem vel non agibilem (assentiendo nempe ideae exemplari actus humani tanquam rationabiliter agibili vel non agibili), sed etiam praestans ipsi actum humanum rationabiliter et libere agendum vel non agendum (denuntiando scilicet super hominem obligationem seu legem vel praecipientem, vel prohibentem, vel permittentem illum actum): ita sumpta ratio ad claritatem dicitur ratio dictans. Ratio haec dictans includit igitur ideam exemplarem actus faciendi vel vitandi et simul dictamen respectu eius positionis. Hoc autem dictamen ratio non ponit quasi imperans suo nomine seu auctoritate, sed nomine alterius cuius solius essentialiter est imperare voluntatem humanam qua talem: unde ratio dictans ipsa non proprie imperat, sed denuntiat imperium alterius, cuius naturalis praeco est homini.

Ratio dictans formaliter recta est si conformis est su-

premae regulae moralitatis, rationi ordinanti Dei (cuius essentialiter est voluntatem qua talem imperare) in lege sua aeterna. Fundamentaliter recta est ratio si praestat tantum ideam exemplarem actus humani rationabiliter agibilis vel non agibilis, quin praestat dictamen: in hoc casu non est formaliter ratio dictans, neque conformis est legi aeternae nisi secundum ideam exemplarem quae est in divina mente sine determinatione proveniente ex divina voluntate. Est ratio dictans materialiter recta si praeter illam ideam exemplarem rectam praestat dictamen aliquod sed non dictamen tanquam proveniens ex Deo in lege aeterna: in hoc casu est formaliter dictans et non tantum praestans fundamentum dictaminis, sed non est formaliter recta in suo dictamine qua tali, sed tantum materialiter.

Quaeritur statim utrum ratio dictans formaliter recta sit regula subiectiva aut regula obiectiva. Respondetur eam esse regulam obiectivam, licet sit res quaedam subiectiva. Ratio recta dictans, qua tale, in actu signato est regula obiectiva moralitatis et simul in actu exercito praestat homini cognitionem (seu est ipsa cognitio eius), quod actus inclusus in iudicio practico illius rationis sit moraliter bonus vel malus. Unde regula obiectiva est terminus ambiguus: potest significare regulam quae in sua entitate est extra subiectum cogitans vel eius facultatem aut actum cognoscitivum; hoc sensu recta ratio non est aliquid obiectivum: sed potest significare et proprie in praesenti materia regula obiectiva significat terminum habitudinis moralitatis, qui ex natura rei est independens a mutabilitate et defectibilitate iudicii cogitantis subiecti; hoc sensu recta ratio dictans est regula obiectiva. Pariter regula subiectiva est terminus ambiguus. Potest significare regulam quae est intra subie-

ctum cogitans qua tale, i. e. intra eius facultatem vel actum cognoscitivum; et hoc sensu recta ratio est aliquid subiectivum. Proprie autem regula subiectiva est facultas vel actus quo subiectum cognoscit moralitatem; hoc sensu dicimus rationem rectam, si sumitur uti dictamen, non esse in actu signato nisi denuntiantem praeceptum, licet in actu exercito cognitio sit moralitatis actus qui sub praecepto cadit: unde in actu signato ratio recta dictans est regula obiectiva, et in actu exercito etiam regula subiectiva, i. e. non facultas qua moralitas cognoscitur sed actus in quo est talis cognitio. Quodsi regula subiectiva sumitur pro regula quae non est independens a mutabilitate et defectibilitate subiecti, sed cum subiecto contingens et variabilis, hoc sensu negamus rectam rationem esse regulam subiectivam.

Altera quaestio hic moveri potest, nempe quomodo homo efficiat rationem rectam, quomodo cognoscat eam esse rectam, et quid facere debeat, quando non possit certo illud cognoscere aut quando per errorem efformet sibi rationem tanquam rectam quae de facto non est recta: sed haec omnia pertinent ad cognoscibilitatem moralitatis et ad conscientiam moralem, de quibus alibi infra fiet quaestio.

Tandem aliud quaesitum est cui hic et nunc est respondendum, nempe utrum recta ratio sit iudicium universale de actu alicuius naturae in genere dictans, an sit iudicium particulare de concreto aliquo actu hic et nunc ponendo vel non ponendo secundum eius dictamen. Respondetur. utrumque iudicium est regula, dummodo sit dictamen formaliter rectum; in uno casu est regula applicata in genere et in alio casu est eadem regula applicata in concreto.

Contra thesim sunt Utilitarii, Rationalistae et Positi-

vistae, de quibus ponemus theses aliquas subsequentes: item et plurimi auctores Catholici, qui ponunt proximam regulam formalem moralitatis in natura rationali considerata secundum omnes suas relationes.

Probatur. — Arg. 1. Illa est moralitatis regula formalis proxima quae est prima naturalis participatio legis aeternae in ipso homine; atqui talis participatio est recta ratio: ergo recta ratio est formalis regula proxima moralitatis.

Ad Mai. — Ut sit formalis regula requiritur et sufficit ut sit replica legis aeternae in quantum ad hominem et humanos actus, quia tunc habetur ipse terminus habitudinis propter quam praecise constituitur actus moralis: haec autem replica habetur in naturali participatione, quia Deus ipse providet *naturalem* participationem (et proinde indefectibiliter correspondentem cum originali lege imparticipata), quum homo nequeat in promptu habere regulam supremam, legem nempe illam aeternam, in se ipsa. Ut sit proxima regula talis, requiritur et sufficit ut sit in homine connaturaliter prima talis replica; haec enim erit immediatus terminus habitudinis quae est ipsa formalis moralitas.

Ad Min. — Recta ratio est participatio legis aeternae, quia nihil aliud est nisi lex naturalis et eius applicatio recta individuis actibus humanis: est naturalis, quia facta a naturali intellectu hominis agente secundum naturalem tendentiam super ea quae manifestantur in ipsa humana natura secundum evidentiam quae naturaliter necessitat intellectum ad ea iudicia quae constituunt rationem rectam. Est naturaliter prima participatio in homine, quia formalis participatio legis aeternae est necessario in lege aliqua, sive naturali sive positiva; posi-

tiva autem sive divina sive humana praesupponit naturalem et per se subsequitur illam in homine.

Arg. 2. — Ea est formalis regula proxima moralitatis, quae est ille terminus, cui nisi actus immediate conformis sit, actus nequit dici perficere agentem rationalem et liberum qua dominus sit sui actus in exercitio suae libertatis; atqui nonnisi recta ratio dictans est ille terminus: ergo nonnisi ratio recta dictans est formalis regula proxima moralitatis.

Ad Mai. — Moralis bonitas praedicatur proprie de actu humano, de actu nempe agentis rationalis et liberi qua talis: debet igitur esse perfectio illius actus; unde debet perficere agentem rationalem et liberum in exercitio suae libertatis: at non in quolibet exercitio, quia secus omnis actus humanus esset moraliter bonus sicut est physice bonus; sed debet esse perfectio in exercitio dominii illius actus, quatenus homo, siquidem dominus tantum participatus, exercet dominium secundum rationem perfectionis in exercitio illius domini participati. Idcirco ille terminus habitudinis quae praestat illam praecisam perfectionem erit regula formalis moralitatis, et si sit immediatus terminus erit regula proxima.

Ad Min. — Nisi actus sit conformis rationi fundamentaliter rectae, i. e. iudicio practico praestanti ideam exemplarem actus rationabiliter agibilis, seu agibilis secundum exigentias rationalis naturae, non perficit agentem qua rationabilem. Hoc autem non sufficit; nam nisi conformis sit etiam rationi dictanti formaliter rectae, non habetur perfectio in usu dominii participati, seu in hominis exercitio suae libertatis praecise qua dominus est sui actus. Enimvero perfectio in exercitio libertatis non habetur nisi per conformitatem ad limites supremae aliquae necessitatis respectu huius exercitii; neque habetur perfectio

in usu dominii participati, nisi per conformitatem ad limites necessitatis necessario impositos a domino supremo, qui limites formaliter habentur immediate nonnisi in dictaminibus rationis formaliter rectae. Cf. Billot, De Natura Peccati, p. 16, ubi ostenditur peccatum non praedicari nisi de actu humano reduplicative sumpto; actum autem humanum reduplicative sumptum esse actum humanum *in esse moris*, i. e. prout voluntas sit domina sui actus, et non tantum *in esse naturae*, i. e. tantum prout egreditur ex voluntate in quantum potentia physica, determinata ad bonum sibi conveniens.

Ex dictis Eminentissimi Cardinalis concludere possumus bonum ex quo mensurare possumus perfectionem actus humani *in esse naturae* esse suum finem intrinse cum, sed ad perfectionem eius *in esse moris* recurrere debemus ad finem extrinsecum.

Arg. 3. — Ex consensu communi. Ea est formalis regula proxima moralitatis quae est terminus immediatus cui conformiter agens censetur ab hominibus praecise ob hanc conformitatem dignus laude bonitatis simpliciter et sine addito dictae, a quo difformiter agens pariter dignus vituperio malitiae eiusdem generis; atqui talis terminus est ratio dictans formaliter recta: ergo...

Ad Mai. — Bonitas simpliciter dicta et sine addito est bonitas homini maxime propria et proinde bonitas moralis, quae homini tribuitur nonnisi ob actus humanos moraliter bonos. Unde terminus illius habitudinis praecise propter quam homines tribuunt istam denominationem erit in consensu hominum formalis regula moralitatis; quod si insuper sit immediatus, terminus talis erit pariter regula formalis proxima.

Ad Min. — Consulendo unanimem hominum vocem invenimus homines ita censere dignum laude agen-

tem praecise qui et quia agit secundum dictamina rationis formaliter rectae, dignum tali vituperio qui contra ea agit. Supponunt quidem homines ad suum iudicium dictamina illa esse formaliter recta: quando autem quaeritur regula huius rectitudinis, retro movetur quaestio ad regulam supremam; quando quaeritur quomodo homines cognoscant illa dictamina conformia esse regulae supremae, quaeritur de criterio cognoscitivo moralitatis obiectivo, de quo agemus infra.

Confirmatur. — Ex conscientia nostra psychologica, seu ex interna nostra experientia. Conscii sumus nos habere dictamina in nostra ratione respectu actuum nostrorum humanorum, quae censemus esse recta, et ad haec recurrimus immediate ad discernendum actum moraliter bonum et moraliter malum. Philosophiae moralis est explicare existentiam et valorem illorum dictaminum, sed factum quod ea habemus et quod recurrimus ad illa tanquam ad regulam formalem proximam moralitatis est factum internae nostrae experientiae nobis per conscientiam psychologicam renuntiatum.

*Coroll. 1.* — Adaequata regula formalis moralitatis est ratio humana informata lege aeterna.

*Coroll. 2.* — Formalis regula moralitatis est regula non tantum indicativa seu directiva actuum humanorum, sed etiam imperativa; uno verbo, est gubernativa, movens hominem in via moralitatis.

*Coroll. 3.* — Moralitas formaliter sita est in habitudine conformitatis aut difformitatis respectu rectae rationis et legis aeternae; bonitas moralis actuum humanorum formaliter stat in conformitate cum recta ratione et lege aeterna, eorum malitia moralis in difformitate ab illis. Quod si quaeratur ultima et differentialis perfectio quae est in illa habitudine quae est bonitas, respondetur esse

ipsam actualem subordinationem libertatis humanae in suo exercitio ad Dominum Supremum illius actus: perfectio enim moralis non est perfectio physica sed est in usu rei moralis, nempe potestatis moralis seu dominii participati super actum humanum secundum altiorem potestatem moralem super eumdem, secundum nempe dominium supremum exercitum super eumdem actum. Quod si quaeratur quomodo homo naturaliter inclinatur in tale bonum, respondetur hominem habere naturalem tendentiam non tantum in finem intrinsecum (cuius nempe ipse est finis *cui*) sed etiam ad bonum quod est finis extrinsecus (cuius scilicet alter est finis *cui*) et supra omnia ad illum bonum seu finem extrinsecum cuius ipse Deus Creator et Dominator eius est finis *cui* simpliciter ultimus.

*Coroll. 4.* — Constat ex probatione prima theseos necnon ex secunda rectam rationem esse regulam etiam negative proximam, i. e. quod subaudit alteram, supremam, cui ipsa conformari debet, ut sit regula. Nam ratio non potest proprie et sua auctoritate imperare hominem aut eius voluntatem; primo quia non est ab his distincta distinctione suppositi; secundo quia Deus est cuius solius est imperare hominem in quantum est homo, Ipse enim fecit illum et Eius est, et concessit dominium homini super actus suos solummodo secundum limitationes quas ipse necessario vult necessitate consequenti ad creationem talis naturae. (Cf. Billot, Opusc. cit., p. 20).

*Ad Difficultates.* — 1. Regula quam quaerimus est obiectiva; recta autem ratio est subiectiva: ergo.

℟. Regula quam quaerimus est obiectiva, i. e. independens a defectibilitate et mutabilitate subiecti humani, conceditur; sensu quod est aliquid extra subiectum humanum, subdistinguitur, regula suprema qua talis, con-

ceditur; regula proxima, iterum distinguitur, quoad fundamentum et criterion evidentiale, conceditur; in sua formali ratione, negatur. Iam vero recta ratio non est regula nisi in quantum recta; inquantum autem recta independens est a defectibilitate subiecti humani; neque est recta ratio regula suprema, sed proxima, et quidem formalis, supponens certe fundamentum sui dictaminis et criterion evidentiale extra se ipsum.

2. Bonum morale est bonum honestum; honestum autem tale est ex convenientia cum natura rationali: ergo haec natura est regula proxima moraliter boni.

℟. Bonum morale est bonum honestum prout hoc opponitur turpi, et proinde habens aliquem decorem ex ordinatione rationis, conceditur; prout honestum opponitur utili et delectabili, subdistinguitur, ad exclusionem cuiuscunque simul rationis utilis aut delectabilis, negatur; simpliciter in quantum est bonum in se, iterum distinguitur, sensu quod formalis ratio bonitatis moralis stat in illa praecisa bonitate in se, conceditur; quoad bonitatem fundamentalem, iterum distinguitur, sensu quod habet talem rationem boni in se, conceditur; sensu quod praecise constituitur ex illa ratione, negatur.

Attamen, licet actus humanus moraliter bonus sit actus honestus in sensu opposito ad turpe, itemque in quantum etiam habeat rationem boni in se et proinde est etiam conveniens rationali naturae, formalis ratio bonitatis moralis stat in perfectione actus humani in quantum positus ab homine qua domino participato sui actus, et proinde prout dicens ordinem ad dictamen proveniens ex Domino Supremo; ita quidem est secundum illam ordinationem aliquid in se et propter se bonum: fundamentalis autem bonitas, ut videbimus in proxima thesi praeter rationem

honesti dicit utilitatem ad finem humanae vitae, et in hac utilitate praecise est fundamentum bonitatis moralis.

3. Bonum morale est specificum hominis; atqui bonum hominis specificum mensuratur per convenientiam ad rationalem naturam: ergo.

℟. Bonum morale est quidem bonum specificum hominis et proinde invenitur conveniens rationali naturae, sed non est quodlibet specificum bonum, sed bonum specificum secundum ultimam rationem activitatis specificae hominis praecise qua homo est dominus participatus sui actus, et secundum hanc formalitatem non sufficit mensura convenientiae cum natura rationali sed formaliter requiritur conformitas cum dictamine Domini Supremi. In sua formalitate huiusmodi perfectio humani actus induit rationem boni et finis extrinseci et revera datur in homine tendentia naturalis non tantum ad finem intrinsecum sed etiam ad finem extrinsecum et super omnia ad finem extrinsecum cuius finis *cui* est ipse Deus.

4. Norma moralitatis debet est talis ut pro omnibus eaedem et omnes regulae et leges honestatis inde derivari possint; ut hae regulae sint immutabiles et nihilominus in concreto varias applicationes pro diversitate circumstantiarum admittant; ut ipsa norma sit omnibus hominibus perpetuo praesens et manifesta; atqui de sola rationali natura tanquam norma verificantur hae omnes proprietates: ergo...

℟. Concessis ceteris proprietatibus, distinguitur ultima: debet esse omnibus hominibus perpetuo praesens et manifesta, i. e. debet perpetuo esse in promptu omnibus hominibus quatenus habent semper facultatem naturaliter proportionatam et tendentem ad normam formalem proximam efficiendam, conceditur; praesens et ma-

nifesta, sensu quod semper debent habere normam actu efformatam, negatur. Cum illa distinctione in quantum ad concessionem negamus proprietates verificari de sola natura rationali, siquidem verificantur etiam de *recta* ratione. Ratio humana falli potest et non esse recta: sed facultas per se verax est, et criterion evidentiale semper in promptu est, est enim natura humana, et datur in ratione humana naturalis tendentia ad efformandum dictamina recta secundum illud criterion: unde quando ratio formaliter recta non adest in aliquo homine respectu alicuius actionis, hoc fit per accidens, et non officit essentialibus requisitis normae in recta ratione. (Cf. Cathrein, nn. 110, 111 et 112, ubi supradictae difficultates ponuntur tanquam argumenta pro altera sententia.

5. Debet moralis bonitas esse perfectio in ipso homine; atqui conformitas actionis cum dictamine rationis non est perfectio in ipsa homine: ergo...

℟. Debet esse perfectio physica, nego; moralis quae sistit in subordinatione domini participati ad Dominum Supremum in usu libertatis suae, conceditur. Haec bonitas in ultima sua consideratione formali est bonum quod homo offert alteri, Deo nempe, fini suo *cui* simpliciter ultimo; est autem simul in ipso homine fundamentum meriti quod est bonum morale consequens moralem illam bonitatem et exigens ut homo habeat in suo termino illam perfectam beatitudinem, quae est suprema eius perfectio physica. Ipse actus in quantum Deo obsequens involvit Dei gloriam, quae simul est perfectio hominis glorificantis; promovet insuper specificam illam et complexam gloriam quam Deus intendit ex hac vita habere.

6. Moralitas formalis habetur ex obiectiva; regula autem obiectivae moralitatis non est dictamen rationis, sed antecedit illud: ergo...

R. Actus sumit specificam suam moralitatem ex obiectiva, sed in quantum ad genericam, haec venit secundum illam ultimam rationem obsequii ad dictamen Dei aut difformitatis ab illo, quae ratio, siquidem terminans volitionem agentis potest includi in adaequata moralitate obiectiva, licet communiter ab arguente non intenditur ita includi. Obiectiva vero moralitas quae sumiter antecedenter ad Dei dictamen, certissime non includit illud ultimum elementum et proinde non proprie est formalis moralitas obiecti sed tantum fundamentalis moralitas, de qua in proxima thesi.

## Articulus II.

### De Fundamentali Regula Morum.

**THESIS XIX. — Fundamentalis regula moralitatis est communis finis humanae vitae.**

Cf. Bucceroni, De Actibus Humanis, comment. 9, nn. 10 ad 13; Billot, De Natura Peccati, p. 17; Ferretti, thes. XXII; Opusc. cit., thes. III.

*St. Qu.* — Regula fundamentalis duplici sumitur sensu:

*a*) Est fundamentum regulae formalis et primario regulae supremae seu legis aeternae; hoc sensu est id quo posito lex necessario ponitur et quidem talis qualis est; seu id propter quod ipsa lex aeterna ponitur. Ita sumpta regula fundamentalis evidenter est finis simpliciter ultimus Dei creantis; et in quantum lex respicit hominem est communis finis omnium hominum seu finis hominis simpliciter ultimus: ratio utriusque est quia omnis lex ponitur ob bonum commune, finis autem hic est bonum commune hominum, sicut in sensu ampliori finis simpliciter ultimus Dei creantis universum est illud bonum commune propter quod Deus posuit legem aeternam. Item constat Deum opificem sapientissimum, determinato fine ultimo suae creationis, non posse non propterea creare naturas proportionatas ad illum et etiam ordinare eorum actus et motus omnes in ordine ad illum finem habendum. Talis regula denominatur regula fundamentalis et remota.

*b*) Est etiam fundamentalis regula moralitatis illa regula cum qua conformis actus humanus habet fundamentalem moralitatem, seu efficit id quod lex aeterna et recta ratio dictat, licet cum praecisione ab ipso dictamine. Hoc sensu non est confundendus cum fundamento illius habitudinis quae est formalis moralitas, quia hoc fundamentum est id quo habito in actu humano hic actus est per illud conformis regulae formali moralitatis et proinde formaliter bonus moraliter. De regula fundamentali sumpta sensu secundo agitur in thesi. Attamen prout comparatur cum formali regula differt in hoc quod non sit regula tum directiva tum gubernativa, sed in se ipsa tantum directiva. Iam vero, licet actus moraliter bonus ordinatur ad conducendum hominem ad beatitudinem et statum permanentem et perpetuum formalis Dei glorificationis, nexus inter actus humanos et beatitudinem est nexus meriti; meritum autem praesupponit actum iam esse moraliter bonum: unde hic volumus quaerere regulam fundamentalem moralitatis prouti haec constituitur antecedenter ad meritum. Item quum actus humanus cessat cum hac vita, actus enim hominum in termino alterius vitae sunt necessarii et proinde non proprie humani, quaestio nostra refert ad fundamentum aliquod proximum seu respectu huius vitae. Fundamentum igitur quod hic quaerimus se habet ad fundamentum legis aeternae, sicut recta ratio se habet ad illam legem. Haec regula erit quidem fundamentum propter quod Deus lege aeterna praecipit et prohibet et permittit actus humanus in hac vita, et simul erit fundamentum propter quod recta ratio specificat sua dictamina: denominari potest regula fundamentalis et proxima.

Communis finis humanae vitae sensu latissimo significare potest finem illud simpliciter ultimum quem homo

habet cum reliqua creatione, bonitatem nempe Dei glorificandam: potest etiam significare suam propriam et simpliciter ultimam participationem intrinsecam in illo fine, nempe suam beatitudinem perfectam: in priore sensu est fundamentum remotum legis aeternae, ut indicatur supra sub primo sensu regulae fundamentalis; in altero sensu est fundamentum remotum legis aeternae prout respicit bonum hominis simpliciter ultimum, et hoc sensu clarius dicitur communis finis *totius* humanae vitae. Restringimus nos rem ad tertium sensum, nempe ad finem relative ultimum efficiendum *in via,* i. e. in hac vita terrestri: in hoc sensu invenitur hic finis in generali illo Dei proposito quod indicatur supra sub thesi nona.

Finis humanae vitae hoc sensu limitato non excludit finem totius humanae vitae neque finem simpliciter ultimum totius universi, sed dicit ordinem ad illos; ordo autem hic procedit mediante merito, et nos hic quaerimus regulam antecedenter ad meritum. Deus creatione intendit gloriam suam externam habere, cuius quaedam pars erit in perpetua gloria sua formali tribuenda a beatis; altera autem pars huius gloriae intenditur habenda in hac vita et quidem formaliter ex hominibus. Deus condidit naturam humanam proportionatam ad illam ultimam gloriam reddendam et etiam ad gloriam eius praestandam specificam in hac vita, cuius debita redditio ab homine haberet rationem meriti beatitudinis, et ita duceret ad statum perpetuae gloriae. Per finem igitur humanae vitae volumus illam praecisam gloriam complexam quam Deus creatione intendit habere in hac vita, in quantum reddenda sit ab homine activitate sua humana. Ad hanc specificam et complexam gloriam suam Deus necessario proportionavit omnes naturas in hoc mundo et specialiter naturam humanam, et posuit in

illis tendentias quibus moventur ad illam efficiendam secundum naturam uniuscuiusque. Plenitudo illius finis manifestatur in illis naturis cum suis naturalibus tendentiis, et respectu hominis pars eius per activitatem humanam efficienda invenitur manifesta in eius rationali natura cum omnibus suis naturalibus aptitudinibus et tendentiis. Uti constat ex his dictis explicite agimus de fine Dei creantis efficiendo, sed uti iam supra notatur, realiter hic identificatur cum fine hominis efficiendo. Insuper quum gloria externa Dei semper sit aliqua perfectio creaturae ex communicata bonitate divina, considerari potest hic finis humanae vitae sub aspectu perfectionis hominis, cui subordinantur cetera entia in mundo; sed licet secundum hanc rationem necessario prius ab homine cognoscitur, non secundum eam rationem fundat moralitatem quae respicit formalem regulam moralitatis, siquidem haec habet suam bonitatem in obsequio versus dictamen divinum. Hoc autem obsequium est bonum principaliter considerandum in actu humano in quantum ordinato ad Deum tanquam finem *cui,* et proinde est bonum homini extrinsecum.

Huiusmodi regulae conformis est actus humanus, quando actualiter promovet illam gloriam Dei externam complexam et ultimam quam Deus intendit habendam in hoc mundo secundum naturam humanam in ipso positam; item et proinde, talis actus habet in se ipso illam praecisam gloriam externam quam Deus intendit habere ex tali actu: secundum priorem rationem bonitas illius actus rationem habet boni utilis, secundum posteriorem vero habet rationem boni in se; utraque ratio est boni homini extrinseci in quantum praecise gloria Dei, sed semper etiam boni simul homini intrinseci, siquidem gloria illa semper est participatio divinae bonitatis in

ipso ente glorificante. Difformis ab illa regula erit actus qui frustrat ultimam et complexam illam gloriam intentam a Deo habendam in hoc mundo ex activitate humana, et proinde licet habeat aliquam gloriam obiectivam in se secundum suam actualitatem, caret tamen illa gloria quam Deus intendebat habere ex illo actu si alius esset, promovens nempe finem humanae vitae.

Probatur. — Arg. 1. Illud est fundamentalis regula proxima moralitatis, propter quod in hac vita (seu in via hominis) Deus in lege aeterna necessario decrevit et recta ratio dictat actus humanos quosdam faciendos, quosdam evitandos, quosdam permittendos; atqui id in hac vita propter quod Deus ita decrevit et recta ratio dictat est communis finis humanae vitae: ergo fundamentalis regula proxima moralitatis est communis finis humanae vitae.

Ad Mai. — Ita enim non tantum est proximum fundamentum necessarii decreti divini et dictaminis rectae rationis, sed simul necessario est id cum quo conformis actus humanus simul conformatur ideae exemplari in divina mente et recta ratione, secundum quam conformitatem habet moralem bonitatem fundamentalem.

Ad Min. — Deus enim necessario ordinat humanos actus proxime propter finem relative ultimum efficiendum in hoc mundo terrestri, qualis est communis finis humanae vitae.

Arg. 2. — Illud est fundamentalis regula proxima moralitatis, cui conformis actus addito obsequio ad imperium rectae rationis et legis aeternae fit formaliter bonus moraliter; atqui actus humanus conformis fini humanae vitae fit addito obsequio ad imperium rectae rationis et legis aeternae formaliter bonus moraliter: ergo

finis humanae vitae est fundamentalis regula proxima moralitatis.

Ad Mai. — Ita enim actus habet fundamentalem moralitatem.

Ad Min. — Finis enim humanae vitae et media proportionata ad illum, scilicet actus humani fini conformes, constituunt totum illud quod cadit sub imperio rectae rationis et legis aeternae in quantum respicit hunc mundum seu vitam terrestrem. Unde his actibus si addatur quod fiant ex obsequio ad divinum imperium in lege aeterna, nobis manifestatum in dictamine rationis rectae, nihil deficit quominus sint conformes rectae rationi et legi aeternae et proinde formaliter boni.

*Scholion.* — Dantur quidem actus humani, sicut e. g. amor Dei et proximi, qui ex intrinseca natura evidenter tales sunt ut necessario promoveant finem humanae vitae, seu conformes sint huic regulae, et proinde a nulla lege possint prohiberi, sed necessario imperentur lege aeterna: alii dantur, sicut v. c. blasphemia, qui evidenter ex natura sua tales sunt ut non possint non frustrare finem humanae vitae, seu ab hac regula sint difformes, et a nulla lege possint praecipi aut permitti, sed necessario prohibeantur lege aeterna. Huiusmodi actus homines pronuntiant intrinsece bonos aut malos, et quidem independenter ab omni lege humana aut divina: attamen talis eorum praedicatio posita cum praecisione a lege aeterna est solummodo de fundamentali actuum moralitate, cum connotatione (quae quidem est in ipsa moralitate fundamentali) ad necessariam eorum iussionem aut prohibitionem consequentem tum in lege aeterna tum in recta ratione. Hi actus non sunt fundamentaliter boni aut mali quia praecepti aut prohibiti; sed non induunt formalem

rationem moralitatis nisi ex dictamine rectae rationis et legis aeternae.

*Ad Difficultates.* — Notanda. 1. Actus est moraliter bonus antecedenter ad ordinationem ad finem ultimum obtinendum, scilicet ad beatitudinem, quae revera obtinetur per meritum quod quidem supponit moralem bonitatem in actu; sed non antecedenter ad ordinationem ad finem ultimum efficiendum, gloriam nempe Dei externam.

2. Neque est actus fundamentaliter bonus per convenientiam ad naturam rationalem, independenter a fine efficiendo, quia finis non est propter naturam rationalem, sed Deus prius elegit finem et deinde naturam rationalem per quam efficeret finem: unde in quantum ad bonitatem moralem, finis efficiendus non est bonus quia conformis naturae rationali, sed natura rationalis bona est ex proportione ad finem efficiendum.

3. Formalis bonitas moralis non stat in ratione utili, licet utilitas meriti ad beatitudinem obtinendam consequatur ipsam, sed est bonitas in se, nempe in perfectione habita in obsequio actus domini participati ad imperium Domini Supremi in iis quae Dominus Supremus necessario vult respectu illius domini participati eiusque actus, consequenter ad finem et naturam creatam ad illum finem. Fundamentalis bonitas moralis stat simul in bono utili et bono in se, uti explicatur in statu quaestionis, ubi constat eam esse non in quavis utilitate, sed in proportione ad efficiendum illam specificam gloriam quae est finis Dei creantis.

4. Repugnat quidem dari regulam formalem moralitatis natura priorem quam regulam supremam; non autem repugnat sed requiritur ut detur regula fundamentalis natura sua prior.

5. Fundamentum legis non necessitat Deum, sed posito fundamento Deus ex sua natura intrinseca necessitatur ad ponenda ea in lege aeterna, quae de facto ponit.

6. Praecisione a lege aeterna non datur moralitas formalis, neque est ulla inconvenientia in illo facto: sed habetur fundamentalis moralitas in supposito naturae humanae creatae. In supposito quod Deus non vellet creare, neque fundamentalis haberetur moralitas nisi hypothetica, sicuti quidem non haberetur lex aeterna nisi hypothetica, quae vere lex non est.

7. Non potest actus esse contra finem humanae vitae et non esse simul contra legem naturalem, et rationem *rectam:* quod si detur talis actus contra finem sed secundum conscientiam erroneam, constat hanc non esse rectam rationem; actus autem talis per accidens in casu conscientiae invincibiliter erroneae non violat legem, quia propter errorem non est in quantum contra legem actus voluntarius. Iterum si quis, v. g. occidat hominem censens eum esse feram, actus materialiter malus est; sed actus formaliter sumptus, nempe secundum ea quae in ipso voluntaria sunt, non est contra finem neque legem, licet per accidens hoc eveniat sicut in priori casu.

8. Deus praecipit actus quia bonos fundamentaliter, et prohibet quia malos fundamentaliter.

9. Actus qui conformis est rationali naturae est quidem praeceptus vel permissus a Deo, sed non quia talis, sed quia omnis talis actus est necessario proportionatus ad finem humanae vitae: unde rationalis natura non est regula fundamentalis, sed criterion evidentiale regulae fundamentalis directe et per hanc fundamentalem indirecte etiam regulae formalis.

## Articulus III.

### De Falsis Morum Regulis.

**THESIS XX. — Regula moralitatis statuta ab Utilitariis nequit esse vera moralitatis regula sive formalis, sive fundamentalis, sive logica.**

Cf. Ferretti, thes. XXIII.

*St. Qu.* — Utilitarii omnes assignant felicitatem temporalem tanquam terminum formalem moralitatis, statuendo moralitatem formalem consistere in habitudine utilitatis actus humani ad eam felicitatem aut conferendam aut acquirendam. Contra hos possemus impugnare eorum rationem moralitatis formalis, quum, uti supra iam statuimus, haec formalis habitudo non sit utilitatis ad aliud sive obtinendum sive possidendum, sed obsequii legi aeternae facti, quod habet rationem boni in se et honesti, quatenus est Dei formalis gloria, et etiam fundamentalis moralitas non sit in utilitate ad acquirendum aliquid sed ad efficiendum gloriam Dei, neque in hac sola stare, sed involvere suam propriam gloriam Dei externam in ipso actu, quae gloria iterum est bonum in se et honestum. Attamen potius aggredimur controversiam secundum errorem in termino moralitatis assignando.

Felicitas obiectiva temporalis iuxta Utilitarios est aggregatio omnium bonorum ab homine adipiscibilium in praesenti vita, sicut divitiae, fama, potestas, voluptas etc. Formalis felicitas temporalis est illorum possessio in quantum fieri potest. Felicitas temporalis subiectiva est ultima quies animae fruentis illis bonis possessis, quae denomi-

natur ab Utilitariis eudaimonia temporalis. Diversimode explicant quomodo felicitas temporalis sit terminus habitudinis moralitatis.

Omnes Utilitarii docent felicitatem temporalem subiectivam esse finem hominis ultimum et moralitatem actuum humanorum esse diiudicandam ex proportione medii in actu ad hanc felicitatem obtinendam. Ut plurimum volunt illam felicitatem esse terminum formalem moralitatis, sed in sua explicatione aliqui eorum videntur loqui solummodo de regula aliqua logica, sicut etiam alii aliam habent ideam subiectivae felicitatis.

I. Hedonistae felicitatem subiectivam ad voluptatem sensibilem explicite limitant: ita antiquitus Epicurei (Aristippus, Epicurus, Lucretius et alii), recentius Encyclopedistae (Diderot, Helvetius, De Condillac, De Lamettrie, Holbach et De Volney).

II. Utilitarii Britannici, siquidem non agnoscant animae humanae spiritualitatem, felicitatem ad voluptatem sensibilem implicite limitant, licet interdum verbo distinguunt inter voluptatem animae et voluptatem corporis. Attamen in hac distinctione non faciunt delectationem animae aliquid supra sensibile seu spirituale, sed distinguendo, sicut veteres Epicurei, inter voluptatem in obiecto materiali in praesens possesso, et delectationem super bonum materiale in memoria tanquam aliquid antea possessum, illam tribuunt corpori, hanc vero animae, sed in utroque casu delectationem volunt facultatis materialis super bonum materiale et proinde pure sensibilem.

Verus fundator Utilitarismi moderni fuit Thomas Hobbes qui statuens nullam esse moralitatem extra societatem civilem seu, ut ait, in statu naturae, intra vero societatem civilem moralitatem pendere ex legibus civilibus, tamen in sua explicatione obligationis tanquam solum-

modo ex sanctione legum reducit moralitatem ultimatim ad proportionem in actu humano ad afferendum ipsi operanti voluptatem sensibilem. Praeter Encyclopedistas, etiam Paley, Bentham, Hartley, James Mill et John Stuart Mill doctrinam eamdem sequuntur, cum quibusdam modificationibus. Hartley admittens in homine amorem benevolentiae, cuius existentiam Hobbes, Bentham et Encyclopedistae negaverunt, eius explicationem tribuit associationi idearum. Obiectum enim secundum Hartley, quod primo desideratur propter voluptatem ipsi connexam, postea amatur, ratione voluptatis amissa, eo quod connexum sit in nostris ideis memorativis cum voluptate ab ipso olim data. John Stuart Mill eamdem explicationem ultra evolvit usque ad plenam rationem altruismi, ita ut doceat finem ultimum nostrum esse maximam felicitatem numeri hominum quam maximi. Huic sententiae adhaeret inter Anglos Bain, et inter Germanos Puffendorf, Lotze et Paulsen.

III. Evolutionistae suam theoriam etiam in re morum urgent. Est enim iuxta illos necessaria tendentia in natura humana existente ad vitam evolvendam et in praesenti stadio nostrae existentiae ad evolvendam vitam socialem. Inter hominis actiones quaedam sunt fortuitae, quaedam diriguntur ad fines; solae posteriores pertinent ad mores. Inter has autem quaedam sunt non-ethicae, quaedam ethicae: non-ethicae sunt illae quae evolutionem societatis civilis praecedunt; ethicae sunt illae quae civitatis existentiam consequuntur, et ad eiusdem evolutionem pleniorem inserviunt. Iam vero omnes actiones quae vitae socialis evolutionem promovent, voluptatem secum annexam habent; quae huic evolutioni obstant, dolore afficiuntur. Per voluptatem igitur et dolorem diiudicanda est utilitas aut ineptitudo actionum nostrarum ad vitam

humanam evolvendam, et proinde earum moralis bonitas aut malitia. Haec autem norma non semper apparet esse norma quam homines in suis iudiciis moralibus sequuntur: sed etiam in his iudiciis voluptas et dolor est ultima ratio iudicii, siquidem discrepantia apparens veniat vel, uti iam dixerat Hartley, ex associatione idearum, vel ex atavismo et associatione physiologica inter voluptates et subsequentes modificationes in structura cerebri humani. Iudicia igitur nostra ethica explicantur vel directe ex amore voluptatis, vel indirecte ex illo per ea quae exinde evolutione fluunt, sicut in associatione idearum et phan tasmatum, et in transmissione hereditaria. Ex tota hac fictione constat Evolutionistas ponere regulam formalem moralitatis in humana natura civiliter (seu secundum suam vitam socialem) evolvenda, tanquam in fine ultimo hominum, formalem vero bonitatem moralem in habitudine utilitatis ad hunc terminum, et proximam regulam saltem logicam in voluptate sensibili. Ita Spencer.

IV. Pessimistae, assumentes in vita humana bonis praeponderare mala, statuunt finem ultimum hominis esse in miseria evitanda et moralitatem actus stare in eius utilitate ad talem evitationem: ita Schopenhauer, Nietsche et alii.

V. Leibnitz et Wolff ponunt ut formalem moralitatis regulam culturam personalem; Hartmann et Wundt culturam societatis civilis, et formalem bonitatem in utilitate ad talem culturam.

Per logicam regulam intendimus terminum habitudinis actus, quae tribuit nobis connaturaliter proxime evidentiam super quam diiudicare possimus actum illum etiam habere formalem bonitatem.

Probatur. — Arg. 1. Illa nequit esse regula sive formalis, sive fundamentalis sive logica moralitatis quae est

regula contingens et variabilis; atqui regula posita ab Utilitariis est contingens et variabilis: ergo neque formalis, neque fundamentalis, neque logica esse potest regula moralitatis.

Ad Mai. — Universalis, constans et uniformis consensus hominum affirmat quosdam esse actus immutabiliter (quia intrinsece) malos, quosdam immutabiliter (quia intrinsece) bonos; atqui immutabilis illa ratio excludit regulam moralitatis contingentem et variabilem. Insuper iam indicavimus in scholio sub thesi praecedenti hanc intrinsecam rationem adesse in quibusdam determinatis actibus humanis.

Ad Min. — Voluptas sensibilis et dolor propter bonum personale temporale aut propter bonum temporale civitatis, aut humani generis, pendet a circumstantiis, opinionibus et desideriis hominum, quae certo contingentes sunt et variantur secundum tempora, loca et personas.

Arg. 2. — Illa regula neque formalis, neque fundamentalis, neque logica moralitatis esse potest quae involvit falsum finem ultimum hominis; atqui regula Utilitariorum involvit felicitatem personalem, vel communem, aut culturam personalem vel communem, esse finem hominis ultimum, qualis neque una neque altera est: ergo regula Utilitariorum nequit esse regula moralitatis.

Ad Min. — Ponunt enim moralitatem in ratione utilitatis actus ad diversa illa cum suppositio aut explicito aut implicito quod tale sit ultimum bonum homini desiderabile et ad quod natura sua homo ordinatur. Ad factum quod attinet, homo potest suum finem relative ultimum efficere et simpliciter ultimum obtinere sine felicitate temporali sive in se sive in societate sua civili,

sine cultura (sensu adversariorum) temporali sive sua sive communitatis.

*Confirmatur.* — Ubicunque quodvis ex supradictis systematibus Utilitarismi inventum est applicatum vitae hominum, summam immoralitatem et miseriam exinde consecutas esse et consequi a candido nullo negari potest.

**THESIS XXI. — Ratio humana nequit esse, ut Rationalistae volunt, regula moralitatis suprema.**

Cf. Ferretti, thes. XXIV; D. Thom., q. 19, a. 4; Suarez, De Bon. et Malo, d. 11, sect. 2.

*St. Qu.* — Rationalistae tanquam principium fundamentale in re morum docent rationem humanam esse regulam formalem moralitatis prorsus independenter a quolibet alio ente, et proinde supremām. Quam quidem doctrinam Emmanuel Kant evolvit secundum sequentia capita.

Sicut iudicia nostra speculativa sunt a priori per a priori formas rationis, ita et iudicia nostra practica esse debent. Forma a priori practica est ipsa ratio humana prout autonoma, seu imperia edens independenter a quolibet alio ente.

Huius rationis dictamina sunt leges naturales: quod si eduntur ob aliquem finem obtinendum, conditionatae sunt et non sunt principia morum; si vero independenter ab omni ratione finis ponuntur, absoluta sunt et tunc solum principia morum sunt. Fundamentale huiusmodi dictamen denominatur Imperativum Categoricum.

His imperiis absolutis si voluntas hominis obediat praecise quia imperia sunt et sine ullo superaddito motivo finis aut obedientiae versus quodlibet ens superius,

voluntas dicitur autonoma, et per ipsam homo constituitur moraliter bonus. Si autem homo obediat ob rationem finis aut ob auctoritatem ullam extra se ipsum, voluntas dicitur heteronoma, et per eam, non secus ac per inobedientiam contra imperia rationis absoluta, homo moraliter malus constituitur.

Norma igitur moralitatis formalis tum proxima tum suprema est ratio a priori et absolute imperans. Moralitas formalis in duplici conformitate huic normae consistit, obiectiva, uti dicitur, in quantum nempe actus hominis rationi absolute imperanti obedit, et subiectiva in quantum obedit praecise et nonnisi quia ratio praecipit.

Supremam rationis absolutae legem Kant statuit secundum hanc formulam: « Sic age ut norma tuae voluntatis simul principium universalis legislationis esse possit ». Quam formulam ita explicat: si homo, considerans actum possibilem, videat illum actum universaliter permissum destructurum esse finem intrinsecum ipsius actionis, illum actum ratio absolute vetat. Tali explicatione Kant normam fundamentalem inducit, et ita puritatem suae formae practicae a priori destruit, atque inducit rationem finis, quam voluit totaliter excludere. At non observans se ita non sibi constare, censet se principium contradictionis ordini practico ita applicare.

Iterum quando logice sentit necessitatem alicuius distinctionis personarum inter imperantem et subditum imperii, distinctionem fingit inter hominem phenomenalem, scilicet hominem prout persona est ad mundum sensibilem pertinens, et hominem noumenalem, nempe prout persona est ad mundum intelligibilem pertinens, atque hominem noumenalem tanquam superiorem et imperantem statuit, hominem vero phenomenalem tanquam inferiorem et subditum imperii.

Nos non negamus rationem humanam vero aliquo sensu esse regulam formalem moralitatis, proximam videlicet, sed negamus eam esse supremam prout a Rationalistis asseritur.

Probatur. — Arg. 1. Illa non est regula suprema moralitatis quae non est ultimus sibi finis et lex; atqui ratio humana non est sibi ultimus finis et lex: ergo ratio humana non est suprema moralitatis regula.

Ad Mai. — Rationalistae concedunt nobis, id quod ceteroquin supra iam probavimus, formalem regulam moralitatis esse gubernativam et proinde dantem imperium; atqui illa regula quae imperium dat et non est sibi ultima lex, debet in suo imperio confirmari alteri legi et proinde non est regula suprema. Pariter regula quae non est sibi ultimus finis, habet ex natura sua rationem medii: exigentia autem vel imperium naturale illius quod habet naturam medii debet conformari fini ad quem medium est et proinde nequit esse regula suprema in illa exigentia aut imperio.

Ad Min. — Ex prima thesi constat Deum necessario ob semet ipsum creasse hominem; unde neque homo neque eius ratio potest esse ultimus sibi finis: ex thesi decima constat Deum necessario ordinasse hominem simul cum ceteris creatis ad suam gloriam per legem aeternam; ideoque neque homo neque eius ratio potest esse ultima sibi lex.

Arg. 2. — Illa regula non est moralitatis suprema quae est mere subiectiva; atqui ratio imperativa Kantii est regula mere subiectiva: ergo non est regula moralitatis suprema.

Ad Mai. — Primo, quia mere subiectiva regula esset contingens et variabilis, quae stare non potest cum immutabili ratione moralitatis, quam invenimus in quibus-

dam actibus humanis ex sua intrinseca natura. Secundo, ratio nostra tanquam facultas cognoscitiva non facit iudicia etiam practica vera nisi in quantum sequitur evidentiam obiectivam, quae invenienda est ultimatim in obiectivitate rerum, uti ostenditur in ogica.

Ad Min. — Quia est forma mentis a priori. Quod si Kant conatur hanc difficultatem evitare recurrendo ad applicabilitatem praecepti hominibus universaliter, deserit suum principium formae a priori, et inducit finem actionis tanquam terminum habitudinis ulterius necessariae, et ita facit suam rationem autonomam non amplius esse regulam supremam, sed subordinatam fini actionis. In quantum autem ad hunc finem tanquam regulam, nos supra admisimus talem finem, si ultimum, posse esse regulam fundamentalem; si proximum tantum licet naturalem, posse esse regulam logicam.

Arg. 3. — Ratio humana, ut sit regula imperativa suprema moralitatis, debet esse persona distincta realiter a persona hominis cui imponitur eius praeceptum: atqui nulla datur talis distinctio realis personarum in homine: ergo ratio humana nequit esse regula moralitatis suprema.

Ad Mai. — Principium quod requiritur distinctio realis personarum inter imperantem et subditum admittitur a Kantio: ratio principii in promptu est quia obligatio, sine quo non datur proprie praeceptum, dicit necessitatem ad actum vel ad reatum culpae; hic autem reatus dicit imputabilitatem, quae postulat unam personam realem, secundum inaequalitatem debiti respectu alterius; hic autem alter debet esse persona realiter alia, quia nonnisi inter duas personas realiter distinctas potest dari realis inaequalitas secundum imputabilitatem unius propter ablatum debitum alteri.

Ad Min. — In uno homine una tantum est persona, quia homo est unum per se et proinde una tantum natura, et personalitas est complementum ipsius naturae individuale, est enim naturae rationalis individua substantia. Quod si urgeatur fictitia illa distinctio Kantii inter personam phenomenalem et noumenalem, reponimus rationem personalem ab homine agnosci primario per conscientiam suimet ipsius in ratione personae; unde si duplex personalitas in eodem homine esset tanquam phenomenalis illa Kantii et noumenalis, subaudiret in nobis actualem conscientiam utriusque personae, quae conscientia de facto non datur, ut experientia constat.

Arg. 4. — Illa non est regula suprema moralitatis quae excludit ex categoria actuum moraliter bonorum plures actus qui concordi hominum consensu agnoscuntur ut tales; atqui ratio, prout proposita a Kant tanquam regula moralitatis, actualiter plures tales actus excludit: ergo non est regula moralitatis suprema.

Ad Min. — Plures actus heroici, sicut sacrificium vitae propriae pro salute alterius, universaliter reputantur moraliter boni: attamen a tali ratione excluduntur per regulam Kantianam, siquidem non *imperantur:* item inclusio aliorum motivorum praeter reverentiam legis non accipitur ab hominibus tanquam destruens bonitatem moralem actus, licet secundum regulam Kantianam talis inclusio bonitatem actus destruat.

*Confirmatur.* — Regula Kantii excludit a bonitate actus positos ob motivum beatitudinis: attamen talis exclusio est contra naturam; siquidem natura humana constituitur a Deo tanquam tendens cognoscitive et appetitive tum ad impletionem voluntatis divinae tum ad adeptionem beatitudinis perfectae, et cum naturali expectatione habendi beatitudinem propter impletionem illam.

**THESIS XXII. — Adaequata regula omnis moralitatis nequit reponi, ut Positivistae Morales volunt, in facto aliquo pure contingente.**

Cf. Ferretti, Thes. XXV.

*St. Qu.* — Positivismus in genere est systema philosophicum quod reiiciens omnem metaphysicam cognitionem essentiarum rerum admittit tanquam vera solummodo facta quae hominum experientiae subiiciuntur eorumque relationes. Augustus Comte, systematis antesignanus, de principiis moralitatis modo confuso loquitur, interdum faciens publicam opinionem esse regulam morum, interdum insinuans alicuius modi instinctum internum. Positivismus autem Moralis docet ultimam et adaequatam regulam moralitatis omnis esse legem aliquam prorsus libere factam (et proinde sine ullo fundamento propter quod legislator ad ponendam legem necessitatur), vel aliquod aliud factum consequens ex activitate humana pure libera et contingente.

I. Ita Puffendorf, Cartesius et ex Nominalistis plures, qui omnes tenent supremam regulam morum esse voluntatem Dei prorsus liberam; unde Deus potest secundum illos, si velit, id quod nunc est malum facere esse bonum et vicissim. Cartesius similem errorem de veritate docuit statuens eam a libero Dei decreto absolute pendere.

II. Hobbes, Rousseau, Schola Hegeliana et Liberalismus Continentalis contendunt distinctionem inter bonum et malum morale invectam esse inter homines libera hominum lege civili et nullum aliud habere fundamentum,

III. Montaigne distinctionem illam censet inductam fuisse educatione; Mandeville opinione hominum ingenio et auctoritate naturali praeditorum; Saint Lambert opinione et consuetudine populari.

Unde constat Positivistarum doctrinam in hac re duplex habere elementum, negativum quo omne moralitatis fundamentum necessarium in natura actionis (et proinde omnem intrinsecam rationem moralitatis) reiiciunt; affirmativum, quo in communi asserunt determinationem moralitatis actus humani provenire ex sola causa extrinseca et libera.

Distinguimus nos ex una parte actus malos tantum quia prohibitos et bonos solum quia praeceptos, atque ex alia parte actus divinitus prohibitos quia intrinsece malos, et praeceptos quia intrinsece bonos et necessarios. 'Priores in se non habent fundamentum exigens necessario divinam prohibitionem aut praeceptum, sed prorsus libere vetantur aut iubentur et ratio eorum malitiae aut bonitatis etiam specifica est inobedientiae aut obedientiae. Posteriores habent in suis naturis fundamentum malitiae aut bonitatis, quatenus intrinsece tales sunt qui frustrent, aut necessarii sint ad promovendum, finem a Deo (necessario necessitate consequente) intentum efficiendum; propter quod fundamentum Deus respective eos necessario aut prohibet aut praecipit. Item homo agnoscens finem humanae vitae ex natura rationali et videns in aliquo actu fundamentum intrinsecum frustrationis respectu illius finis, dictamine suae rationis necessario prohibet talem actum, sicut necessario praecipit alium in quo evidens est fundamentum intrinsecum necessitatis ad promotionem finis eiusdem, in utroque casu denuntians dictamen Dei in lege aeterna.

Probatur. — Arg. 1. (Contra omnes simul Positivistas).

Regula moralitatis nequit esse aliquid contingens et variabile; atqui quaelibet regula Positivistarum est regula contingens et variabilis; ergo nulla regula Positivistarum potest esse regula moralitatis.

Ad Mai. — Secus nequit explicari factum concordis testimonii hominum de immutabili malitia aliquorum actuum et bonitate aliorum quorundam independenter ab omni lege humana aut positiva divina, a quacunque opinione vel consuetudine humana.

Ad Min. — Quia quaevis regula Positivistarum stat in facto aliquo pure contingente.

Arg. 2. — (Contra voluntatem Dei prorsus liberam). Non potest reponi regula moralitatis in eo quod nequit cognosci nisi ex revelatione; atqui decretum divinae voluntatis prorsus liberum nequit cognosci nisi ex revelatione: ergo in illo nequit moralitatis regula reponi.

Ad Mai. — Natura non deficit in necessariis; necessaria est moralitas eiusque cognitio ad naturam humanam; ergo debet esse ipsa, et proinde eius regula, naturaliter cognoscibilis; revelatio autem est aliquid supernaturale.

Ad Min. — Volitio Dei prorsus libera non manifestatur in naturis rerum, ideoque nonnisi ex divino magisterio supernaturali seu revelatione.

Arg. 3. — (Contra legem pure civilem). Lex pure civilis nequit esse regula moralitatis nisi in quantum moraliter malum est transgredi legem civilem, moraliter bonum eam observare; atqui si sola lex ipsa sit regula, nequit dici moraliter bonum eam transgredi, moraliter bonum eam observare: ergo.....

Ad Mai. — Regula legalis non est ut talis regula nisi in quantum vim verae legis habet: nullam autem

talem vim habet, si indifferens est actus obediendi legi vel eam transgrediendi.

Ad Min. — Nam malitia et bonitas talis necessario antecedet ipsam legem, quae in supposito est sola regula moralitatis.

Arg. 4. — (Contra quodlibet factum humanum contingens). Regula formalis morum explicare debet cur idem actus semper et ubique censetur malus, idem alius bonus; atqui nullum factum humanum contingens hanc explicationem reddere valet: ergo nequit quodlibet factum contingens esse formalis regula moralitatis.

Ad Mai. — Moralitas enim est nonnisi in habitudine ad formalem suam regulam.

Ad Min. — Facta humana contingentia, qualia sunt lex civilis, educatio, consuetudo et opinio sive populi sive procerum, non sunt semper et ubique eaedem.

*Scholion.* — Duplex invenitur moralitas inter actus humanos, una extrinseca, quae pendet pure a positiva, seu prorsus libera, legitimi superioris praescriptione (sine igitur ullo fundamento in natura actionis propter quod necessitatur legislator); alia intrinseca, quae fundamentaliter est in natura ipsa actionis respectu finis humanae vitae, propter quod fundamentum Deus necessario ponit legis aeternae praescriptionem, quam dictamen rectae rationis repetit. Ad moralitatem actus *extrinsece* moralis debemus ultra legem positivam recurrere ad dictamen rectae rationis et praeceptum legis aeternae ad inveniendum formalem malitiam in inobedientia, bonitatem in obsequio versus legitimam auctoritatem.

## Articulus IV.

### De Principiis Moralitatis

#### PROOEMIUM.

Post determinatam habitudinem et regulam moralitatis restat considerandum fundamentum illius habitudinis in subiecto illius, nempe in humano actu. Hoc debet esse aliquid in termino volitionis liberae propter quod actus ille humanus necessario habet habitudinem aut conformitatis cum regula morum aut difformitatis ab illa. Iam vero ex dictis constat huiusmodi fundamentum esse in termino actus humani proportionem ad efficiendum aut frustrandum finem humanae vitae, et ultra ad obsequium vel inobedientiam proxime versus dictamen rectae rationis et ultimatim ad imperium legis aeternae.

Haec quidem vera sunt de moralitate generica vel in specie remota aut bonitatis aut malitiae: sed actus humanus in concreto habet etiam moralitatem in proxima aliqua specie secundum aliquam determinatam relationem naturae humanae ad finem humanae vitae. Quaerimus igitur quaenam sint ea quae libere accepta in actu consensuali voluntatis humanae illam specificam moralitatem determinent et simul intra actum introducant ea quibus actus constituitur in proportione efficientiae aut frustrationis respectu finis humanae vitae, et in obsequio aut inobedientia formali respectu rectae rationis et legis aeternae. Haec sunt principia moralitatis in actu humano.

**THESIS XXIII. — Tria sunt principia moralitatis in actu humano, obiectum nempe, finis et circumstantiae.**

Cf. D. Thom., 1, 2, q. 18, aa. 1, 2 et 3; Suarez, De Bon. et Mal., d. 2, sect. 3, d. 4, sect. 1, d. 5, sect. 1, d. 6, sect. 1, d. 7, sect. 7, 8 et 9; Ferretti, thes. XXVII.

*St. Qu.* — Principium moralitatis est id acceptatum in libero consensu actus humani quod fundat habitudinem actus ad regulam moralitatis, eumque specificat etiam in proxima moralitatis specie. Principium nuncupatur quia ex illo procedit moralitas, siquidem fundamentum in subiecto habitudinis est id quod determinat subiectum ad illam habitudinem habendam. Ex principio tali dignosci potest moralitas tum specifica tum generica, et proinde illud est criterion moralitatem cognoscendi; ut tale denominatur principium cognoscitivum, sed principium simpliciter dictum audit ipsum fundamentum in actu humano habitudinis moralitatis. Asseritur in thesi tria dari principia talia, et asseritur sensu non tantum aiente sed etiam exclusivo, nempe quod tria sunt et non nisi tria illa, quae in thesi nominantur.

Actus humanus potest considerari secundum suam principiationem a voluntate, vel secundum terminum suum: secundum principiationem a voluntate actus ut sit capax moralitatis debet esse voluntarius et liber, et causae quae modificant voluntarium et liberum in actu, modificant etiam imputabilitatem moralitatis; re quidem vera hae causae modificant receptionem moralitatis in actu, quia fundamentum fundat moralitatis habitudinem tantum in quantum voluntarie et libere acceptatur a voluntate. In praesenti thesi agimus de termino humani actus.

Terminus humani actus est id in quo sistit et completur actio humana: duplex est, terminus nempe psychologicus et terminus obiectivus.

I. Terminus psychologicus est accidens spirituale in voluntate per immanentem volitionis actum productus: de hoc non agitur in thesi.

II. Terminus obiectivus est ens illud distinctum a voluntate et suis accidentibus in quo terminatur volitio: hic etiam dupliciter sumi potest aut materialiter aut formaliter.

1. Materialiter sumptus terminus obiectivus est illud ens prout in se ipso est, ens nempe prout realiter existens vel possibile: de termino ita sumpto non quaerimus in thesi.

2. Formaliter sumptus terminus obiectivus est ens illud prout ab intellectu voluntati praestatur et a voluntate acceptatur: terminus obiectivus ita sumptus etiam denominatur intentionalis, et iterum dupliciter considerari potest, adaequate vel inadaequate.

*a*) Adaequate terminus intentionalis includit omne elementum in re apprehensa quod acceptatur a voluntate: hic notandum est obiectum sine addito non significare terminum adaequatum, sed obiectum adaequatum interdum sumitur pro termino adaequato.

*b*) Inadaequatus terminus intentionalis est terminus consideratus secundum hoc vel illud elementum quod in ipso est, sine inclusione omnium. Ita inadaequate sumendo terminum inveniemus in illo primo substantiam actus, seu uti dicitur, obiectum actus, secundo finem agentis illum actum, tertio circumstantias accidentales quae ingrediuntur acceptationem voluntatis.

Obiectum igitur in thesi significat id in quo voluntas agentis per se et primario terminatur: per se terminatur

voluntas in termino ad omne illud sine quo voluntas hic et nunc non poneret suum actum; primario terminatur ad illud quod est primum in ordine executionis, vel saltem quod in illo ordine aliud ante se non supponit. Iam vero quum quaeramus ea quae fundant habitudinem ad finem humanae vitae, illud obiectum sumitur non mere qua ens aliquod sed secundum aliquem rationem finis, et in quantum est primum in ordine executionis haec ratio debet esse ratio finis operis. Ita quando elicitus actus voluntatis terminatur in ens aliquod praeter actum imperatum, terminatur in illud ens, qua obiectum est, secundum suam actualitatem, quae est eius finis operis intrinsecus, et secundum id ad quod efficiendum illa actualitas naturaliter proportionatur, quod est finis eius operis extrinsecus: homo igitur acceptans obiectum facit *suam* illius entis tendentiam in eius finem operis. Quod si obiectum actus eliciti voluntatis sit actus imperatus, homo suum facit effectum per se illius actus imperati, qui est eius finis operis.

Finis in thesi prout distinguitur ab obiecto sumitur pro fine operantis, et prout distinguitur a circumstantia pro fine operantis per se intento, seu illo sine quo actus hic et nunc non poneretur. Definitur igitur id quo actus consensualis voluntatis per se et secundario terminatur: secundario quidem in ordine executionis, ut distinguatur ab obiecto; et secundario in actu consensuali, quia in illo actu voluntatis, qui dicitur actus intentionis, finis operantis primario attingitur et ita est obiectum in tali actu: sed efficax actus voluntatis non sistit in mera intentione sed procedit ad electionem medii et consensum in illud: unde sumendo consensum voluntas terminatur tum ad finem operantis tum ad medium; primario autem ad hoc, secundario ad illud in ordine executionis. Attamen si

actus sistit in intentione finis operantis, terminus voluntatis adaequatus est ille finis, qui in tali actu denominari potest etiam obiectum, siquidem est id in quod per se et primario voluntas terminatur. Praeter finem qui per se intenditur ab agente, interdum accedit alius finis operantis, qui neque sufficiens esset per se solus ut homo propter ipsum ageret, neque necessarius est ad praesentem actionem ponendam; attamen talis finis, quum non per se sed per accidens voluntatem terminet, cadit sub titulo circumstantiae.

Circumstantia est id quod voluntatem terminat per accidens; terminat quatenus libere acceptatur in actu; per accidens, quia actus poneretur sine illo elemento, et forsan etiam libentius sine illo poneretur. Definiri potest id quod libere accipitur in termino actus tanquam aliquid concomitans vel consequens obiectum vel finem tale ut actus idem quoad obiectum et finem poneretur absente vel diversificato illo elemento accessorio. Unde aliquid accidentale est huic individuo actu: quod si elementum aliquod accessorium essentiale esset, eo quod actus per se et primario tendit in illud pertineret ad obiectum actus; si per se et in ordine executionis non primario, pertineret ad finem. Notandum est quod quaestio non sit de circumstantia in genere naturae tantum sed etiam simul in genere morum. Circumstantia in genere naturae est circumstantia simpliciter prout dicens realitatem physicam quam illud accidens habet; circumstantia in genere morum est tale accidens prout dicens habitudinem conformitatis vel difformitatis respectu regulae morum, consideratum praecise secundum illam habitudinem: ita e. g. circumstantia loci in casu homicidii patrati in via Seminarii est circumstantia in genere naturae tantum, sed circumstantia loci in casu hominis occisi in sanctuario

Ecclesiae est circumstantia in genere morum. Iam vero in genere morum inveniuntur circumstantiae secundum septem diversa capita quibus circumstantiae in genere naturae complectuntur, videlicet, quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

« Quis » indicat conditionem vel qualitatem personae agentis quapropter eius actus humanus diversam respectu regulae morum induit rationem: ita in sacerdote, vel laico, patre vel filio, marito vel coniuge, divite vel paupere etc. « Quid » respicit accidentalem quantitatem vel qualitatem in obiecto, quae hoc modificat in ratione morum. « Ubi » denominat circumstantiam loci in quantum habentis relationem moralem. « Cur » refertur ad finem agentis accessorium et per accidens intentum: ita qui occidit inimicum propter vindictam potest habere concomitantem finem accidentalem furandi ab ipso: non occideret propter furtum, neque abstineret ab occisione, si deesset opportunitas furandi ab ipso: sed quum adstat opportunitas etiam furandi non praetermittit eam in intentione sua. « Quibus auxiliis » significat causas accessorias, sive instrumentales sive partim principales, quas agens per accidens adhibet in executione sui actus imperati et quarum usus secum trahit habitudinem ad finem humanae vitae et dictamen legis aeternae. « Quomodo » sonat modum sive actus interni, quoad nempe intensitatem vel remissionem, sive actus externi, quoad v. c. crudelitatem aut irreverentiam, vel quamlibet aliam rationem modi quae modificat actum moralem qua talem. « Quando » designat quantitatem vel qualitatem circumstantiae temporis, prout haec afficiat moralitatem actus: ita e. g. homo primario et per se carnes edere volens et secundario satisfacere appetitui, tamen advertens diem esse abstinentiae ecclesiasticae nihilominus eas comedit.

Duo probanda sunt: primo, quod obiectum, finis et circumstantiae in actu humano principiant seu fundant habitudinem moralitatis in ipso: secundo, quod solummodo haec tria ita moralitatem principiant.

Probatur A. — Illa tria moralitatem principiant.

Arg. — Principium moralitatis est id in humano actu quod determinat vel potest determinare eum ad habitudinem moralitatis; atqui obiectum, finis et circumstantiae in humano actu determinant vel possunt determinare actum ad habitudinem moralitatis: ergo sunt principia moralitatis.

Ad Min. — Ut aliquid fundet habitudinem moralitatis in actu humano sufficit ut sit in adaequato termino illius actus et ut idipsum habeat proportionem efficientiae aut frustrationis respectu finis humanae vitae atque dictaminis legis aeternae; atqui obiectum, finis et circumstantiae sunt in adaequato termino actus humani in concreto, et ipsa habent aut possunt habere proportionem efficientiae aut frustrationis respectu finis humanae vitae atque dictaminis legis aeternae; ergo fundant aut possunt fundare habitudinem moralitatis in illo actu.

Ad Mai. — In actu humano in concreto nihil est praeter ipsum actum psychologicum et terminum: fundamentum non est ipse actus psychologice sumptus, quia hic est subiectum habitudinis, et in sua praecisione neque dicit moraliter bonum neque moraliter malum: ergo fundamentum est ipse terminus adaequatus, vel secundum omnia quae in illo sunt vel secundum aliquid: necessario erit secundum illud quod habet proportionem efficientiae aut frustrationis respectu finis humanae vitae et dictaminis legis aeternae, quia actus in sua praecisione psychologica non dicens talem relationem et in sua coniunctione cum termino dicens illam, necessario recipit determinationem

ad illam ex elemento in termino quod ipsum habet illam proportionem. Hoc igitur sensu de termino adaequato actus humani verificatur principium illud quod actus specificatur ab obiecto; terminus nempe tribuit formalem rationem actui qui in sua praecisione dicit tantum potentiam ad illam formam.

Ad Min. — Obiectum, finis et circumstantiae sunt in illo termino, quia in sua definitione includitur quod libere acceptantur a voluntate in illo concreto actu humano cuius obiectum, finis et circumstantiae sunt. Habent vel possunt habere illam proportionem, uti constat ex examine uniuscuiusque eorum. Obiectum enim est aut actus imperatus aut ens aliquod diversum ab actu imperato: ipse autem actus imperatus (et idem potest dici de quolibet affectu voluntatis in obiectum diversum ab actu imperato) aut secundum suum modulum promovet finem humanae vitae prout necessario dictatum in lege aeterna aut non: si promovet, fundat bonitatem in actu imperante; si non, aut frustrat illum finem aut non; si frustrat, fundat malitiam in actu imperante; si non, indifferens est et neque bonum neque malum fundare potest et proinde relinquit actum imperantem in quantum ad obiectum moraliter indifferentem. Pariter finis operantis, sicut finis operis in actu imperato, potest dicere proportionem promotionis aut frustrationis ad finem humanae vitae prout dictatum lege aeterna et denuntiatum ratione recta, et proinde fundare potest in actu intentionis, cuius finis est obiectum, moralitatem; actus autem intentionis ingreditur adaequatum actum consensus prout humanus est (siquidem actus humanus semper necessario ponitur ob finem agentis) et ita in ipso actu adaequato moralitatem fundare potest. Finis est aliquid intrinsecus intentioni licet extrinsecus consensui, intentio autem est

elementum necessarium in integro actu humano, et proinde in ipso habet rationem fundamenti. Circumstantia in thesi sumitur tantum in genere morum, ideoque prout dicens proportionem promotionis aut frustrationis ad finem humanae vitae, ad ordinationem legis aeternae et dictamen rectae rationis, et quia libere acceptatur de facto ab agente, cadit sub ratione termini adaequati actus humani et fundat moralitatem secundum proportionem quae in ipsa est.

Probatur B. — Sola haec tria principiant in actu humano moralitatem.

Arg. — Nihil potest principiare moralitatem humani actus, nisi continetur in termino humani actus; atqui nihil potest ingredi in terminum actus humani quod non cadat sub obiecto aut fine aut circumstantia: ergo nihil nisi haec tria actus humani moralitatem principiare potest.

Ad Min. — Omne illud quod ingreditur terminum actus humani actum terminat aut per accidens aut per se, et si per se, aut primario aut secundario; atqui omne illud quod actum per accidens terminat pertinet ad categoriam circumstantiae, omne illud quod eum terminat per se et primario ad categoriam obiecti, omne illud quod per se et secundario ad categoriam finis: ergo nihil potest ingredi terminum humani actus nisi in quantum pertinet aut ad obiectum aut ad finem aut ad circumstantiam.

*Scholion 1.* — Ut actus humanus sit moraliter bonus, terminus eius adaequatus proportionatus regulae moralitatis esse debet, seu obiectum, finis et circumstantiae debent esse omnia simul ita proportionata; ut sit actus moraliter malus, sufficit ut unum ex illis fundamentis sit a regula difforme: unde etiam bono morali applicari

potest effatum « bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu » referendo illud ad causam tum fundamentalem tum formalem moralitatis. Ratio est ex analogia cum bono physico, siquidem hoc est aliquid perfectum seu totaliter factum, et proinde si ullo modo deficiat a totali sua factione, a totali suo *esse,* non amplius est bonum: aliis verbis omnes causae, quae necessariae sunt ad entitatis constitutionem in *esse,* concurrere debent ut entitas illa sit bona, deficiente vel una tali causa, malum est ens: de actu morali pariter arguitur. Etenim actus non est moraliter bonus nisi sit perfectus in suo *esse* habitudinis ad moralitatis regulam, unde debet habere in termino suo adaequato omnes illas causas quae fundant habitudinem bonitatis; quod si vel una ex illis fundat habitudinem malitiae, actus non est perfectus, totaliter factus, seu bonus in ordine moralitatis. Uno verbo, si unum aliquod elementum in uno actu humano fundat difformitatem a regula moralitatis, actus unus ille non obstantibus ceteris elementis est ipse difformis.

Iam vero quomodo actus, qui secundum obiectum bonus sit, ex fine operantis malus fiat, facile est videre, quia obiectum quaeritur tantum tanquam medium ad finem et tota sua ratio bonitatis aut malitiae est ex fine; sed perceptu difficilius est, licet non minus verum, quomodo e converso actus ex obiecto malus non fiat ex ratione finis operantis bonus. Attamen ratio in promptu est, quia non obstante bono fine in actu intentionis, voluntas consentit malo in obiecto et ex hac tendentia malus est. Aliis verbis, non omnes rationes superadditae in actu adaequato possunt removere deformitatem fundatam per obiectum, licet addita una ratio deformitatis actus ille adaequatus non potest esse bonus.

Attamen respectu circumstantiae, specialiter de cir-

cumstantia finis per accidens accessorii interdum accidit ut actus adaequatus, licet sit physice unus, sit in genere morum virtualiter duplex. Quod verificatur quando actus in individuo non tantum poneretur absente illa circumstantia, sed etiam hic et nunc potest poni; in tali casu circumstantia est in acceptatione libera agentis mere concomitanter: exemplum esto sacerdotis Missam canentis ex motivo Deum honorandi, cum tamen aliqua concomitante complacentia vel vana gloria ob suam vocem sonoram. In hoc casu actus ille individuus est in genere morum virtualiter duplex, actus nempe canentis ob divinum honorem, et actus canentis ob suam vanitatem. Si circumstantia illa esset necessaria ad ponendum hic et nunc actum in individuo, non daretur sufficiens fundamentum talis duplicationis moralis. Iam vero non in omni casu talis duplicationis virtualis salvatur bonitas actus cum circumstantia mala: etenim si circumstantia illa sit graviter mala, malus est totus actus, quia circumstantia etiam concomitans graviter mala deliberate et libere volita reddit ipsam voluntatem substantialiter difformem a regula moralitatis, et proinde actus ille, licet virtualiter duplex, non potest voluntatem simul facere substantialiter conformem cum illa regula. Quod si circumstantia illa adventitia sit tantum leviter mala non destruit bonitatem actus alterius virtualiter distincti, et ratio est quia, sicut in ceteris rebus mere concomitans circumstantia levioris momenti non dicitur substantiam rei aut actus mutare, ita a pari dicendum est in re morum.

*Scholion 2.* — Tria illa principia speciem moralitatis proximam in actu determinant, siquidem sunt concreta in actu individuo et suam proportionem dicunt ad finem humanae vitae secundum determinatam aliquam relatio-

nem inter hominem et Deum, aut inter agentem et alios homines, aut inter ipsum et entia irrationalia in ordine ad illum finem: hae autem relationes bonitatem et malitiam actus in specie proxima diversificant. Obiectum per se et primario speciem actui tribuit, et finis operantis, si co-incidat cum fine operis sive totaliter sive in eadem relatione hominis ad alia entia secundum quam refertur ad regulam moralitatis, novam speciem non addit, sed tantum accidentalem gradum maioris vel minoris: idem quoque dicendum est de circumstantia. Quod si aut finis aut circumstantia ad regulam morum proportionatur secum relationem hominis ad cetera entia in re morum diversam a relatione in qua versatur obiectum, potest alterutra aut utraque novam actui addere speciem, praeter eam quam actus ex obiecto iam habet. Insuper, quum obiectum, finis et circumstantiae habitudinem moralitatis in specifica relatione hominis ad alia entia non fundent nisi in quantum proportionem habeant ad finem humanae vitae pro fundamentali moralitate et ad rationem humanam lege aeterna informatam pro formali, simul necessario moralitatem fundant in specie sua ultima, scilicet bonitatis aut malitiae, quae respectu speciei proximae moralitas etiam generica dici potest.

*Scholion 3.* — Actus imperatus quum totam suam rationem voluntarii et liberi habeat in actu elicito voluntatis (et quum formalis moralitas stet solum ubi sit ratio voluntarii et liberi), nihil addit moralitati actus ipsum imperantis. Pariter actus externus, quum sit imperatus, moralitati actus interni *per se* non addit quidquam: *per accidens* vero addere aliquid potest eo quod forte excitat in actu interno maiorem intensitatem, vel per longiorem durationem actum detinet, vel actuum internorum multiplicationem provocat, vel demum effectus malos produ-

cit vel in se vel in alio (sive complice sive innocente); effectus autem mali in alio producti reparationem ab agente postulant, qua reparatione omissa, agens propterea in alium malum, omissionis nempe, incidit.

*Scholion 4.* — Pauca verba addenda sunt de famoso seu potius infami effato « finis iustificat media ». In suo sensu obvio principium illud falsum est: in obvio enim sensu sonat finem bonum posse efficere bonum et licitum, tanquam medium, actum qui est ex suo obiecto malus. Quod si quis dicere velit finem operantis bonum facere moraliter bonum actum humanum qui in quantum ad obiectum sit indifferens, verum dicit, quia actus talis ex fine operantis bonitatem suam moralem suscipit. Item si quis velit arguere ex naturali necessitate alicuius medii ad finem naturalem bonum el licitum, quod actus medii sit etiam bonus et licitus, legitimam deducit conclusionem: etenim Deus, Creator naturae, tribuens homini finem aliquem naturalem necessario concedit ei ius ad illud quod ita ordinatur in natura ad esse medium illius finis, ut finis sine tali medio prorsus obtineri non possit: secus insipiens esset Deus tribuens naturae humanae finem illum. Saepius attribuitur illud principium sensu suo falso doctoribus Catholicis, praesertim Iesuitis (Cf. Littledale in vetere editione Encyclopediae Brittannicae sub titulo « Jesuit »), dicta doctorum perverse repraesentando. Ita e. g. perverse citatur Pater Busenbaum dicens « ob finem licitum media esse licita », ubi Pater ille non asserit tale principium in genere sed tantum de medio naturali necessario ad finem naturalem, sicuti supra explicavimus: exemplificatur enim principium in loco, ubi affertur, per finem naturalem matrimonii et media naturaliter necessaria ad illum finem, arguendo quia propagatio speciei humanae sit licita, ideo congressum

sexualem inter maritum et coniugem, qui est medium naturaliter necessarium ad eam propagationem, esse etiam intentum a Deo et licitum. (Cf. Jones, S. J., Dishonest Criticism).

*Ad Difficultates.* — Notanda. 1. Principium bonum non semper facit principiatum bonum nisi sit principium adaequatum; neque quidem partialiter bonum, si principiatum sit in ratione boni indivisum quid quod pendet simul a perfectione omnis elementi in suo adaequato principio quod reddit ipsum bonum.

2. Finis est quidem aliquid extrinsecum actui considerato secundum obiectum, sed acceptatur intrinsece in actu intentionis, qui actus tribuit suam rationem boni aut mali in actu quod quaerit medium propter illum finem et ita potest finis determinare moralitatem quae est intrinseca adaequato actui, licet sit per praecisionem actus intentionis aliquid extrinsecum actui considerato solum secundum suum obiectum.

3. Pariter circumstantia est aliquid accidentale actui secundum obiectum, et bonitas est aliquid substantiale in actu humano, sed quando circumstantia acceptatur in adaequato actu consentientis ingreditur illum adaequatum terminum qui constituit integritatem huius substantialis actus in concreto.

4. Quando dicitur finis semper habere rationem boni et ita non posse principiare malum, est confusio inter bonum physicum et bonum morale, et negari debet finis semper habere rationem boni moralis.

5. Si finis esset solum principium moralitatis in actu verum esset eum debere semper, quando bonus est et praesens in actu, principiare bonitatem in ipso et semper iustificare medium: sed quum sit tantum unum ex tribus

principiis, praesentia boni finis tantum reddere bonum potest actum ex obiecto et circumstantiis indifferentem, quod de facto facit.

## ADDENDUM DE ACTU INDIFFERENTI.

Quaeritur an actus humanus esse possit moraliter indifferens, i. e. neque moraliter bonus neque moraliter malus.

℟. Distinguendo. — I. Actus humanus in abstracto sumptus, i. e. consideratus secundum obiectum solum praecisione habita a fine et circumstantiis indifferens esse potest. Ita fere unanimiter omnes. Ratio est quia multa sunt obiecta, actus nempe imperati, sicut comedere, bibere, dormire, ambulare, sedere et similia, quae de se considerata dicunt neque promotionem necessariam neque frustrationem finis humanae vitae, neque invenimus di ctamen rationis simpliciter ad faciendos eos aut ad non faciendos, ita ut in multis adiunctis ponere vel omittere tales actus aequaliter conforme rectae rationi videatur.

II. De actu humano in individuo, i. e. considerato adaequate secundum obiectum, finem et circumstantias, res disputatur.

*a*) Affirmant S. Bonaventura, Scotus et Scotistae, Vasquez, Lessius, Viva et alii. Ratio eorum duplex est: primo, actus qui in abstracto sunt indifferentes possunt esse positi in individuo ob nullum alium finem nisi finem operis, et ita positi neque laude neque vituperio digni esse ab hominibus censentur, et proinde secundum sensum communem neque boni neque mali sunt; secundo, interdum possunt esse indifferentes ex obiecto et insuper esse positi propter distinctum finem operantis qui non magis conformis aut difformis est respectu rectae rationis quam

ipsum obiectum, et tandem poni in circumstantiis quae faciunt neque pro neque contra regulam moralitatis, et ita propter indifferentiam omnium principiorum moralitatis actus illi ipsi erunt indifferentes in individuo.

*b*) Negant S. Thomas, Suarez, Becanus, Valentia, Bellarminus, S. Alphonsus et hodie communiter fere omnes. Ratio est ex fine operantis: etenim actus humanus, qui in individuo neque ex obiecto neque ex circumstantiis repugnat fini humanae vitae, aut dirigitur sive actualiter sive habitualiter ad illum finem et dictamen legis aeternae (et tunc actus moraliter bonus est), aut dirigitur ad finem aliquem alium qui excludit illa (et tunc est ex defectu finis moraliter malus); aut dirigitur ad finem operis quod fit, siquidem actus humanus necessario dirigitur ad aliquem finem: iam vero in hoc ultimo casu actus saltem interpretative dirigitur ad finem humanae vitae et dictamen legis aeternae et proinde est moraliter bonus; ratio huius est quia naturalis dispositio voluntatis est dirigere actum suum ad finem humanae vitae et dictamen legis aeternae, siquidem ad hoc creatur, proportionatur et habet tendentiam naturalem: unde voluntas ponendo actum secundum finem operis qui non est contra finem humanae vitae et dictamen legis aeternae (sicut in supposito) vi illius naturalis dispositionis iure interpretatur dirigere illum actum ad haec, quae intentio interpretativa sufficit ad moralem bonitatem actus. Breviter: omnis actus humanus qui non repugnat fini humanae vitae est ad illum referibilis; homo autem dictamine rationis lege aeterna informatae tenetur omnem suum actum humanum ad illum finem dirigere. Iam vero talem actum referibilem aut ita dirigit aut non: si non dirigit, actus est ex illo defectu moraliter malus; si autem dirigit, actus est ex tali directione seu ex fine mo-

raliter bonus. Attamen non requiritur directio actualis sed sufficit directio habitualis, et probabiliter sufficit interpretativa: in naturali autem dispositione voluntatis habetur respectu actus de se referibilis ad finem humanae vitae directio quam illi qui exigunt habitualem directionem asserunt esse habitualem, quam vero alii affirmant esse interpretativam qualem in casu tenent esse sufficientem. Dicit S Thomas (Quaest. Disp. De malo, q. 9, a. 2.) « Contingit quandoque quod homo actu non ordinet aliquem actum in Deum, quum tamen actus ille de se non contineat aliquam inordinationem, ratione cuius non sit in Deum referibilis; et tamen quia mens hominis est habitualiter relata ad Deum sicut ad finem, actus ille non solum non est peccatum, sed etiam est actus meritorius ». Cf. etiam D. Thom., 1, 2, q. 18, a. 9, et Suarez, De Bon. et Mal. Act. Hum., disp. 10, sect. 3, n. 7.

Probabilior videtur haec sententia negans. Ad difficultates contra eam et ad illarum solutionem confer Ferretti, thes. XXIX ad calcem.

## CAPUT IV.

## De Moralitatis Cognitione.

### PROOEMIUM.

Quum proxima moralitatis regula sit recta ratio, inquirere debemus quomodo efformetur illa ratio ita ut sit recta. Quum insuper recta illa ratio includat tum dictamina universaliora quae constituunt legem naturalem, tum dictamina particularia quae sunt applicationes legis naturalis actibus individuis factae et inveniuntur in conscientia morali, de efformatione illorum iudiciorum practicorum utriusque generis inquirendum est. Deinde quum etiam in ordine cognitionis practicae dictamina illa sint consequentia deductionis et principium unde deductio ortum suum primum sumere debeat, distinguere nos oportet inter primum et secundaria principia seu praecepta moralitatis. Demum quum illa iudicia inveniri debeant in aliqua facultate et actu, et praeterea obiectivum criterion evidentiale habere, de his etiam determinationem fieri opus est. Unde quaestiones movemus de cognoscibilitate legis naturalis et de criterio obiectivo nostrae cognitionis, itemque de facultate et actu cognoscitivo atque de applicatione legis in particulari.

## Articulus I.

### De Legis Naturalis Cognoscibilitate.

In lege naturali datur unitas non tantum secundum legis auctorem, quatenus omnia legis naturalis praecepta ab uno eodemque auctore, Deo, proveniunt, et secundum finem, in quantum omnia illa praecepta hominem dirigunt et ordinant ad unum eumdemque finem, finem nempe ultimum Dei ordinantis; sed etiam quoad principium in ordine evidentiae, utpote necessario datur unum aliquod praeceptum quod est principium in ordine cognitionis legis deductive primum, sicut est et reductive ultimum, et *in ordine cognitionis practicae moralis* omnibus hominibus rationem rite adhibentibus per se notum. Eadem enim est in ordine practico atque in ordine speculativo primi principii necessitas. Omnia quidem praecepta legis evidentia esse debent: ea quae magis remote evidentia sunt deducuntur ex iis quae magis proxime sunt evidentia et haec tandem aliquando ex uno aliquo praecepto ceteris omnibus universaliore et in se continente rationem fundamentalem cuiuscunque praecepti; huiusmodi iure est omnium primum praeceptum et principium in lege naturali. Hoc erit primum non tantum qua praeceptum quatenus non subsequitur ullum alium praeceptum, sed etiam qua principium cognitionis, et proinde debet esse in suo ordine immediatum seu per se notum. In suo ordine diximus, i. e. in ordine cognitionis practicae moralis et non in ordine speculativo: in ordine enim speculativo multa praesupponuntur cognita ante primum principium morale, et specialiter essentialia or-

dinis moralis, nempe quid sit moraliter bonum, quid moraliter malum, quod detur lex, tum aeterna tum naturalis, et proinde existentia et auctoritas Supremi Numinis tanquam legislatoris: his praecognitis et quidem mediate, subiectum et praedicatum primi principii moralis intelliguntur et inspectione quis videre potest praedicatum contineri in subiecto. Hoc sensu et non alio dicitur illud principium immediate evidens seu per se notum quoad nos. Distinguimus igitur inter principia seu praecepta legis naturalis principium primum, principia secundaria et principia remota.

*a*) Principium primum illud universalissimum omnium est quod est per se notum et ex quo cetera omnia deducuntur. A Divo Thoma ponitur his verbis « bonum est faciendum, malum vitandum ». (Cf. 1, 2, q. 24, a. 2). Sumitur hoc principium sensu composito, i. e. non quod omne quod est bonum est necessario faciendum, sed omne illud bonum cuius omissio esset malum et proinde vitanda est faciendum. Plenius evoluta significat: id quod est intrinsece bonum et necessarium ad finem humanae vitae homo necessitatur ut faciat necessitate morali proveniente ex lege denuntiata ipsi dictamine rationis: illud quod est intrinsece malum homo ex eadem necessitate obligatur non facere. In pleniore sua analysi secundum ea quae nos supra in antecessum statuimus sonat: actus humanus qui necessarius est ad efficiendum finem humanae vitae praecipitur nobis dictamine rationis lege aeterna informatae; actus humanus qui frustraret finem humanae vitae est parili dictamine nobis prohibitus. Quivis homo, etiamsi sit puerulus, statim ac in genere cognoscat sive suo marte sive eruditione parentum aliorumve quid sit actus moraliter bonus, et quid sit malus, et quod sit Numen Divinum gubernans mundum, suffi-

cienter cognoscit bonum esse faciendum et malum vitandum.

*b*) Principia secundaria ea sunt quae ex claro nexu cum primo principio haud difficili negotio deducuntur. Ita ponendo principium primum tanquam maiorem praemissam et addendo minorem cognitam ex tendentiis naturalibus et necessitatibus vitae humanae (v. c. bonum est amare liberos, malum est auferre id quod alterius est), concludimus ad legis praeceptum, e. g., « parentes iubentur liberos amare », aut ad prohibitionem legis, e. g. « vetatur furtum ».

*c*) Principia remota ea sunt quae longiore et difficiliore ratiocinatione ex primo principio egent, et quorum proinde evidentia est magis remote mediata: ita e. g. praeceptum contra divortium et contra fornicationem consentiente comparte. His praesuppositis esto de cognoscibilitate naturalis legis thesis quae sequitur.

**THESIS XXIV. — Legis naturalis praecepta communia a nullo homine usum rationis habente invincibiliter ignorari possunt.**

Cf. D. Thom., 1, 2, q. 94, a. 4; Suarez, De Legibus, lib. 2, c. 8, nn. 2 et 3; Ferretti, thes. XLIII.

*St. Qu.* — Praecepta communia ea sunt quae communis applicationis sunt omnibus hominibus, i. e. ea quae respiciunt tales actus quos per se quivis homo in decursu suae vitae futurus sit in adiunctis necessariae electionis aut ponendi aut non ponendi: ita enim huiusmodi actus sunt connexi cum fine humanae vitae ut nullus per se homo eos electionem ponendi aut non ponendi occasionem evitare possit. Opponuntur praeceptis particularibus,

qualia sunt ea quae observandi occasioni incurrant diversi individui propter suam specialem conditionem vitae aut adiuncta eius, sed quae propter aliam vitae conditionem aut alia adiuncta individualia non omnes homines necessario incurrant occasioni servandi.

Per usum rationis non intenditur nuda potestas ratiocinium ponendi, sed usus rationis normaliter evolutae proportionate ad ordinarias vitae necessitates secundum aetatem uniuscuiusque.

Non dicitur neminem posse pro ullo instanti inculpabiliter ignorare tale aliquod praeceptum, quia vincibilis ignorantia requirit tempus ad inquisitionem diligentem exercendam proportionate ad dissipandam ignorantiam: dum quaerit igitur homo cognitionem, rem ignorat sed non invincibiliter, nisi in quantum ad illud instans. Unde postulamus in thesi tempus proportionatum inquisitioni necessariae faciendae, sed non ultra.

Ponitur thesis contra ignorantiam invincibilem sive moraliter, sive a fortiori physice talem: de ignorantia vide supra sub thesi prima.

Probatur. — Arg. Nequit esse ex defectu naturae ut homo ea quae necessaria cuilibet homini sunt ad finis ultimi adeptionem non cognoscat; atqui praecepta communia sunt ad finis ultimi adeptionem necessaria, et si quis ea invincibiliter ignorare posset, esset ex defectu naturae: ergo nequit quisquam praecepta legis naturalis communia invincibiliter ignorare.

Ad Mai. — Natura nequit deficere in necessariis, i. e., quum Deus opifex sapientissimus hominem ad finem suum ultimum adipiscendum ordinavit, non potuit non ponere penes ipsam hominis naturam omnia quae homini ad talem adeptionem necessaria sunt.

Ad Min. — Finis hominis ultimus est beatitudo

eam adipisci nequit nisi merito; meritum nequit acquirere nisi agendo constanter secundum legem naturalem; secundum hanc agere nequit constanter, nisi servando praecepta communia. Quod si haec invincibiliter ignoraret non esset ex defectu suo (quia invincibiliter) sed ex defectu naturae, siquidem solummodo ex natura, si non ex suo defecta individuali adesset homini impossibilitas ea cognoscendi.

*Confirmatur.* — Arguendo pariter ex fine humanae vitae, ad quem efficiendum Deus hominem ordinavit et poinde nequit non dare homini ea quae ad talem effectionem sunt necessaria; necessaria autem ita est observantia praeceptorum communium, eorumque cognitio sine qua ea observare homo non potest.

*Scholion.* — Nemo usum rationis habens potest etiam vincibiliter ignorare primum principium moralitatis, quia ita eius ignorantia sine culpa esset et proinde amissio finis ultimi sine culpa (siquidem sine primo principio cognito nequit videre obligationem dissipandi suam ignorantiam) esset possibilis: unde incideret illa amissio in defectum naturae seu Auctoris naturae, quod repugnat. Alia autem principia communia potest homo vincibiliter ignorare propter rationem depravatam sive ex passione, sive ex mala consuetudine, sive ex mala habitudine naturae individuae. Principia particularia et remota plures, qui sunt absque debita rationis evolutione et absque instructione ordinarie ab aliis tradita, aut qui sunt praeoccupati per perversam datam instructionem aut per perversas traditiones susceptas, ignorare possunt etiam invincibiliter. Attamen de iis principiis quae, dum sint particularia, sunt etiam secundaria et non remota, difficile est videre quomodo homo, orta occasione illorum praeceptorum, ullo modo possit esse ignorans, siquidem

maior praemissa (primum nempe principium) necessario cognoscitur, et applicatio in praemissa minore tam proxima est ut evidentiam vix evitare possit. (Cf. Suarez, loc. cit., n. 3).

*Ad Difficultates.* — Solvuntur recolendo thesim esse positam tantum de principiis communibus; respectu eorum qui usum habent rationis evolutae proportionaliter ad aetatem et connaturales necessitates vitae; et de ignorantia tantum invincibili, tali nempe in qua ignorans omnem curam inquisitionis praestitit proportionatam rei tanti momenti; et proinde de ignorantia secundum illam inquisitionem diuturna. Casus ignorantiae ex historia citati, in quantum veri sunt, invenientur versari de remotiore applicatione legis, vel de ignorantia proveniente ex corruptione praesentis vel antecedentis generationis simul cum omissa ex parte individui inquisitione proportionata super dubium necessario oboriendum. Ita explicari potest praxis inter aliquas tribus occidendi et comedendi parentes senescentes: cognitum fuit commune praeceptum de parentibus honorandis; error eorum erat circa remotum praeceptum de modo honorandi: voluerunt parentes removere a miseriis provectioris vitae, et prohibere quominus eorum corpora ingrederentur in humiliorem compositionem quam humanam.

*Quaesita.* — 1. Num universalis est lex naturalis?

℟. Universalis est lex quae semper eadem verificatur in omnibus individuis communitatis, in qua lex est. Lex autem naturalis virtualiter semper eadem est in omni homine (et proinde etiam in infante et amente), quia virtualiter lex naturalis nihil aliud est nisi facultas intellectiva, in cuius virtute est, si rite adhiberi possit et adhibeatur, devenire ad dictamina rectae rationis: fundamentaliter etiam semper eadem est in quovis homine,

quia eius fundamentum est ipsa natura humana, ex qua tanquam ex signo, intellectus humanus legem formalem evolvere potest. Formaliter autem lex naturalis semper eadem est in omni semper homine usum rationis habente quoad principia communia nisi per eius culpam; ratio est in supra data thesi: quoad remotiora principia per se semper eadem adest, sed per accidens abesse potest hoc vel illud eius praeceptum: in casu absentiae lex active et significative eadem stat, sed individuus non habet eius rationem passivam perfectam propter defectum cognitionis, et excusatur aut non ab eius observantia, prout ignorantia est invincibilis aut vincibilis: etenim subditus vincibiliter ignorans legem communem tenetur ad proportionatam diligentiam exercendam ut eam addiscat.

2. Num delébilis est lex naturalis?

R. Indelebilis est illa lex quae ex mentibus subditorum totaliter aboleri nequit. Unde in actu primo, seu virtualiter, lex naturalis ex nulla mente aboleri potest: in actu secundo seu formaliter quoad principia communia nequit ex ulla mente humana totaliter aboleri siquidem ignorantia, si adest, vincibilis est, et proinde non *totaliter* aboletur lex: quoad principia quaedam remotiora potest totaliter aboleri sed vix ex omni prorsus mente humana.

### Articulus II.

### De Moralitatis Criterio.

Criterion, quod verbotenus est iudicandi instrumentum, in philosophia scholastica pro medio cognoscendi sumitur. Distinguitur in subiectivum, quo sensu applicatur omnibus facultatibus cognoscitivis sed praecipue intellectui, et obiectivum, quod est obiectiva ratio cognoscendi, i. e. evidentia obiectiva, criterion veritatis. In re morali facultatem quaerimus, qua agens moralitatem sui actus humani cognoscit, et proximam evidentiam propter quam perceptam facultas de suo iudicio morali secura est.

**THESIS XXV. — Facultas qua homo actus humani, sive positi sive ponendi, moralitatem percipit, non est sensus aliquis sive materialis sive, ut aiunt, spiritualis, sed intellectus practicus est.**

Cf. Ferretti, thes. XXVI.

*St. Qu.* — Agitur in thesi de facultate cognoscitiva moralitatis, non quidem in abstracto, sed moralitatis in actu concreto quem agens aut iam posuit, aut de cuius positione considerat. Positis omnibus quae supra statuimus de lege aeterna, lege naturali et moralitate, vix videtur locus adesse dubitandi utrum sit intellectus qui nostrorum actuum moralitatem renuntiet. Attamen duplex datur in hac re error a nobis reiiciendus, scilicet Sensistarum Moralium.

Sensismus Moralis vel Empiricismus Moralis systema est quod statuit facultatem nostram moralitatis apprehensivam esse sensum quemdam, quo antipathiam determinatam versus actum aliquem humanum sentimus ideoque eum moraliter malum esse percipimus, et pariter per correlativam sympathiam actum moraliter bonum agnoscimus.

I. Sensistae materiales nobis sextum sensum organicum attribuunt quo inter bonum et malum morale differentiam sentimus per attractionem sensibiliter delectabilem versus bonum morale et aversionem sensibiliter dolorosam a morali malo. Ita Rousseau, Schopenhauer, Robinet. Gall et Spurzheim: Gall et Spurzheim pro centro nervoso novi huius sensus specialem locum in cerebro designare voluerunt.

II. Alii hunc sensum non esse organicum sed in sola anima adesse docuerunt, quatenus per naturalem animae aversionem ab aliquo actu humano praesentiam mali moralis in eo percipimus, et praesentiam moralis boni per parilem animae attractionem. Ita Shaftesbury, Hutcheson, Adam Smith, Herbart, Hemsterhuis et Jacobi.

Intellectus practicus nihil aliud est nisi facultas nostra intellectiva praecise prout verum quod cognoscit ad opus aliquod seu ad operandum ordinat. Non est ab intellectu speculativo realiter distinctus, quum accidentalis in actione diversitas fundamentum sufficiens non sit distinctionis realis inter facultates; accidentale autem est utrum cognitio nostra ad opus faciendum an ad solam veritatis considerationem dirigatur.

Tria sunt, ut patet, probanda in thesi.

Probatur A. — Facultas moralitatis perceptiva non est sensus organicus.

Arg. — Facultas organica non renuntiat tendentiam

nisi in bonum sensibile qua tale, non aversionem nisi a malo sensibili; atqui bonum et malum morale non sunt, qua talia, bonum et malum sensibile: ergo facultas organica nequit renuntiare tendentiam aut aversionem respectu boni et mali moralis et proinde neque ita haec percipere.

Ad Mai. — Facultas organica, quum partialiter materialis, postulat rationem materialem in obiecto, et tendentia partim materialis in homine non est nisi sensibilis et proinde in bonum sensibile.

Ad Min. — Primo, saepissime sensibiliter ad illud attrahimur quod consentiunt homines et nostra conscientia esse immutabiliter malum morale, et sensibiliter refugimus ab eo quod pariter censetur moraliter bonum: hoc autem fieri nequit si bonum morale esset qua tale sensibile bonum et malum morale qua tale sensibile malum. Secundo, quia secus reducitur moralis bonitas obiectiva ad id in obiecto quod nobis voluptatem sensibilem ministret, quod supra contra Epicureos reiecimus.

Probatur B. — Neque sensus spiritualis.

Arg. — Sensus ille spiritualis esset facultas, realiter distincta ab intellectu, qua renuntiatur in nobis tendentia necessaria animae versus bonum morale et retro a morali malo habita sine perceptione rationis finis seu boni qua talis; atqui non datur in nobis talis tendentia, et si daretur, perceptio eius esset habita sine facultate realiter distincta ab intellectu: ergo non datur talis sensus spiritualis perceptiva boni et mali moralis.

Ad Mai. — Distincta realiter ab intellectu, et renuntiativa tendentiae sine perceptione boni qua talis, quia praecise secundum has rationes facultas illa a suis fautoribus denominatur sensus.

Ad Min. — *a*) Non datur, quia si daretur, semper

in omni homine adesset respectu boni et mali, et semper eadem esset in eodem homine respectu eiusdem actus; atqui ex aliorum testimonio et nostra experientia res ita non est: ergo... Enimvero nonnisi post perceptam rationem boni qua talis experimur nos habere tendentiam connaturalem respectu actuum nostrorum specificorum, i. e. humanorum.

*b*) Facultas qua omnes actiones et tendentias spirituales nostrae animae percipimus est conscientia nostra psychologica, quae non realiter distinguitur ab intellectu; quorum utrumque in Psychologia probatur.

*Confirmatur* A et B. — In Sensismo sive Materiali sive Spirituali directionem actuum nostrorum moralium haberemus contingentem et variabilem, et quidem non connaturalem pro actu specifico entis rationalis, siquidem connaturalis directio actus talis subaudit perceptionem rationis boni formaliter qua talis.

Probatur C. — Est quidem intellectus practicus.

Arg. — Moralitas formalis stat in habitudine quadam inter propriam regulam et actum humanum seu aliquid operatum aut operandum; atqui nonnisi intellectus percipere potest habitudinem inter duo, et nonnisi intellectus practicus habitudinem respectu operis facti aut faciendi: ergo nonnisi intellectus practicus moralitatem in actu humano percipere potest.

Maior constat ex thesi decima sexta.

Ad Min. — Habitudo seu relatio est quid immateriale et proinde non est cognoscibilis nisi a facultate cognoscitiva immateriali, nempe intellectu; intellectus autem prout respiciens operatum qua tale aut operandum est intellectus nonnisi practicus.

*Scholion 1.* — Communi loquela loquimur de sensu morali, at voce non propria sed translata, scilicet de recta

ratione iudicante de fundamentali actionis moralitate, et imperante eius positionem aut omissionem.

*Scholion 2.* — Quando in ordine practico et morali acquirimus ea principia quae nobis inserviunt tanquam prima principia deductionis, habitus quo ea retinentur in mente humana denominatur synderesis, quae definitur habitus primorum principiorum practicorum. (Cf. D. Thom. 1, q. 79, a. 12).

*Ad Difficultates.* — Notanda. 1. Rudes et pueri recte et facile percipiunt bonum et malum morale saltem in individuo, sed non ideoque ea sensu percipere dicendi sunt: etenim principia ipsis communia et proxima et eorum applicationem percipiunt suo marte ratiocinando, remotiora autem auxilio aliorum ipsos instituentium et exempla praestantium, sine quali auxilio communiter loquendo nullus incipit vitam degere moralem.

2. Interdum in aliquibus hominibus, licet non semper et in omnibus, spontanee excitatur sensibiliter horror ex audito vel lecto actu moraliter malo, et pariter interdum delectatio sensibilis super actum moraliter bonum; sed haec facta sufficienter explicantur per redundantiam in appetitum sensibilem ex vehementiori motu voluntatis subsequente intellectualem cognitionem reprobativam aut approbativam in homine bonis moribus imbuto.

**THESIS XXVI. — Proximum criterion obiectivum moralitatis est natura rationalis adaequate considerata.**

*St. Qu.* — Natura rationalis est natura humana; haec autem adaequate considerata sumitur non tantum secundum omnes eius partes earumque relationes ad totum compositum et ad specificam unitatem activitatis in

illo composito, sed etiam sumitur illa natura cum omni sua aptitudine, tendentia et exigentia secundum suas relationes ad Deum, ad ceteros homines et ad entia irrationalia: insuper consideratur non tantum in abstracto, secundum nempe ea quae cuivis homini communia sunt sed etiam in concreto, nempe cum omnibus notis individuantibus, et secundum relationes consequentes suam individualem activitatem exercitam. Sumpta in abstracto illa natura intenditur esse criterion eorum iudiciorum universalium, quae constituunt legem naturalem et regula proxima sunt moralitatis in se ipsa; sed sumpta in concreto intenditur esse criterion iudiciorum particularium quae constituunt applicationem moralitatis individualibus hominis conditionibus factam et sunt regula proxima moralitatis in concreto individuo qua tali. (Cf. Cathrein, n. 109).

Criterion obiectivum moralitatis est illud in obiectiva rerum natura cuius evidentia est causa veritatis in iudicio morali seu in illa recta ratione quae est formalis regula proxima moralitatis.

Proximum criterion obiectivum moralitatis est criterion obiectivum veritatis in illo iudicio quo homo pronuntiat aliquem determinatum actum gaudere moralitate fundamentali, seu habere habitudinem promotionis aut frustrationis respectu finis humanae vitae. Criterion enim remotum (seu ultimum) rectitudinis (seu veritatis in iudicio rectae rationis) est illa bonitas fundamentalis: nam ipsa rectitudo rationis habetur in conformitate dictaminis rationis cum lege aeterna; ex fundamentali autem bonitate mens iudicat de dictamine legis aeternae et suum dictamen conformiter prodit, siquidem Deus necessario dictat secundum fundamentum illud proportionis in actu ad efficiendum vel frustrandum finem vitae humanae

Quaerimus igitur in thesi illam obiectivam rationem secundum quam mens iudicat de praesentia illius fundamenti in actu sub consideratione. Enimvero non intuemur legem aeternam, ergo debemus ad denuntiandum scire per medium; medium autem connaturale et necessarium est finis humanae vitae: attamen hoc medium in concreto non est nobis per se evidens: unde necessarium est quaerere medium ad illum cognoscendum: hoc medium merito denominamus criterion proximum et in thesi asserimus illud esse naturam rationalem. Pariter in processu deductionis respectu praeceptorum moralitatis in lege naturali, primum principium, quod stat tanquam maior praemissa, videlicet, « Bonum (fundamentaliter inspectum) est faciendum (seu iacet sub obligatione divini praecepti), malum vitandum » est in ordine practico per se notum: minor autem praemissa, scilicet talis vel talis actus est (fundamentaliter) bonus, non est per se nota sed exigit medium obiectivum cognitionis. Huiusmodi medium est criterion proximum quod quaerimus. Deinde etiam in applicatione praecepti, supposita nostra cognitione de maiore praemissa, sicut v. c. prohibetur contrahere debitum supra rationabilem expectationem solvendi, necessarium est quaerere medium cognoscendi utrum necnon adsit talis expectatio in nostro casu aut in casu alterius individui: hoc iterum medium erit medium proximum. Demum requirimus tale medium in scrutinio obiecti, finis et circumstantiarum alicuius actus humani ad inveniendam eorum relationem ad finem humanae vitae.

Unde in thesi non est quaestio de regula formali moralitatis, quia actus non constituitur in formali ratione boni aut mali moralis per tale criterion; neque est quaestio de regula fundamentali moralitatis, quia non est

propter illud criterion quod Deus necessitatur ad imperandum vel prohibendum actum humanum. Neque tandem agitur de criterio adaequato, quia adaequatum criterion moralitatis includit naturam divinam, ex qua cognoscimus necessitatem legis, et fundamentum in fine humanae vitae, quod est ratio exigentiae respectu illius necessitatis: sed est inadaequatum et proximum quod quaerimus criterion, ratio nempe obiectiva propter quam mens potest secure iudicare hunc vel illum actum habere habitudinem ad finem vitae humanae propter quam habitudinem necessario a Deo iubetur aut vetatur.

Probatur. — Arg. Illud est proximum criterion obiectivum moralitatis ex quo et propter quod mens iudicare debet habitudinem actus humani ad finem humanae vitae: atqui id ex quo et propter quod mens ita iudicare debet est natúra rationalis adaequate sumpta: ergo haec est tale criterion.

Maior constat ex statu quaestionis.

Ad Min. — Finis operantis ultimus communis in aliquo opere complexo efficiendus, in quantum unam naturam in illo complexo opere respicit, (qualis est finis humanae vitae), diiudicandus est ex aptitudinibus, tendentiis et exigentiis illius naturae secundum suas relationes ad Opificem, ad ceteros individuos eiusdem naturae et ad reliqua entia in illo complexo: ratio est quia aptitudines illae, tendentiaeque in illa natura ab Opifice ponuntur nonnisi propter illum finem communem, et necessario secundum limites qui oriuntur ex relatione eiusdem naturae ad ipsum Opificem et ad cetera entia quae ordinantur ad cooperandum ad communem illum finem. Iam vero natura humana cum omni sua aptitudine, ten dentia et exigentia secundum suas relationes ad Divinum Opificem et ad cetera entia in mundo est natura ratio-

nalis adaequate considerata. Ex eodem porro criterio ex quo diiudicatur finis humanae vitae est diiudicanda habitudo proportionis in actu humano ad illum finem. Ergo natura rationalis adaequate inspecta est id ex quo et ideo propter quod mens humana debet iudicare habitudinem actus humani ad finem humanae vitae.

*Scholion 1.* — Quando dicitur actus humanus esse naturae rationali conveniens, asseritur eius conformitas cum aptitudine et tendentia humanae naturae intra limites exigentiarum secundum eius relationes ad Deum, ceteros homines et entia rationalia: quando actus dicitur disconveniens, asseritur carentia in ipso illius conformitatis.

*Scholion 2.* — Praecipuae inter tendentias naturae humanae sunt:

*a*) Tendentia ad suam conservationem; haec tendentia ipsi communis est cum ceteris omnibus creaturis.

*b*) Tendentia ad perpetuandam suam speciem per propagationem et educationem suae prolis; haec tendentia ipsi communis est cum ceteris omnibus animalibus.

*c*) Tendentia ad cognoscendum originem suae existentiae eiusque finem ultimum: haec tendentia ipsi communis est cum ceteris creaturis intellectualibus.

*d*) Tendentia convivendi in communitate idearum et cooperationis cum aliis suae speciei; haec tendentia movet hominem in tres distinctas societates naturales, domesticam nempe, civilem et religiosam, in quibus actuationem aliarum tendentiarum supra indicatarum securius et perfectius inveniet. (Cf. D. Thom. 1, 2, q. 94, a. 2, in corp. art., ad calcem).

## ARTICULUS III.

### De Conscientia Morali.

Conscientia moralis iudicium rationis practicae est quo legis moralis principia actionibus individuis applicantur: est igitur ultimum rationis dictamen in aliquo homine individuo respectu alicuius sui actus in concreto. Conscientia haec moralis est de facto conclusio syllogismi in quo maior praemissa principium aliquod est legis universalis, sicut e. g. « mendacium non est dicendum », et minor praemissa iudicium est de actu aliquo in concreto qui hic cadit sub extensione subiecti in maiore, ut v. c. « hic meus actus est mendacium »: unde conclusio « hic meus actus non est ponendus » est conscientia moralis. Conscientia igitur moralis est actus (iudicium), non est facultas sicut conscientia psychologica, neque habitus sicut synderesis. Virtualiter quidem conscientia moralis est facultas, est enim ratio humana, in cuius virtute ille actus est; formaliter vero est ipse actus rationis: fundamentaliter autem stat in evidentia tum materiali tum formali illius syllogismi cuius conclusio est.

Conscientia distinguitur in antecedentem et consequentem. Consequens est, si pronuntiat de actu praeterito, de actu iam posito: denominatur approbatio conscientiae aut accusatio conscientiae, prout pronuntiat actum fuisse bonum moraliter et proinde recte factum, aut moraliter malum et ideo perverse factum. Antecedens est conscientia quando de actu praesenti vel futuro ponitur, de actu nempe sub considerationem respectu positio-

nis eius habendae. Potest esse remote practica vel proxime; remote si de actu individuali pronuntiat praecisione facta ab actuali eius positione habenda hic et nunc; proxime practica, quando pronuntiat de actu hic et nunc ponendo aut non ponendo. Conscientia antecedens denominatur praeceptiva, prohibitiva, permissiva aut suasiva prout actum poni iubet, vetat, concedit aut suadet.

Iterum conscientia respectu veritatis obiectivae iudicii distinguitur in rectam et erroneam. Recta est quando conformatur obiectivae applicationi legi, seu quando, tamquam conclusio, obiective vera est, qualis erit quando praemissae suae sunt obiective verae et suus syllogismus in forma logica est. Erronea est conscientia quando non conformatur obiectivae applicationi legis, seu quando conclusio obiective falsa est, sive ex falsitate alterutrius aut utriusque praemissae, sive ex eo quod in logica forma non est ipse syllogismus. Erronea autem conscientia potest esse aut culpabiliter aut inculpabiliter talis, prout vincibilis aut invincibilis est ignorantia sui erroris: hic recolendum est diligentiam inquisitionis veritatis requisitam ut ignorantia sit invincibilis et ita citra culpam ea est quae iuxta prudentiorum hominum iudicium proportionatur rei eiusdem momenti ac illa quae in casu sub lege cadat.

Demum respectu status mentis pronuntiantis iudicium conscientia discriminatur in certam, dubiam, opinantem seu probabilem, et respectu dispositionis illius mentis in teneram, laxam, scrupulosam et perplexam. Certa est conscientia quando quis tali iudicio adhaeret sine formidine oppositi seu eius falsitatis: subiective tantum certa, si detur talis adhaesio sine obiectiva evidentia veritatis iudicii; formaliter certa si cum illa evidentia. Dubia est conscientia, quando mens haeret anceps inter iudicium

de applicatione legis in casu concreto et eius oppositum, neutri parti adhaerens. Opinans seu probabilis est quando quis ex gravi aliquo argumento adhaeret suo iudicio non tamen sine formidine veritatis oppositi iudicii. Tenera dicitur conscientia quando mens (seu conscientia in actu primo proximo) disponitur ad diligenter inquirendum de applicatione legis etiam in rebus minoris momenti, huic dispositioni communiter consociatur voluntatis dispositio accurato iudicio ex diligenti illa inquisitione habito obtemperandi; unde communi loquela non attribuitur tenera conscientia nisi secundum utramque simul dispositionem. Laxa dicitur conscientia quando mens disponitur ad inquisitionem veritatis in applicatione moralis legis negligendam ob rationes levioris momenti et ita ad leviter iudicandum legem non applicari. Scrupulosa dicitur conscientia quando mens legis violationem ubi non est solet invenire vel leviorem deordinationem esse graviorem offensam iudicare. Perplexa dicitur conscientia quando mens ita turbatur ut illicitum esse censeat tum ponere tum omittere eamdem concretam actionem.

**THESIS XXVII. — Conscientiam formaliter certam sequi nobis licet, si permissiva sit; sin autem praeceptiva vel prohibitiva, eam sequi tenemur. Immo in hac re sufficit certitudo prudentialis, et quidem etiam quando simul obiective erronea sit conscientia.**

Cf. D. Thom., 1, 2, q. 19, aa. 5 et 6: Suarez, De Bon. et Mal., Hum. Act., d. 12, sect. 3 et 4; Ferretti, thes. LVIII.

*St. Qu.* — Agitur in thesi non de regula formali moralitatis qua tali seu de recta ratione in genere, neque de criterio moralitatis qua tali sive obiectivo sive subie-

ctivo, sed de regula gubernante voluntatem qua tali, seu de ratione praecise prout promulgante legem divinam respectu actus individui in casu concreto.

Per conscientiam in thesim intendimus conscientiam antecedentem ut supra explicatam, quia obligatio de actu ponendo descendit ante actum non post eius positionem. Secundo quando additur « formaliter certam » volumus eam conscientiam esse rectam seu obiectivam veram, quia formaliter non habetur certitudo, neque potest haberi in conclusione, qualis est conscientia, sine obiectiva veritate evidente in maiore et minore syllogismi qui evidenter in vera forma logica est. In secunda autem parte thesis ubi loquimur de certitudine prudentiali non necessario supponitur, licet communiter habeatur, obiective recta conscientia: interdum habetur; interdum non habetur, et adest certitudo prudentialis simul cum errore obiectivo, licet invincibili; asserimus sufficientiam conscientiae tum ad liceitatem tum ad obligationem non tantum de recta conscientia prudentialiter certa, sed etiam de conscientia erronea, si tamen sit certa prudentialiter.

Certitudo prudentialis est adhaesio mentis quae oppositi dubium omne prudens excludit: quod si huic obiiciatur quod non sit certitudo, siquidem certitudo excludit simpliciter omne dubium, respondemus illud verum esse in ordine speculativo sed non in ordine practico, unde haec certitudo denominatur certitudo practica; si ultra urgeatur veram certitudinem secum annexam habere infallibilem veritatem, qualem certitudo haec practica non habet, reponimus hanc certitudinem secum habere infallibilem veritatem quod actus sit permissus, praeceptus aut vetitus, secundum characterem actus conscientiae, i. e. quando iudicium nostrum cum exclusione omnis dubii prudentis denuntiat actum aliquem esse lege

naturali obligatorium, infallibiliter verum est quod hic et nunc sit ille actus obligatorius, uti statim probabimus in probata sufficientia conscientiae prudentialiter certae. Dubium prudens est dubium quod prudentiores homines haberent et propter quod nollent ponere actionem in re alicuius momenti sine ulteriore inquisitione.

Supra vidimus legem esse aut praeceptivam aut permissivam aut prohibitivam: unde conscientia erit pariter permissiva, praeceptiva aut prohibitiva, prout declarat de concreto actu legem eum respective permittere aut iubere aut vetare: de his praedicamus in thesi hominem obligari non ponere actum, si conscientia sit prohibens, ponere actum, quando conscientia est praecipiens, et ius positivum habere ponendi aut non ponendi, prout lubet, actum de quo habetur conscientia permissiva.

Obiective erronea in concreto est conscientia quando pronuntiat actum nostrum in concreto aliquem esse permissum, praeceptum aut vetitum, qualem lex in genere (praecisione habita ab illo errore) respective non permittit, praecipit aut vetat. In thesi sumitur conscientia erronea in sensu composito cum certitudine prudentiali; unde supponit ignorantiam in hoc errore esse invincibi lem, siquidem prudentialiter certus iam adhibuit totam illam diligentiam inquisitionis quam prudentiores requirerent; secus enim nequit dici prudentialis, seu excludere dubium prudens, quum dubium prudens necessario adest quando prudentiores ulteriorem postulant inquisitionem. In hac ultima parte thesis punctum essentiale quod clarum reddere debemus est quomodo lex, quae in genere permittit, praecipit aut prohibet aliquem actum, respective non permittat, non praecipiat aut non prohibeat eumdem actum in concreto quando cadat sub conscientia erronea sed prudentialiter certa.

Demum, quando explicite asseritur vis conscientiae certae, implicite negatur correspondens vis seu sufficientia in conscientia dubia. Unde quattuor sunt in thesi probanda:

*A*) Conscientia formaliter certa, i. e. obiective recta et subiective certa, est regula gubernativa actus humani in individuo, ea nempe quam sequi nobis licet permittentem, iubentem autem vel vetantem sequi obligamur.

*B*) Conscientia dubia nequit esse talis regula.

*C*) Ad talem regulam sufficit ut conscientia sit prudentialiter certa.

*D*) Quod ultimum quidem verificatur etiamsi per accidens conscientia sit obiective falsa.

Probatur A. — De conscientia formaliter certa.

Arg. — Illa est regula gubernativa actus humani quae est ipsa lex promulgata; atqui conscientia formaliter certa est ipsa lex in casu actus individui promulgata: ergo conscientia formaliter certa est regula gubernativa actus humani in individuo.

Ad Mai. — Ratio est quia liceitas et obligatio ex lege sequitur legis promulgationem, qua lex subdito communicatur.

Ad Min. — Est ipsa lex, quia est ratio obiective recta (utpote obiective vera); promulgata, quia ab agente subdito cognita. Contra rationem huius minoris excipi potest *primo* conscientiam stricte certam formaliter posse dici obiective rectam, sed non conscientiam prudentialiter certam; cui obviatur probando infra sufficientiam prudentialis certitudinis: *secundo*, promulgationem inveniri in quavis cognitione et proinde non requiri cognitionem certam; cui respondemus probando statim insufficientiam conscientiae dubiae.

Probatur B. — De Conscientia dubia. Notandum est

in hoc argumento excludimus non tantum conscientiam dubiam sed etiam opinantem qua talem, omnem nempe conscientiam quae non est certa saltem prudentialiter.

Arg. — Illa non est regula gubernativa actus humani secundum quam neque licitum neque obligatorium est agere; atqui secundum quamvis conscientiam, quae non est certa, neque licitum est neque obligatorium agere: ergo conscientia non certa nequit esse regula actus humani gubernativa.

Ad Min. — *a*) Non licitum. Indifferenter velle actum sive bonum sive malum homini non est licitum; atqui qui secundum conscientiam non certam agit, actum sive bonum sive malum indifferenter vult: ergo agere secundum conscientiam non certam non licet.

Ad Mai. — Qui actum vult indifferenter sive bonum sive malum, in quantum de se est efficaciter vult actum malum (si enim actus volitus non sit malus, hoc non est ex efficacitate voluntatis sed per accidens obiecti); atqui efficaciter velle in quantum de se est actum malum homini non licet: ergo non licet actum velle indifferenter sive bonum sive malum.

Ad Min. — Actum libere ponere sciens eum forte esse malum, forte bonum, est actum velle indifferenter sive bonum sive malum; atqui qui secundum conscientiam non certam agit, libere actum ponit sciens eum forte esse malum, forte bonum: ergo qui secundum conscientiam non certam agit, actum vult indifferenter sive bonum sive malum.

*b*) Non obligatorium. — Lex dubia non obligat; atqui nisi conscientia sit certa, lex in casu adhuc dubia manet: ergo sine conscientia certa non datur obligatio.

Ad Mai. — Primo, quia illud quod in se deter-

minatum non est, nequit determinare aliud, seu obligare. Secundo contra ius certum non valet exceptio incerta; hominis autem ius ad suam libertatem actionis est certum, lex vero dubia est exceptio incerta: ergo contra ius hominis ad suam libertatem actionis non valet, seu non obligat, lex dubia.

Ad Min. — Lex dubie promulgata lex dubia est; atqui nisi certa sit conscientia agentis lex respectu eius actus in individuo dubie promulgatur; ergo nisi conscientia certa sit, lex in casu dubia manet.

Probatur C. — De certitudine prudentiali.

Arg. Ad regulam actus humani gubernativam sufficit ea certitudo, quam solam materia morum in concreto ut plurimum patitur; atqui materia morum in concreto ut plurimum patitur nonnisi certitudinem conscientiae prudentialem: ergo ad regulam actus humani gubernativam sufficit conscientia prudentialiter certa.

Ad Mai. — Repugnat dicere Opificem sapientissimum et indefectibilem reliquisse suum instrumentum ut plurimum sine determinatione ad actum proportionatum fini intento ab Ipso, qualiter fecisset si reliquisset hominem in conditione ubi illa regula, quam solam materia morum in concreto ut plurimum patiatur, non sufficeret ad regulam humani actus gubernativam: ergo...

Ad Min. — Constat ex experientia de ordinariis hominibus in ordinariis vitae contingentibus.

Quando haec conscientia quae est subiective certa prudentialiter coniuncta est cum obiectiva veritate, eius sufficientia intellectu difficilis non videtur: etenim habetur ratio obiective recta et proinde lex, sufficienter promulgata, quia non dubie cognita sed cognita cum ea certitudine, quae sola in ordinariis contingentibus possibilis sit. Attamen quando illa conscientia est erronea, licet

prudentialiter certa subiective, deficit ratio obiective recta, et proinde, ut videtur, etiam lex. Unde.

Probatur D. — De Conscientia prudentialiter certa sed erronea.

Arg. — Illa est regula humani actus in individuo gubernativa, quam sequi tum licitum est tum obligatorium; atqui conscientiam invincibiliter erroneam (qualis est conscientia obiective falsa sed subiective certa prudentialiter) tum licitum tum obligatorium est sequi: ergo ea est regula gubernativa actus humani in individuo.

Ad Min. — *a*) Licitum est sequi eam. Nam secus homo teneretur aut agere contra eam aut simpliciter non agere: at non primum, quia ita teneretur legem amplecti invincibiliter ignotam, haec autem tanquam insufficienter promulgata nequit in concreto vim legis habere; item teneretur agere contra eam quam iudicat esse legem seu illud amplecti quod malum esse censet, quod est absurdum: non alterum, quia ita in certitudine prudentiali nunquam agere posset, quum in tali certitudine, absolute loquendo, semper possibile sit conscientiam esse erroneam. Quodsi ita agendo ponat actum contra finem humanae vitae, actus, qua ita fini est contrarius, propter praesentiam ignorantiae invincibilis non est qua talis voluntarius.

*b*) Obligatur homo eam sequi (i. e. si iubens aut prohibens sit illa conscientia erronea). Nam secus liceret homini non sequi eam quam censet esse legem divinam iubentem aut prohibentem, quod totam vim obligationis in genere pessum daret. Insuper lex hominem obligat ad diligenter quaerendum suam existentiam, sensum et applicationem, et deinde ad sequendum conclusionem habitam; atqui in conscientia invincibiliter erronea, iam diligenter quaesivit homo existentiam, sensum et applicationem legis, et conscientia sua erronea est

conclusio exinde habita: ergo eam sequi lex hominem obligat.

Revera sola ratio cur conscientia invincibiliter erronea carere videatur vi legis, est quia apparet repugnare Deum obligare ad illud quod frustraret finem humanae vitae: attamen, eum finem efficere est elementum materiale in impletione legis et voluntatem humanam praestare obsequium Deo est elementum formale: in casu conscientiae invincibiliter erroneae necessarium est omittere unum elementum aut aliud, quum nequeat simul ibi verificari utrumque; sed magis potens est elementum formale quam materiale, et formale elementum habetur solummodo illam conscientiam sequendo. Aliis verbis formalis gloria habenda ex obsequio voluntatis in conscientiam illam sequendo est finis Dei efficiendus ita actui humano essentialis ut etiam per accidens deficere nequeat a ratione finis intenti; dum gloria obiectiva habenda ex promotione finis humanae vitae non ita essentialis finis est ut non possit per accidens deficere in angustiis, ubi impossibile sit utramque gloriam, utrumque finem efficere. Unde quum necessarium sit ut Deus velit suum finem efficiendum habere secundum naturam creaturae, et in creatura humana naturaliter sit illa interdum per accidens deficientia cognitionis, Deus necessario vult suum finem secundum cognitionem habitam.

*Scholion 1.* — De conscientia subiective certa sed culpabiliter, quia vincibiliter, erronea dicendum est homini non licere contra eam agere, neque per se licet eam sequi. Non agere contra, quia stante illa certitudine subiectiva, homo simul habere non potest oppositam conscientiam certam, quae necessaria est ut contra priorem agere liceat: immo agendo contra eam evidenter illud amplecteretur quod ratio malum esse ipsi renuntiat, et

ita simpliciter cognitum qua malum vellet, quod certo non licet. Per se non licet eam sequi, quia prius obligatio super hominem incidit ut *diligenter* inquirat ad rectam conscientiam efformandam: per accidens autem, si conscientia vere hic et nunc subiective certa est, cum nulla igitur formidine oppositi, cum nulla suspicione erroris vel diligentis inquisitionis adhuc debitae, tunc hic et nunc vere invincibilis est illa conscientia, et licitum est talem conscientiam sequi tanquam invincibiliter hic et nunc erroneam, immo et eam sequi tenetur homo, sicut supra ostensum est. Hoc vero non officit quominus agens culpae reus sit respectu praeteritae diligentiae praetermissae. Quodsi conscius sit agens de diligentia inquisitionis debita, sed non adstat opportunitas inquirendi propter urgentem necessitatem statim agendi, conscientia illa aequiparari potest conscientiae dubiae, et solvenda est difficultas sicut in casu dubii positivi, qui infra in scholio de conscientia opinante seu probabili solvetur.

*Scholion 2.* — Actus positus secundum conscientiam erroneam est semper materialiter malus: est etiam formaliter malus, si conscientia sit vincibiliter seu culpabiliter erronea, licet eius malitia non sit voluntaria in se sed in causa; quodsi conscientia sit invincibiliter erronea et quidem per se, tunc actus ille est formaliter bonus; si tandem conscientia sit invincibiliter erronea non per se, sed per accidens hic et nunc, ut supra indicatur, actus in se ipso etiam est formaliter bonus, licet agens in antecessum contraxerit reatum suae negligentiae in re cognitionis.

*Scholion 3.* — In conscientia opinante seu probabili aut tenuis (talis nempe cui prudentes homines assensum non praestarent) aut solida est probabilitas (talis nempe cui homines prudentes possint, salva prudentia, assensum

praestare): si tenuis, opposita conscientia est prudentialiter certa et proinde sequenda; si solida, talis conscientia reflexe certa fieri potest ratiocinio sequente. Certum enim est, stante illa probabilitate solida, legem involutam in opposita conscientia esse dubiam: certum autem etiam est legem dubiam non obligare: ergo certum est agentem non obligari opposita conscientia et proinde suam sequi posse. Ita efformatur certa conscientia reflexa tanquam regula gubernativa actus humani in individuo, quae efformatio fieri potest etiam ex conscientia minus probabili, dummodo vere et solide probabilis sit. Notandum tamen est agentem interdum esse certum de lege absolute obligante ad finem determinatum efficaciter (in quantum de agente ipso pendeat) efficiendum aut obtinendum, et probabilitatem versari de efficacitate relativa mediorum ad illum finem: in tali casu lex urgens finem efficaciter habendum obligat ad electionem medii magis efficacis prae minus efficaci; medium autem magis probabiliter efficax prae medio minus probabilitater efficaci est respectu agentis ita probabiliter opinantis medium magis efficax, et proinde agens lege obligatur illud eligere. Per huiusmodi ratiocinium conscientia in casu probabilis fit reflexe certa quoad electionem medii magis probabiliter efficacis. Ad hunc specialem casum applicatur principium « in dubio pars tutior est eligenda ».

*Scholion 4.* — In casu dubii stricte dicti, nempe ubi mens haeret anceps sine ullo iudicio cui assentitur, nulla ibi est regula gubernativa actus: in talibus adiunctis homo tenetur invenire si possit solidam rationem alterutri parti assentiendi, et deinde hunc assensum in conscientiam reflexe certam ratiocinando convertere. Quodsi talem assensum ex se ipso extorquere nequeat, et instet agendi necessitas, tunc si certe honestum (seu moraliter bonum)

sit ponere actionem, dubia autem sit honestas eam omittendi, homo actionem ponere tenetur, quia certa est obligatio ut agens efficaciter, in quantum ad se est, se servet a malo; si vero dubium sit an ponere actionem sit honestum, certa autem sit honestas omittendi, eam omittere tenetur ex eadem ratione; in utroque casu licet maneat illud dubium speculativum, ratio practica est ex dato argumento facta reflexe certa. Demum si homo tam infelix sit ut ipsi utraque pars dubiae honestatis videatur, tunc casus conscientiae perplexae assimilatur atque cum ea pariter ost solvendus.

*Scholion 5.* — Quando de re agenda homo perplexa conscientia turbatur, suam perplexitatem per inquisitionem solvere si possit tenetur: quodsi habita diligenti inquisitione adhuc perplexus manet, aut si agendi necessitas instet manente perplexitate, eligere debet quod ex duobus (ponere scilicet vel omittere actionem) ipsi minus malum appareat, siquidem certum est hominem teneri se conservare a malo patrando in quantum potest. Attamen si rationem maioris mali in alterutro videre non possit, tunc ponere licet vel omittere, prout lubet, actionem: certum enim est eum ita non facere malum formaliter, quia ad formalem malitiam actus opus est ut agens habeat liberum arbitrium inter malum et bonum vel saltem et minus malum, quod in casu proposito agenti non datur.

PARS ALTERA

# ETHICA SPECIALIS

## CAPUT I.

## De Iure et Officio in Genere.

### Articulus I.

#### De Conceptu Iuris et Officii.

Ius etymologice aliquam ideam ligaminis secum affert, et cognationem aliquam praestat cum verbo « iungere », sicut lex cum verbo « ligare ». Realiter autem vox « ius » triplici distincto sensu adhibetur.

I. Ius primo sensu legem significat, et iuxta hunc sensum pariter cum lege dividitur in ius naturale et positivum: positivum vero distinguitur in divino-positivum et humano-positivum; et tandem ius humano-positivum discriminatur in ius civile et ius ecclesiasticum seu canonicum.

II. Ius sensu altero iustum sonat; iustum autem, licet interdum sensu universaliori pro legitimo sumatur, usu communiori pro eo stat quod est alteri debitum secundum aliquam rationem aequalitatis. Sicut enim iustitiae virtus est habitus, secundum quem aliquis constanti et perpetua voluntate suum cuique tribuit, ita iustum habitudinem indicat aequalitatis inter duos secundum debitum. De ratione eius tria sunt, alteritas nempe, debitum et aequalitas: alteritas distinctionem postulat personarum inter terminos habitudinis; debitum dicit entis tribuendi exigentiam moralem secundum obligationem a lege aliqua procedentem, lex enim uni exigentiam tribuit, alteri imponit obligationem huic exigentiae respondendi; aequalitas est inter datum, quod est debiti fundamentum,

et dandum, quod ad implendum debitum exigitur, vel etiam inter personam debentem et personam exigentem.

Iustum simpliciter habetur quando trium eius elementorum plena adest ratio: huiusmodi iustum dicitur iustum, seu ius sensu iusti, perfectum.

Iustum secundum quid habetur quando unius aut plurium ex illis elementis plena ratio deficit: huiusmodi iustum dicitur iustum imperfectum. Alteritatis deficit plena ratio quando una ex duabus personis est iam sub dominio alterius, unde altera ad priorem refertur tanquam ad aliquem aliquomodo suum, sicut e. g. pater refertur ad filium, dominus ad servum, civis ad civitatem. Debiti plena ratio deficit, quando exigentia non est absoluta sed hypothetica seu conditionalis, eo quod ante conditionis impletionem vis exigentiae suspenditur usque dum purificetur conditio, purificata autem conditione exigentia fit absoluta, et debiti ratio fit plena. Aequalitatis plena deficit ratio, quando deest aequalitas (scilicet iuridica) ex parte personarum, exigentis nempe et debentis, licet ex parte dati et dandi aequalitas adsit; ita v. c. inter hominem merentem et Deum remuneratorem, inter civem merentem et civitatem remunerantem.

Quando inter personas aequalitas adest, intercedit iustitia quae dicitur commutativa, cuius aequalitas est secundum proportionem arithmeticam, aequalitas nempe inter rem datam et rem debitam. Haec autem aequalitas inveniri potest dupliciter: nam iustum commutativum dividitur in iustum naturale et iustum positivum seu ex condicto; prius habetur quando aequalitas inter datum et debitum est ex natura rei: posterius, quando aequalitas habetur ex eo quod aliquis ex positiva sua voluntate se obligat ut contentus sit cum aliqua re danda, licet de facto non sit rei datae naturaliter aequalis.

Quando inaequalitas personarum adest, intervenit iustitia aut distributiva aut legalis. Iustitia distributiva habetur inter personam superiorem tanquam subiectum in quo est obligatio et personam inferiorem tanquam terminum in quo est exigentia: in hac iustitia aequalitas habetur secundum proportionem geometricam i. e. non inter rem datam et rem dandam sed inter duas rationes proportionales, quarum una est inter duo data et altera inter duo danda (ratio autem proportionalis habetur dividendo unam quantitatem per aliam): ita praemiat princeps secundum aequalitatem proportionis geometricae, qui, dando praemium nummorum mille pro uno servitio publico, pro altero publico servitio momenti duplo maioris duo millia nummorum tribuit. Ratio cur iustitia distributiva limitetur per se ad talem proportionem est quia communiter res data ab inferiore et res danda a superiore non sunt directe commensurabiles, et insuper superior aliquod ius iam habet ad id quod datur ab inferiore, et demum in societate civili aut familiari bonum commune distribuendum potest esse tantum ut generosiora retribui possint praemia, aut tantillum ut nonnisi diminuta praemia patiatur et aliquid sacrificii a subdito postulare cogatur.

Legalis iustitia intercedit inter personam iuridice inferiorem tanquam subiectum in quo est obligatio et personam superiorem tanquam terminum in quo est exigentia aut magis universaliter inter subiectum et communitatem cuius bonum commune operari tenetur: duplex est; specialis, si determinetur lege positiva, generalis, si procedit ex ipso vinculo sociali cuius obligationes procedunt ex lege naturali. In iustitia legali speciali dandum ab inferiore mensuratur proxime secundum aequalitatem cum re postulata in lege positiva, remote autem (et sim-

pliciter in iustitia legali generali) secundum exigentiam boni communis. Per se haec exigentia descendit aequaliter super omnes subditos (vel membra) societatis; per accidens vero potest variari secundum potentiam uniuscuiusque, praesertim quando illa potentia augetur ex opportunitate provisa a societate et magis urgenter adhuc quando illa opportunitas inaequaliter distribuitur; in hac variatione intercedere potest aequalitas secundum proportionem geometricam, aequalitas nempe inter rationem proportionalem talium potentiarum in diversis membris et rationem proportionalem rerum ex exigentia boni communis postulatarum respective ex diversis membris.

III. Ius sensu tertio est potestas moralis (seu legitima) inviolabilis faciendi, exigendi vel retinendi aliquid. Dicitur potestas ut distinguatur ab obligatione, et ut indicetur ipsa esse in ordine morum id quod potentia seu facultas physica est in genere naturae, *principium nempe actuum et determinationum.* Moralis dicitur ut distinguatur a potentia mere physica, et ut indicetur ipsa esse principium activitatis *in genere morum.* Dicitur legitima ut indicetur eius principium esse legem aliquam, quod infra in thesi ponenda probabimus. In concreto haec potestas moralis est libertas hominis, non mere physica, licet haec praesupponatur, sed moralis, i. e. ad aliquid agendum aut non agendum positive concessa a lege permittente. Inviolabilis dicitur quatenus connotat obligationem positam a lege super alios, primo prohibitive, ne illius potestatis exercitio obstent, secundo praeceptive, ut cooperatione sua reddant omnia quae ab illa potestate agendi, exigendi vel retinendi aliquid expostulantur. Hic tertius iuris sensus ille est secundum quem vocabulo « iuris » communiter utemur: distinguitur ab aliis sensibus eo quod ius sensu legis est principium iuris quod est potestas moralis, atque

ius sensu iusti est habitudo consequens ex iure quod est moralis potestas aut ex eius exercitio.

Quinque correlativa circa ius sunt bene distinguenda, principium nempe iuris, eius materia, eius titulus, eius subiectum et eius terminus.

Principium iuris est id a quo ius procedit, eius scilicet causa efficiens: procedit autem, uti mox probabimus, ex lege; unde ratione principii ius distinguitur in ius naturale, positivum, divinum, humanum, civile et ecclesiasticum seu canonicum prout procedit a lege respective naturali vel positiva, divina, humana, civili vel ecclesiastica.

Materia iuris id est circa quod ius versatur: versatur autem circa res vel quasi-res; in materia iuris res significant entia corporalia, quasi-res sonant entia quae non sunt corporalia, sicut nempe spiritualia, moralia, relativa, actiones et huiusmodi. Ius in actiones liberas seu humanas denominatur iurisdictio, improprie, si sit super actiones proprias, proprie si super alienas; et super has alienas denominatur iurisdictio perfecta, si sit super actiones subditorum in societate perfecta, et iurisdictio imperfecta, si sit super alienas actiones in societate imperfecta. Ius super res dicitur ius proprietatis, improprie si sit super res sui internas, proprie si super res sibi externas: ius autem proprietatis distinguitur in ius in re et ius in rem: prius habetur quando potestas et exigentia iuris cadit directe in rem ipsam, quatenus iam factam sui, i. e. domini; posterius, quando exigentia cadit non directe in rem sed in personam aliquam et mediante persona in rem: in priore casu homo potest sibi sumere rem, in altero casu personam potest obligare ut rem vel aliquid ei aequivalens ipsi reddat. Ius in re vocatur dominium proprietatis, sicut ius super actiones liberas propriorum subditorum dicitur dominium iurisdictionis.

Licet actiones et labor personae humanae iuris materia esse possint, ipsa persona humana nequit esse materia iuris humani. Etenim materia iuris subordinatur tanquam ad suum finem proprium ad bonum illius hominis qui est subiectum iuris; est igitur ens non sibi existens sed alteri, non ob bonum suum sed ob bonum alterius. Iam vero persona humana est naturae talis ut Deus sit immediatus eius finis, et quidem ita ut gloria Dei sit simul perfectio hominis glorificantis; unde humana persona est ens Deo et *sibi* existens et non ens alteri homini existens; necessario ex natura sua existit ob bonum extrinsecum Dei quod est simul bonum suum intrinsecum: repugnat ergo naturae personae humanae ut sit subordinatum alteri homini tanquam ens ipsi seu ob bonum ipsius existens, quasi suum finem adipisci non posset nisi per alium hominem cuius medium sit, sicut ens irrationale non potest attingere ad formalem gloriam Dei nisi per hominem cuius medium est in ordine ad talem gloriam. Nequit igitur persona humana esse materia iuris humani. Cf. Vermeersch, Quaestiones De Iustitia, n. 5.

Titulus iuris factum illud est quo ius adesse in hac vel illa persona proxime determinatur: est quidem fundamentum iuris sed proximum; ultimum enim fundamentum principium iuris est seu lex. Est igitur titulus illud factum propter quod seu cuius intuitu lex determinatae personae potestatem iuris tribuit atque simul obligationem deferendi ad illam potestatem super alios imponit. Iuxta titulum iura dividuntur in congenita et acquisita, prout fundamentum est ipsa existentia humanae naturae, aut aliquod factum contingens quod supervenit existentiae hominis. Iura tum congenita tum acquisita sunt aut exercitii necessari aut liberi, prout in homine sunt in

ordine ad implendam aliquam obligationem vel non ita sunt. Iterum quaedam iura sunt inalienabilia, quaedam alienabilia; priora sunt ea quae aliena facere non possumus quia nobis necessaria sunt ad implendum aliquam obligationem non conditionatam sed absolutam; posteriora sunt ea quae abalienare possumus, siquidem non sunt nobis media necessaria ad ullum nostrum officium absolutum.

Subiectum iuris persona illa est in qua residet ius seu potestas moralis. Necessario est persona seu suppositum rationale, primo quia est subiectum potestatis moralis, quam vidimus supra esse libertatem moralem concessam a lege permittente, quae inveniri nequit nisi in eo in quo iam est libertas physica, seu qui est subiectum legis moralis; secundo quia qui ius possidet est terminus obligationis in aliis respectu illius iuris: qui autem obligatur est necessario persona, et subiicitur termino illius obligationis, quum in termino sit vis moralis qua devincitur voluntas eius; sed persona nequit subiici nisi alterae personae: ergo subiectum iuris est necessario persona, seu suppositum rationale. Diximus suppositum rationale, non suppositum usum rationis habens, quia licet actualis usus rationis necessarius sit ad exercitium iuris siquidem est exercitium libertatis, non tamen est ad iuris possessionem, utpote non repugnat enti habere potestatem quam per accidens hic et nunc exercere non potest, dummodo per se aliquando eam potest exercere. Requiritur vero ut persona sit actu existens, quia potestatem etiam moralem inhaerere in persona non existente repugnat. Quum demum persona esse possit aut physica aut moralis, ius secundum illud discrimen potest esse aut individuale seu privatum, aut sociale seu publicum.

Terminus iuris est persona quae lege tenetur ius alterius non violare sive illi obstando sive debitam coope-

rationem denegando. Necessario persona est, quia terminus ille verae obligationi morali subiacet, cui subiici nequit nisi ens liberum et proinde rationale. Iterum, siquidem persona duplex est, physica seu individualis et moralis seu socialis, constat ius posse esse etiam ratione termini ius privatum aut ius publicum.

Ius demum est aut perfectum aut imperfectum. Perfectum est ius ad illud ad quod reddendum alter ex iustitia commutativa tenetur; est igitur fundamentum iusti perfecti: subaudit rem ita pertinere ad aliquam personam ut tota sit in usu et penes dispositionem eius ad lubitum et ut potestas eius sit ita inviolabilis ut rem possit exigere (et si opus est ipsam potestatem eiusque exercitium tueri) coactione: dicitur perfectum quia procedit secundum iustitiam perfectam. Imperfectum ius illud est quod procedit ex lege secundum iustitiam distributivam, iustitiam nempe imperfectam: fundamentum est iusti imperfecti: homo tali iure gaudens nequit adhibere rem vel de ea disponere ad libitum sed secundum exigentias boni communis, neque potest rem sibi assumere ubicunque inveniatur, sed si sit extra suam possessionem, opus est ut petat interventionem auctoritatis socialis, cuius etiam est, ut illud ius tueatur eiusque violationem vindicet.

Iniuria est violatio iuris sicut iniustitia est privatio iustitiae: diversificatur iniuria secundum diversam rationem iuris quod violatur, sicut et variatur iniustitia secundum rationem iustitiae cuius privatio est. Distinguitur a mera offensa seu displicentia alterius eo quod infert aliquam iniustitiam, et sensu stricto limitatur ad violationem iustitiae commutativae quae est perfecta iustitia et ita distinguitur ab offensa contra legem, quae offensa involvit iniustitiam legalem, vel (in quantum offensa est contra legem aeternam) iniustitiam generalem.

Officium in abstracto est morale debitum aliquid agendi vel omittendi in beneficium alterius: sensu latissimo confunditur cum obligatione morali, sed sensu stricto ab obligatione morali differt in eo quod officii ratio magis alteritatem quam determinationem moralem respicit; insuper in morali obligatione ordo inter subditum et superiorem respicitur, dum officium communiter respicit ordinem inter aequales, et praeterea obligatio bonum subditi respicit, dum debitum respicit bonum alterius.

Officium in concreto est aliquid aut agendum aut omittendum in beneficium alterius: idem fere sonat ac iustum (seu ius sensu secundo sumptum ut supra), sed ab hoc differt in eo quod ratio officii debitum et alteritatem respicit potiusquam aequalitatem. Formaliter inspectum officii debitum ipsam exigentiam agendi vel actionem omittendi respicit, et secundum hanc rationem duplex distinguitur officium, iuridicum nempe et ethicum.

Officium iuridicum est illud quod praeter obligationem ex lege, quae in omni officio involvitur, subaudit in altero (in cuius beneficium ordinatur officium) ius secundum quod exigitur actio vel eiusdem omissio: ita officium pecuniam mutuatam solvendi. Officium ethicum seu pure morale dicitur, quando in ipso datur quidem obligatio sed alteri (in cuius beneficium ordinatur) nullum inhaeret ius secundum quod exigitur positio vel omissio actus: ita officium eleemosynas largiendi. Violatio igitur officii iuridici infert non mere offensam displicentiae (praeter offensam contra legem) sed etiam veram iniuriam alteri, beneficiario nempe officii: quum autem perfecta ratio iustitiae in sola iustitia commutativa inveniatur, ubi videlicet adest plena ratio alteritatis, debiti et aequalitatis, officium iuridicum sensu strictissimo (sicut et iustum perfectum) est illud officium cuius violatio est contra

iustitiam commutativam; officium hoc sensu pressiore sumptum subaudit in altero ius perfectum respectu actionis praestandae aut omittendae. Ex his constat non omne officium subaudire ius in altero in cuius beneficium ordinatur officium, licet omne ius subaudiat in altero officium respectu illius iuris: omne autem officium supponit ius alicubi, in legislatore nempe a cuius lege procedit officii obligatio.

De officio, sicut de iure, quinque consideranda sunt elementa correlativa, principium scilicet, materia, titulus, subiectum et terminus.

Principium officii sicut et iuris est lex et proinde secundum legis diversitatem diversitas erit in officio, quod ita potest esse vel naturale, vel positivum, divinum, humanum, civile aut ecclesiasticum: insuper et secundum diversitatem obligationis in lege positiva et naturali erit correlativa variatio in vi obligativa officii.

Materia officii est actio aliqua humana: prout actio illa ponenda est aut omittenda officium dicitur affirmativum aut negativum; sicut autem lex prohibitiva obligat semper et pro semper, ita etiam urget officium negativum, dum officium affirmativum, sicut lex praeceptiva, obligat quidem semper sed non pro semper, praesertim in officiis naturalibus; haec vero universalitas officii negativi se extendit non tantum ad tempora sed etiam ad personas, quatenus obligat aliquem in ordine ad quemlibet, dum officium affirmativum non ita extenditur.

Titulus officii, seu fundamentum eius proximum, id nempe cuius intuitu lex obligationem officii imponit, est respectu officii iuridici ius in altero; respectu autem officii mere ethici est illud factum in altero propter quod in beneficium eius lex obligationem officii in aliquo ponit; ita egestas pauperis, licet non fundat ius in paupere ad

eleemosynam habendam, est tamen factum propter quod Deus ad officium eleemosynas largiendi erga illum nos obligat. Fundamentum remotum omnis officii est idem ac eius principium, videlicet lex aliqua.

Subiectum officii est persona illa cui actionis ponendae aut omittendae obligatio imponitur; est necessario persona, quia nullum ens nisi suppositum rationale et proinde liberum capax est obligationis moralis; immo et debet esse persona usum rationis habens, quia obligatio non descendit nisi in illum qui hic et nunc capax est exercendi liberum arbitrium, et nonnisi in illum qui hic et nunc capax est cognoscendi obligationem, quorum utrumque postulat usum actualem rationis. Demum, sicut in casu iuris, subiectum officii potest esse persona vel physica vel moralis; unde habemus officia non tantum personalia sed etiam socialia.

Terminus officii est persona in cuius beneficium seu bonum actio ponenda est aut omittenda. Necessario est persona: primo respectu officii iuridici, quia tale subaudit ius in termino officii, et nonnisi persona, ut supra vidimus, potest esse subiectum iuris; sed etiam respectu officii mere ethici, quia tale officium aut subordinationem dicit personae (quae est subiectum officii) ad bonum illius entis quod est officii terminus, et persona nequit subordinari in bonum entis irrationalis (maius enim bonum ad minus bonum lege ordinari nequit); aut saltem officium tale subaudit associationem aequalium ad bonum aliquod commune obtinendum (necessario enim lex nos ordinat aut ad bonum superioris aut ad bonum commune aliquod operandum), et nequit irrationale associari tanquam aequale cum ente rationali ad bonum commune operandum. In concreto igitur terminus officii est aut ipse Deus, aut alii homines aut nosmetipsi: erga hos

omnes officia habemus sed aliter et aliter; in omni casu adest debitum ex obligatione legis proveniens, secus enim non esset officium; sed in aliquibus eorum est quidam defectus in plena ratione aequalitatis aut alteritatis. Ita officia erga Deum exsolvere non possumus ad aequalitatem, non tantum quatenus Deo aequales non sumus, sed etiam quia ex toto rependere non possumus omnia quae nobis Deus dederit, siquidem etiam id quod rependimus est etiam ex Dei dono. In officiis erga nosmetipsos deficit ratio alteritatis; ergo talia officia nequeunt esse perfecta neque quidem sunt proprie et simpliciter officia, sed tantum improprie et secundum quid. Pariter in aliquibus nostris erga alios homines officiis, ut v. c. erga parentes vel filios deficit plena ratio alteritatis, unde talia officia non sunt perfecta licet proprie dicta officia: item in casu officiorum filii ad parentes deficere opus est plenam rationem aequalitatis, siquidem parentibus filius reddere omnia non potest quae ab illis accepit; accepit enim existentiam et educationem, quae aequaliter reddere ipsis nequit. Demum officia nostra per se secundum mensuram bonorum acceptorum proportionantur, unde maximum nostrum officium est erga Deum, et proxime ad illud venit officium erga parentes et patriam: deinde erga reliquos homines in genere est nostrum officium maius vel minus prout ab illis maiora vel minora bona acceperimus.

*Quaesita. a*) An bruta animantia habeant iura?

*b*) An homo officia habeat erga bruta animalia?

℟. — Negative ad utrumque. Ratio est quia bruta animantia non sunt personae, seu supposita rationalia: supra autem ostensum est ad subiectum iuris et terminum officii requiri personam. Attamen bruta animalia possunt esse materia circa quam actio illa versatur ad

quam ponendam aut omittendam homo tenetur ex officio erga alios vel erga semetipsum: ita v. c. ne homo animalibus utatur ita ut frustretur eorum finis operis, tenetur ex officio erga Deum ad non frustrandum finem a Deo intentum per animalia efficiendum in ordine ad finem humanae vitae: pariter ex eodem officio tenetur ne animalibus ita utatur ut non ipsi utenti inserviant ultimatim ad gloriam formalem Deo reddendam; item ne sine rationabili necessitate dolorem animalibus causet obligatur ex officio erga se ipsum crudelitatem animae non fovendi: demum ne urgeat animal in labore eius ad iacturam vitae, si animal ad alium pertineat qui ut animal ita occidatur sit rationabiliter invitus, homo ex officio iustitiae erga alium illum tenetur. Ita etiam de pluribus aliis exemplis.

## Articulus II.

### De Origine Iurium.

**THESIS XXVIII. — Principium iuris est lex et quidem ultimatim lex Dei aeterna.**

Cf. Ferretti, thes. LXIX.

*St. Qu.* — Agitur in thesi de iure prout praedicatur de homine tanquam de subiecto eius: de Deo non praedicatur ius formaliter sed tantum eminenter, quia absoluta inviolabilitas divinae potestatis liberae ortum habet ex necessitate naturae divinae. Assumitur in thesi ex communi acceptatione ius esse potestatem moralem agendi, exigendi vel retinendi aliquid. Quaeritur in thesi utrum apte apponatur in eius definitione quod sit potestas legitima, quatenus legitima dicit ius procedere a lege.

Quando quaeritur de principio, quaeritur de eius causa efficiente, tribuente, non de fundamento proximo cuius intuitu tribuitur homini ius; illud enim fundamentum non est principium sed titulus iuris. In prima parte thesis agitur de causa eius proxima, sive sit unica et proinde totalis, sive sit tantum proxima et subaudiens ulteriorem: in altera parte thesis agitur de causa simpliciter ultima; hanc ultimam esse Deum asserimus, in quantum ordinantem ab aeterno totum universum, seu Dei legem aeternam: i. e. Deus est causa sed lex est activitas eius in actu secundo qua producitur ille effectus qui est ius in homine.

Contra thesim sunt: *a*) Hobbes qui ponit causam iuris

in superiore potestate (seu vi physica possessa a subiecto iuris. (Cf. Hobbes, Leviathan, cc. 13, 14.).

*b*) Neo-Kantiani, qui ex libertate personali in se considerata ius humanum derivant. Kant enim ipse iam docuit ius legale (seu, ut videtur ius obiectivum) nihil esse nisi totum complexum conditionum in quibus voluntas independens unius personae cum independente voluntate alterius coadunari possit secundum universalem libertatis legem. (Cf. Kant, Rechtslehre, IX, 32). « Ius autem strictum » (i. e. nostrum ius in subiecto), addit infra loco citato, « concipi potest ut potestas coactionis ut plurimum mutuae, quae cum libertate uniuscuiusque secundum legem generalem consentiat ». Secundum haec constat doctrinam Kantianam esse ius ex mera libertate simul omnium et singulorum harmonice disposita derivari.

*c*) Evolutionistae qui cum Spencer docent ius constare duplici elemento, positivo nempe quo homo sibi vindicat suas activitates cum earum utilitate sine restrictione, et negativo quo limitatur eo quod alii pariter suas activitates sibi vindicant: duo illa elementa inveniuntur in conscientia psychologica hominis ipsum necessitantia, et evolvuntur ex instinctibus animalibus, prius per sensibilem appetitum egoisticum ex instinctu vitae propriae conservatore, et alterum per affectionem altruisticam ex metu animali aliorum, quo restringimur ne omnia utilis nobismet ipsis quaeramus. (Cf. Spencer, Principles of Ethics, part. 4, nn. 259 ad 267).

*d*) Vasquez qui tenuit naturam rationalem esse principium tum iuris tum officii.

Probatur A. — Ius omne procedit a lege aliqua tanquam a principio.

Arg. 1. — Ius est potestas non physica sed moralis;

atqui omnis potestas moralis procedit tanquam a principio a lege aliqua: ergo principium iuris est lex aliqua.

Ad Mai. — Assumitur ex sensu communi: et revera nullibi inter homines non barbaros aut totaliter corruptos ius cum potestate mere physica confunditur.

Ad Min. — Potestas moralis est potestas moraliter agendi seu citra reatum culpae; atqui potestas huiusmodi ab illa causa venit quae limites citra quos non datur culpa determinat, ab ea nempe causa unde provenit obligatio, scilicet a lege.

Arg. 2. — Ius in se involvit obligationem moralem super actum liberum alterius; atqui talis obligatio nequit venire nisi ex lege: ergo et ius ex lege provenit.

Ad Mai. — Quia ius est potestas inviolabilis.

Ad Min. — Iam constat ex argumento supra dato sub thesi decima quarta.

Probatur B. — Ultimatim ex lege aeterna.

Arg. 1. — Ius omne est ultimatim ab illa lege a qua homo ordinatur ad suum finem ultimum; atqui lex aeterna ea est quae hominem ita ordinat: ergo ius omne ultimatim provenit ex lege aeterna.

Ad Mai. — Nam omnis potestas moralis est in ordine ad agendum moraliter, in ordine igitur ad finem ultimum efficiendum et ad finem ultimum obtinendum, utrumque prout a Deo intentum: secundum illum enim finem totus constituitur moralis ordo.

Ad Min. — Lex enim aeterna est ratio rerum gubernandarum.

Arg. 2. — Omne ius est aut iurisdictionis aut proprietatis; atqui omnis iurisdictio et proprietas humana, utpote participata, ab illius lege ultimatim venit qui iurisdictionem et proprietatem absolutam habet, nempe Deus: ergo omne ius ultimatim venit a Deo, et quum a

lege, ut in prima parte probata, necessario a lege Dei et quidem ab illa lege Dei in quo omnis lex continetur, scilicet a lege aeterna.

Arg. 3. — Iura omnia humana sunt aut congenita aut acquisita; atqui acquisita obtinentur nonnisi exercitio congenitorum, congenita autem sunt, nonnisi a Creatore Deo: ergo omnia iura humana sunt ultimatim a Deo, et proinde a lege aeterna, ut supra.

Ad Min. — Iura congenita consequuntur naturam et proinde ab Illo sunt a quo est natura; natura autem humana ultimatim est a Deo: ergo et iura omnia congenita sunt necessario a Deo ultimatim.

*Corollarium 1.* — Iura humana non sunt a natura rationali tanquam a causa sive proxima sive ultima. Rationalis quidem natura est fundamentum propter quod iura conceduntur lege aeterna, et ex tendentiis illius naturae, sicuti iudicare possumus nostrum finem ultimum et proximos nostros fines naturales, possumus etiam, dignoscendo media necessaria vel connaturaliter proportionata ad illos, diiudicare quaenam sint iura nobis lege aeterna concessa.

*Corollarium 2.* — Neque est lex civilis sola, neque ultima causa iurium humanorum. Quaedam quidem iura proxime conceduntur lege civili; sed etiam haec ultimatim proveniunt ex lege aeterna, cuius tandem aliquando lex civilis, quando est iusta (et tunc solum lex est), est participatio.

*Scholion 1.* — Iniuria per se nequit ius tollere aut legem superare: per accidens autem, destruendo aut subiectum iuris aut materiam eius, consequenter iura tollit sive respectu illius subiecti sive respectu materiae illius; attamen obligationem exinde homo contrahit iacturam ita effectam aliquomodo secundum iustitiam reparandi.

Item potest homo vi et iniuria exercitium iuris in altero impedire, sed stat semper obligatio impedimentum removendi et iacturam ex impedimento provenientem reparandi.

*Scholion 2.* — Per se constat officium etiam provenire a lege tanquam a principio, quum officium essentialiter dicat debitum et obligationem, quae a sola lege provenire potest; pariter ultimatim est a lege aeterna, unde est in ultima sua analysi omnis obligatio.

*Scholion 3.* — Quaeritur an ius et officium sint simul natura et cognitione.

℟. *a*) Prius ad quodlibet ius est officium in eodem subiecto sive generale sive speciale, quia ius est ultimatim potestas a lege aeterna concessa propter finem ultimum efficiendum et propter alios fines in ordine ad illum; prius enim natura est ordinare hominem ad finem et ipsum ad illum efficiendum obligare quam dare potestates *morales;* seu prius est statuere ordinem moralem, quod fit per ordinationem et obligationem hominis ad finem ultimum, quam concedere potestates in illo ordine. Antecedenter autem ad omne officium humanum stat ius supremum Dei ad suam gloriam externam et ad omnem suam creaturam omnemque eius actionem in ordine ad illam gloriam.

*b*) Si agatur de iure et officio in quantum in concreto correlativa, i. e. de iure in uno et de officio respondente in altero ad illud ius, quaestio de prioritate disputatur: sed videtur quod prius natura sit ius, siquidem est potestas, quam eius proprietas, inviolabilitas nempe, quae est fundamentum respondentis officii; exigentia enim quae est fundamentum obligationis videtur esse natura prius quam ipsa obligatio.

**THESIS XXIX. — Dantur iura naturalia, talia nempe quae procedant ab ipsa lege naturali antecedenter ad omnem legem positivam.**

Cf. Ferretti, Thes. LXX.

*St. Qu.* — Statuimus ius omne provenire ex lege aeterna: statim deinde movetur quaestio per qualem legis aeternae participationem hominibus iura descendant, utrum etiam per legem naturalem et quidem immediate, an per solam positivam et nominatim civilem. Nos dum admittamus plurima iura venire ex lege positiva et quidem ex lege civili, asserimus tamen in thesi aliqua dari iura quae immediate a lege naturali descendant: de his naturalibus admittimus aliqua esse imperfecta, sed insistimus aliqua etiam esse perfecta.

Contra thesim sunt Positivistae Iuridici: negant enim ulla iura provenire ex lege naturali sed omnia asserunt procedere ex positivo aliquo facto, sicut v. g. ex lege civili, ex consuetudine, ex pacto, etc. Horum diversae scholae sunt.

I. Positivistae Morales, negantes intrinsecam differentiam inter bonum et malum, omnes indifferenter negant verum dari ius ex lege naturali: ita etiam antiquitus Epicurei fundabant ius omne in ratione voluptatis quae invenitur in actione vel in re quae est materia iuris.

II. Hobbes, Bentham ceterique Utilitarii docuerunt iura hominis in statu praesenti, i. e. in sociali statu vitae humanae, omnia provenire nonnisi ex lege civili. Hobbes quidem tenebat ius humanum extitisse in statu naturae, i. e. in statu in quo homines vivebant antequam in com-

munitatem ullam socialem coaluissent, sed ius tale nihil aliud esse quam superiorem vim physicam in uno homine prae aliis: subsequentes autem Utilitarii potius admiserunt illam vim physicam non esse verum ius, et proinde nullum ius humanum docuerunt extitisse ante efformationem societatis civilis, ex cuius lege ius omne provenire insistunt.

III. Rousseau omnium iurium fontem posuit in pacto illo inter homines libere facto, ex quo solo secundum suam theoriam societas civilis ortum suum iuridicum habuerit.

IV. De Savigny ceterique ex scholis historicis iuris humani originem in facto aliquo historico quaesierunt, sive illud sit lex publica sive consuetudo praevalens: unde secundum eorum doctrinam antecedenter ad consuetudinem acceptatam et omnem legem publicam ea quae iura dicuntur non sunt sensu stricto iura, sed potius principia seu formulae iurium quae postea consuetudine aut publica lege in iura vera constituuntur; evolvuntur talia iuria, aiunt, inter homines simul coalescentes in communitatem, sicuti evolvitur linqua seu oratio qua tales homines mutuo colloquuntur.

Probatur. — Arg. 1. Lex naturalis homini positive permittit quaedam facere, exigere et retinere, simulque prohibet ne quis alterum impediat respectu illius permissionis; atqui positiva legis permissio aliquid faciendi, exigendi aut retinendi cum correlativa legis obligatione super alios ne permissionem illam impediant est ius: ergo immediate ex lege naturali quaedam dantur hominibus iura.

Ad Mai. — Ex sensu communi et rationis dictamine simul constat homines secundum necessitatem rationabiliter vivendi habere talem permissionem, quae qui-

dem vana esset nisi prohibitio contra impedimentum aliorum simul adesset. Ratio quidem humana dictat ad nostram personalitatem pertinere nostras potentias physicas ut iis utamur in ordine ad nostram naturam rationalem qua talem perficiendam: illae autem potentiae vanae essent nisi alia quaedam quae extra nos sunt etiam ad nos moraliter pertinere possent: ex alia parte ratio nobis dictat nos obsequium aliis debere respectu eorum potentiarum, unde nobis constat eos etiam nobis debere parile obsequium.

Arg. 2. — Lex quae ad finem ens rationale ordinat, media omnia quae ad finem de natura sua necessaria sunt ipsi etiam concedit; atqui lex naturalis ad finem hominem ordinat, et potestates ab aliis inviolabiles quaedam faciendi, exigendi et retinendi sunt ad hominis finem media ex natura sua necessaria: ergo lex naturalis homini illas potestates seu iura concedit.

Ad Min. — Secus enim nonnisi physice potentiores et violenti habere possent ea quae necessaria ad vitam sunt et ad familiam, commoda materialia et opportunitates ad bona intellectualia; nemo autem pace gaudere posset. Neque evacuatur argumenti vis respondendo homines ea omnia habere posse ex pacto, ex consuetudine vel ex lege civili; nam homo respectu eorum quae necessaria sunt ad suum finem connaturalem a voluntate alterius absolute pendere nequit; natura quidem, finis naturae et media naturalia ad finem sunt omnia in homine priora libero alterius hominis consensu.

Arg. 3. — Lex naturalis homini plures obligationes imponit, quod facere nequit quin potestates ad earum impletionem necessarias simul concedat; atqui inter potestates ita necessarias sunt iura: ergo lex naturalis homini iura concedit.

Ad Mai. — Primum, quia secus lex naturalis lex nulla esset. Secundum, quia ubi potentia obligationem implendi deest, ipsa obligatio imponi nequit.

Ad Min. — Implere legem est actus moralis, ad actum moralem requiritur potestas moralis, et quidem inviolabilis, quia vana est potentia moralis nisi sit expedita, qualis non est nisi sit inter ambitum arbitrii nostri secura. Potestas autem moralis quae inviolabilis est constituit ius.

*Confirmatur.* — Nullum est solidum fundamentum iurium ex lege civili provenientium nisi prius detur aliquod ius naturale. Etenim unde venit potestas humana positiva aliquibus quaedam permittendi aliosque respectu eorumdem prohibendi? Aut a lege naturali aut a lege positiva divina: non autem alterum, quia natura in necessariis sibi sufficere debet antecedenter (saltem per se) ad revelationem sine qua cognosci nequit actio legis positivae divinae: quod si primum dicatur, tunc admittitur ius aliquod immediate ex lege naturali proveniens.

*Corollarium.* — Ubi et unde dantur iura naturalia, dantur etiam naturalia officia in aliis respectu eorum: quodsi ex lege naturali exstant tum iura tum officia, tunc existit *ordo iustitiae naturalis,* qui nihil aliud est quam complexus eorum quae inter homines ad invicem debentur secundum aequalitatem ex lege naturali. Immo, quum officia illa, quae in aliquibus iura in aliis consequantur, sint officia iuridica, officia nempe exigentiam iuris in aliis connotantia, et quum aliqua ex iuribus naturalibus sunt necessario perfecta, procedentia nempe secundum aequalitatem iustitiae commutativae, necessario exstat *ordo iuridicus naturalis* qui non est nisi complexus legis naturalis, iurium perfectorum et officiorum iuridicorum.

*Scholion 1.* — Radix aequalitatis et mutuae dependentiae inter homines illud est in quo omnes conveniunt, nempe natura rationalis eiusque dignitas ratione subordinationis immediatae ad Causam Primam et destinationis ad eumdem finem ultimum. Secundum mensuram igitur huius aequalitatis erunt in omnibus prorsus hominibus quaedam iura eadem et quaedam officia communia ex lege naturali: iura illa aderunt a principio existentiae uniuscuiusque et sunt iura congenita; officia autem incipient quando obligationis capax est homo, adepto scilicet rationis usu, et quando ceteroquin capax est eos edendi actus qui sunt materia illorum officiorum communium.

*Scholion 2.* — Criterion in genere existentiae iuris et officii est quaerendum in principio eorum et titulo. Respectu iurium et officiorum positivorum principium est lex positiva et titulus illud factum cuius intuitu lex illa ius tribuit et officium imponit. Respectu iurium et officiorum naturalium principium est lex naturalis; titulus congenitorum iurium natura rationalis existens, acquisitorum naturalium proportionatum factum humanae activitatis; quum vero proximum criterion obiectivum legis naturalis invenitur in aptitudinibus, tendentiis et exigentiis naturae rationalis qua talis secundum suas relationes ad Deum et creaturas, exinde etiam iura et officia naturalia proxime eruere possumus.

*Scholion 3.* — Actiones intrinsece bonae et malae sub lege naturali cadunt; unde ex lege illa prout praecipiente vel permissiva actiones omnes intrinsece bonas ius ponendi per se habemus: ex lege illa prout prohibitiva omnes actiones intrinsece malas omittendi officium simpliciter et absolute habemus; insuper ex lege illa prout praeceptiva omnes actiones intrinsece bonas et simul necessarias ad finem humanae vitae ponendi officium

habemus. Actiones humanae, quae non sunt simul intrinsece bonae et ad illum finem necessariae neque sunt malae intrinsece, non cadunt sub lege naturali sed restringuntur ad legem positivam: ex lege positiva igitur omnes tales actiones ea lege praeceptas ius et officium habemus ponendi, et actiones eadem lege prohibitas omittendi; actiones tales, lege positiva commendatas vel permissas, ponendi ius habemus sed non officium, et quidem sive positive permittuntur sive negative, sed aliter et aliter. Si lex positiva actiones non intrinsece malas positive permittit, ex eadem lege positiva eas ponendi ius habemus; quod si tantum negative lex positiva eas permittit ius eas ponendi habemus non ex lege positiva sed ex lege naturali: non ex positiva, quia ius est permissio positiva, quae in supposito lege positiva non datur; sed ex lege naturali, quia lex naturalis omnem actionem non intrinsece malam neque lege naturali neque lege positiva prohibitam ponere nobis positive permittit, quae permissio positiva ius constituit.

*Ad Difficultates.* — Notanda. 1. Ius quidem indeterminatum est ius nullum; at non omnia iura naturalia sunt indeterminata, sed tantum aliqua et haec quidem non simpliciter sed secundum quid, et in hoc ultimo tantum elemento exigunt determinationem lege civili faciendam.

2. Finis iuris est relationes inter individuos homines determinare sed non solummodo neque totaliter: finis etiam legis civilis est determinare relationes inter homines individuos, at non omnes illas relationes, quia quaedam iam determinantur lege naturali, sed aliquas quae nondum sufficienter clare et definite lege naturali determinantur, et alias quasdam utpote respicientes hominem in sua ratione civili.

3. Ius vere habetur etiam quando eius inviolabilitas

est tantum moralis: postulat ut habeat etiam coactionem physicam ad inviolabilitatem moralem assecurandam, quae coactio communiter exercetur in societate civili non ab homine ipso sed ab auctoritate civili: extra societatem civilem coactio ab individuo exerceri potest, sed etiam si inefficax est, non deinde derogatur de ratione essentiali iuris.

4. Eo quod coactivitas pertinet ad ius, non ideo ius reducitur ad superiorem vim physicam, nisi forte interdum in quantum ad exercitium eius; manet enim semper moralis potestas cum inviolabilitate morali, etiam si per accidens physice violatur.

5. Iura congenita vere sunt in infantibus et amentibus, etiamsi per accidens de facto eorum exercitium suspenditur; manet semper potentia (saltem remota et in actu primo) ea exercendi.

6. Est disparitas inter ius et officium; ius dicit tantum potestatem moralem et proinde subaudit tantum proprietatem libertatis in voluntate, quae quidem invenitur etiam in infantibus et amentibus; officium autem est obligatio quae subaudit libertatem expeditam ad actum, unde ubi haec deest, sicut in infantibus et dementibus, non adest officium.

7. Homo existens in utero et proinde nondum natus iura habet in quantum natura humana et persona est: filius possibilis sed nondum conceptus nequit proprie dici iura habere, licet pater potest conditionare suam dispositionem bonorum conditione filii generandi.

8. Ratio cur iudices civiles non recurrant in suis sententiis ad iura naturalia non est quia censent talia non exstare iura, sed quia auctoritas ipsis data interdum lege civili limitatur ad lites solum secundum iura civilia solvendas.

## Articulus III.

### De Iuris Coactivitate.

**THESIS XXX. — Ius coactivitate gaudet tum ad sui defensionem tum ad iniuriae reparationem.**

Cf. D. Thom., 2, 2, q. 108, a. 1; Ferretti, thes. LXXIV.

*St. Qu.* — Inviolabilitas, quae est de definitione et essentia iuris, exigentia moralis est erga alios ne impediatur exercitium iuris nostri; et per connaturalem extensionem secundum iustitiam est simul exigentia ut ius nostrum laesum seu violatum reparetur. Multiplici quidem modo ius nostrum violari ab aliis potest. Alter enim rem ad nos pertinentem auferre potest; rem, actionem vel actionis omissionem iure nostro exactam recusare; aut intervenire quominus actionem secundum ius nostrum ponemus, aut vi vel metu gravi coercere nos ad ponendam actionem cuius omissio in iure nostro est, vel demum impedire quominus eo quo nobis lubet modo rem nostram adhibeamus. His omnibus modis ius nostrum violare aliquis potest et ita nobis iniuriam inferre.

Iniuria, utpote iuris violatio, semper est contra aliquam rationem iustitiae, sed in specie, prout fundans titulum reparationis sumitur sensu presso, quando nempe offendit contra iustitiam commutativam, eam scilicet in qua plena ratio alteritatis, debiti et aequalitatis invenitur. Iniuria autem formalis esse potest aut tantum mere materialis. Formalis iniuria est iniuria culpabilis, facta nempe qua violatio scienter et volenter, uno verbo violatio quae qua talis est actus humanus: iniuria tantum materialis habetur quando est inculpabilis, quando qua iuris violatio

non est actus humanus, sicut e. g. violatio facta a demente aut alio usum rationis non habente, aut ab invincibiliter ignorante. In thesi agitur de iniuria formali: de iniuria materiali recurret quaestio infra in materia vitae humanae atque honoris et famae: in aliis materiis solutio utpote multiplicem distinctionem requirens casuistis relinquitur.

Iniuria considerari potest *in fieri*, in actu nempe ius violare conantis, aut *in facto esse*, iniuria scilicet iam patrata: in priore thesis parte agitur de iniuria in fieri, in altera de iniuria in facto esse.

Iniuriam inferens duplicem aequalitatis ordinem perturbat, ordinem inter se ipsum et communitatem secundum legem communitatis, qui est ordo iustitiae legalis, et inter se et personam cuius ius violatur, et hic, in casu nostro iniuriae presse sumptae, est ordo iustitiae commutativae. In thesi nulla est quaestio de turbatione prioris ordinis, quia cura eius pertinet non ad individuum sed ad auctoritatem publicam. In quantum autem ad alterum ordinem duplex malum facere potest iniuriam inferens, offensam personalem nempe contra individuum et damnum eius. Offensa est contra aequalitatem eius dignitatis quatenus illa prae alia deprimatur; damnum est demptum aliquod bonum quod ad alterum pertinebat: hoc quidem est aliquid separabile ab illo, non autem inseparabile sicut eius dignitas vel excellentia: in quantum ad reparationem in thesi agimus de damno tantum, siquidem dignitas illa, quum non auferatur, non stat in via ad restitutionem.

Reparatio in genere est compensatio iniuriae, seu restauratio ordinis aequalitatis alteri reddendo id quo reddito stat iterum aequalitas quae per iniuriam erat turbata. Distinguitur in satisfactionem et restitutionem: satisfactio est compensatio offensae personalis, de qua non agitur in

thesi; restitutio est compensatio damni per iniuriam illati, et de hac est nostra quaestio. Ratio cur eliminetur satisfactio est quia in hac re nihil potest fieri nisi exigere postulationem veniae aut imponere mulctam: talis autem mulcta habet rationem vindictae personalis. Attamen velle malum alteri ob se ipsum semper lege naturali prohibetur, etiam si alter ille iniuriam nobis fecerit; imponere malum ipsi ne offensam repetet sicut et ad compensationem aequalitatis pertinet potius ad auctoritatem publicam, quia ut homo offensus sit testis simul et iudex et sententiae exsecutor in sua propria causa ad malum offendenti imponendum est aliquid, considerata natura humana prouti est, nimis periculosum securitati iustitiae ut lege naturali permittatur.

Deinde defensio iuris sonat praeventionem ne iniuria in fieri transeat in iniuriam in facto esse. Reparatio iuris est restitutio rei (sive rei ipsius sive alterius rei ipsi aequivalentis) quae demitur in damno facto per iniuriam presse et formaliter sumptam.

Coactivitas est potestas moralis (seu ius) alterum per vim physicam coercendi ad inviolabilitatem alicuius iuris observandam: in concreto sonat ius alterum per media physica coercendi ne iniuriam presse dictam et formalem inferat, aut, si iam inferatur, ad restituendum secundum iustitiam commutativam pro damno inflicto. Coactio est exercitium huius potestatis. Ut coactio iuste exerceatur, duae requiruntur conditiones; primo, ut necessaria sit, i. e. ut sine ea alter ab iniuria infligenda se non refrenet, aut inflictam non reparet; secundo, ut vis physica adhibita non sit ultra proportionem necessitatis ad iuris defensionem aut reparationem. Statim autem exsurgit quaestio utrum in applicatione physicae vis liceat damnum aliquod alteri infligere. Respondetur per se non licere;

per accidens vero licere; hoc alterum debemus in thesis argumento probare. Hoc autem damnum non debet esse ultra omnem proportionem ad bonum conservandum in iuris defensione aut recuperandum in eius reparatione; unde certo non licet, e. g., hominem gallinas furantem occidere.

Respectu huius per accidens damni quaeritur quomodo infligenti liceat illud velle. Certum est ei id intendere ut finem non licere. Utrum liceat ei id eligere ut medium inter auctores disputatur, praesertim quando agitur de vita iniusti aggressoris sumenda, de qua postea; sed quum interdum sit obiective medium connaturaliter necessarium ad inviolabilitatem iuris actuandam, ratio nulla valida apparet cur eligere illud damnum ut medium non liceat.

Coactivitas per se exercenda est non ab individuo sed a publica auctoritate, penes quem est ordinem iuridicum socialem conservare; secus enim essent inter cives rixae, violentia et per errorem et excessum iniustitia. Per accidens vero, quando deficit auctoritas publica, sive in genere propter ineptitudinem vel negligentiam, sive in casu particulari propter defectum temporis et opportunitatis ad interventum auctoritatis invocandum, tunc, quum coactivitas non sit mere ius ad invocandum auctoritatis interventum sed vera potestas moralis coercendi, quae ad ipsum pertinent cuius ius in periculo est, exercitium coactivitatis ad ipsum individuum respicit.

Probanda sunt tria: *a*) Ius ad sui defensionem coactivitate gaudet.

*b*) Ius ad sui reparationem coactivitate gaudet.

*c*) In utroque casu etiam cum inflictione damni necessarii et proportionati.

Probatur A. — Ad iuris defensionem.

Arg. 1. — Illa potestas moralis pertinet ad ius, sine qua iuris inviolabilitas in hac vita communiter vana esset; atqui sine coactivitate ad iuris defensionem inviolabilitas iuris in hac vita communiter vana esset: ergo coactivitas in iuris defensione ad ius pertinet.

Ad Mai. — Ius lege naturali conceditur ad aliquem effectum in hac vita obtinendum, si non semper, saltem communiter; secus enim in ordine ad illum effectum lex non minus quam ius esset inefficax.

Ad Min. — Homines liberi sunt, et licet non universaliter malitiosi, sunt tamen in vitae certamine assertores sui et communiter proni ad vitae bona sibi vindicanda quo meliore possint modo.

Arg. 2. — Illud ad ius humanum pertinet sine quo pax et quies inter homines vix possibilis esset; atqui sine coactivitate iuris pax et quies inter homines vix esset possibilis: ergo.....

Ad Mai. — Certo lex naturalis per iura concessa et officia imposita conditionem intendit inter homines non belli et turbulentiae sed pacis et quietis.

Ad Min. — Omnis iniustus si nulla exstaret iuris coactivitas, impune violare posset iura aliena et ita destruere pacem, atque violentiam impune exercere ita destruendo quietem. Argumentum quidem subaudit exercitium coactivitatis per se esse penes auctoritatem publicam, cuius est pacem et quietem conservare.

Arg. 3. — Illud ad ius humanum pertinet sine quo melior esset conditio iniusti violenti quam iusti et pacifici; atqui sine coactivitate iuris melior esset conditio iniusti violenti quam iusti et pacifici: ergo.....

Ad Mai. — Certo lex naturalis intendit conditionem iusti per se et communiter meliorem esse quam

iniusti, secus sanciret augmentum iniustitiae quod certo sequeretur.

Ad Min. — Iniusti enim violenti omnia fere vitae bona a iustis impune deriperent.

Probatur B. — Ad iuris reparationem.

Arg. 1. — Lex intendit quemlibet quod suum est habere; atqui nisi ius coactivitatem ad sui reparationem haberet, lex non ita intenderet: ergo ius ad sui reparationem coactivitate gaudet.

Ad Mai. — Lex enim necessario intendit ordinem iustitiae conservare.

Ad Min. — Si iniuriam faciens iniuriam non vellet sine coactione reparare, quale est suppositum ut licita sit coactio, tunc dominus nisi coactione recuperet, suum habere nequit.

Arg. 2. — Qui ad rem alienatam ius habet, potestatem moralem etiam habet ad medium prorsus necessarium eam recuperandi, dummodo usus illius medii ius nullius violet; atqui in casu nostro coactio est medium prorsus necessarium rem alienatam recuperandi et eius usus ius nullius violat: ergo qui ius ad rem alienatam habet, potestatem moralem coactionis etiam habet.

Ad Mai. — Qui ius ad finem habet, ius etiam habet ad omne medium fini necessarium, dum usus talis medii ceteroquin non sit malus et non prohibeatur; quod si ius nullius violat neque malus est neque prohibetur.

Ad Min. — Supponitur in thesi, quod coactio sit necessaria. Ius autem nullius in casu violatur, siquidem vi physica rem tollere ab alio ius non violat nisi in quantum res illius est; at in casu non est illius sed auferentis.

Probatur C. — Ad inflictionem damni necessarii et proportionati.

Arg. 1. — Homini licet illud sine quo vix possibile est exercitium coactivitatis sive ad iuris defensionem sive ad eius reparationem; atqui sine damni inflictione vix possibile est exercitium coactivitatis; ergo homini licet damnum alteri infligere in exercitio coactivitatis ad iuris defensionem contra illius iniuriam, vel ad eiusdem reparationem.

Ad Mai. — Absurdum est legem potestatem concedere cuius exercitium vix sit possibile.

Ad Min. — Qui iniuriam inferre conatur aut iam intulerit et obligationi cessandi aut reparandi non cedit, fere semper coactioni physice resistet; superare autem resistentiam fere impossibile est sine alicuius damni inflictione.

Arg. 2. — Ex vi colluctantium aut unum aut alterum necessario damnum patietur; atqui in tali dilemmate lex certo intendit iuris violatorem pati prae iuris sui defensore: ergo lex concedit cogenti defensori sui iuris violatori damnum infligendi.

Ad Mai. — Iam probavimus ius cogendi: quando hoc ius exercetur, statim in ordinariis contingentibus exsurgit resistentia et deinde colluctatio; quod si non oriatur resistentia, sumus extra quaestionem, quia non asserimus ius damni infligendi nisi in casu necessitatis.

Ad Min. — Secus lex favendo violatori complex esset iniustitiae ab illo patratae.

Confirmatur tota thesis ex constanti, uniformi et universali consensu hominum, praesertim legis latorum, iuris peritorum et moralistarum.

*Ad Difficultates.* — Notanda. 1. Licet non detur ius ubi per se exercitium iuris non invenitur quando homo consideratur secundum unam solam sui relationem, non est ita quando consideratur secundum aliam sui relatio-

nem essentialem secundum quam exigitur ut exercitium eius iuris per se et ordinarie restringatur ad alium. Homo est essentialiter socialis; antecedenter ad illam rationem quaedam iura habent et haec ut efficacia sint requirunt ius coactivitatis; sed consequenter ad illam rationem socialem tenetur reponere exercitium illius iuris ad potestatem publicam. Societas officium habet protegendi non tantum sua iura socialia sed etiam iura personalia suorum membrorum et ex hoc suo essentiali officio sibi necessario vindicat respectu horum exercitium illius coactivitatis, quae sua propria non est, quia iura illa sua non sunt, sed quae individui est cuius iura illa personalia sunt.

2. Antecedenter ad societatem civilem coactivitas individui potest esse inefficax; sed hoc per accidens est, quum homo per se tenetur ad societatem civilem ingrediendum in qua per exercitium publicum coactivitas individui per se efficax est: iam vero nonnisi illa potestas nulla est cuius exercitium per se inefficax est, non illa cuius exercitium per accidens tale est.

3. Non reducitur ius ad potentiorem vim physicam per coactivitatem, quia semper manet et urget obligatio moralis etiam quando per accidens inefficax est coactivitas.

4. Damnum necessario infligendum reluctanti iuris violatori non est indebitum, quia reluctatio illa evacuat ius reluctantis ad exclusionem illius damni: unde non invalida est coactivitas neque eius exercitium ratione illius damni, utpote in casu non contra debitum.

5. Societas exercendo coactivitatem gratia iuris privati operatur quidem proxime ad bonum particulare, sed simul remote etiam ad bonum commune, quod sufficit ut exercitium sit intra limites suae activitatis iuridicae.

6. Reparatio non agit ut factum infectum fiat, sed ut per aliam actionem, per rem ipsam alienatam vel per rem aequivalentem, ordo iustitiae commutativae restituatur; unde non est vanum ius ad reparationem, quasi ex hoc quod factum infectum fieri nequit.

7. Coactivitas datur propter inviolabilitatem iuris, inviolabilitas propter ius, sed non vice versa; unde non ruit ius ubi per accidens nulla datur possibilitas reparationis, sicut rueret, si ius daretur propter inviolabilitatem et inviolabilitas propter coactivitatem.

## Articulus IV.

### De Iuris Limite.

Limes iuris sensu lato est quaevis restrictio potestatis moralis, quae est ius, ad determinatam extensionem. Unde in genere limitatum est ius quando se non extendit ad quamlibet materiam, aut quando non quovis facto sed facto aliquo determinato et non alio fundatur ius, aut quando terminus eius non est quaevis persona.

Limes iuris sensu presso stat in eo quod exercitium potestatis illius restringitur ita ut in quibusdam determinatis adiunctis ultra exerceri non possit illa potestas, licet ceteroquin exerceri posset. Haec limitatio oritur interdum ex officio aliquo ethico, in quo casu qui ius habet id exercere nequit citra culpam; sed non deinde sequitur homini, qui terminus sit iuris, licere tali usui se opponere, quamvis liceat suam cooperationem negare. Interdum oriri potest restrictio ex officio iuridico, et in hoc casu in homine qui est terminus officii deficit obligatio deferendi alteri qui simul est subiectum iuris et officii; immo in illo termino officii est ius resistendi alteri cuius ius per illud officium limitatur. Unde, stante originali iure, usus eius, qui hic et nunc excluditur quia esset contra iustitiam, secum trahit nullam obligationem deferentiae a termino iuris et exponitur resistentiae seu coactivitati illius cuius ius violaretur per talem usum: uno verbo amittit respectu talis exercitii suam inviolabilitatem. Limes, qui oritur ex officio ethico vel ex alia obligatione cuius violatio non est contra iustitiam, dici

potest limes ethicus, dum limes oriens ex iustitia denominari licet limes iuridicus.

Interdum totaliter exstinguitur seu nullum redditur ius, quando nempe tota potestas iuris demitur: quod fit aut positive sive a lege a qua fuerit concessum; ita quidem accidit quando ius conceditur usquedum revocetur et iam revocatur vel quando alienatur ab ipso possidente: aut negative per deficientiam alicuius elementi necessarii ad eius persistentiam, sicut quando eius materia iam cessaverit existere, aut titulus eius destruitur, aut in genere quando finis ob quem lex ius concesserit iam cessaverit esse finis, seu ad bonum commune, perpetuo et generaliter.

**THESIS XXXI. — Iura humana limitantur a lege unde proveniunt.**

Cf. Ferretti, thes. LXXII.

*St. Qu.* — Non agitur in thesi de limite sensu lato sed sensu presso. Per se evidens enim est, primo ius in concreto ex natura rei limitari ad determinatum subiectum et propter determinatum fundamentum, et ex finita ratione naturae humanae limitari in extensione materiae, quia solum ens infinitum et illimitatum potest habere potestatem etiam moralem illimitatam et quoad omnes res actuales et possibiles; atque insuper ius humanum utpote sit participatum a Deo non posse habere participationem illimitatam seu ultra quam dari non potest potestas, siquidem infinitum nequeat ita participari ut ultra de ipso participari non possit.

Quaestio igitur est de limite presse dicto, quia de hac limitatione incidit interdum negatio saltem practica.

Thesis se extendit ad iura tum naturalia tum positiva. Quando autem dicimus limites eorum provenire ex eadem lege unde ipsa iura proveniunt, agitur de limitatione facta ab initio nempe in originali concessione; etenim subsequenter possunt iura aliqua naturalia limitari quoad exercitium secundum exigentias boni communis socialis a lege positiva, sicut et etiam lex naturalis determinat limites potestatis positivae humanae et proinde indirecte limitat iura concedenda ab ea potestate. Deinde exigentiae boni communis in illo ordine in quo est ius exercent influxum limitationis; in re legis naturalis, quia Deus necessitatur necessitate consequenti concedere iura secundum exigentias illius finis communis quem ipse elegit ex sua creatione habendum: in re legis positivae, potestas moralis concessa contra exigentias boni communis est iniusta et proinde nulla, non obstante lege, utpote lex in casu non habet potestatem concedendi: attamen etiam si sit ius aliquod intra exigentias boni communis, lex positiva utpote libera, potest valide ad lubitum intra limites iustitiae ampliorem aut restrictiorem potestatem moralem iuris civilis suis civibus concedere.

Probatur. — Arg. Potestas quae conceditur ab ente libero limitatur secundum necessarios et liberos limites concessionis; atqui ius est potestas concessa ab ente libero (legis latore scilicet) et eius concessio habetur in lege: ergo ius limitatur secundum necessarios et liberos limites legis.

Ad Mai. — Ens liberum limitatur in sua concessione secundum limites primo suae potestatis, et secundo secundum limites a libero suo actu impositos.

Ad Min. — Ius conceditur lege et deinde a legislatore: potestas legislatoris limitatur secundum bonum commune legis, et intra limites huius potestatis, si non

est quaestio de lege naturali (quae est necessaria) sed de lege positiva (quae est libere posita) potest legis lator ad lubitum suum concedere plus aut minus potestatis prouti iudicet opportunum.

**THESIS XXXII. — In collisione iurium vera « iurium » contradictio non datur: in contradictione quae apparet praevalet ius potius; ratio potioris iuris pendet a potestate et voluntate legis latoris, quae in defectu authenticae declarationis diiudicanda sunt ex comparatis rationibus principii, finis, materiae, subiecti, tituli et termini in utroque collidente iure.**

Cf. Ferretti, thes. LXXIII.

*St. Qu.* — Collisio iurium habetur quando duorum utrumque ex oppositione sua simul exerceri non possunt: ius enim est potestas, potestas autem unius non collidit cum potestate alterius, nisi in exercitio suo: oppositio habetur quando datur in uno ius ad rem retinendam vel exigendam, ad actionem ponendam vel exigendam, dum in altero exstat ius respective ad rem eamdem exigendam vel retinendam, ad eiusdem actionis omissionem exigendam vel ad actionem illam omittendam.

Vera iurium contradictio datur quando circa eamdem rem aut actionem utrumque ius quatenus in oppositione persistit etiam quoad iuris exercitium. Apparens habetur contradictio quando utrumque ius in oppositione persistere videtur etiam quoad sui exercitium, licet de facto unum ius saltem quoad exercitium deficiat, altero persistente. Triplex dari potest talis apparentia. Primo, quando ex duobus iuribus unum nunquam fuit verum ius sed solum asseritur in casu: secundo, quando licet utrumque

fuerit ius verum, unum iam fuit exstinctum: tertio, quando stante utroque iure tanquam vera potestate, unum tamen hic et nunc quoad exercitium suspenditur. De prioribus duobus casibus non tanta est difficultas solutionis; sed de tertio seria est difficultas et propterea de hoc tertio casu agitur in thesi.

Ius potius illud ius ex duobus est quod firmiorem habet rationem existendi: unde in impossibilitate persistentiae simul utriusque illud perseverabit. Praevalentia iuris in thesi refertur ad talem perseverantiam cum cessatione alterius iuris saltem quoad exercitium.

Dependentia huius rationis persistivae dicitur in thesi esse de potestate et voluntate legis latoris hoc sensu, nempe si utrumque ius proveniat ex eodem legis latore, illud ius cedet quod ipse cedere volet dummodo maneat eius potestas in utroque casu: quod si deficiat in uno casu legis latoris potestas, eo quod exercitium unius iuris in casu esset contra bonum commune persistentia alterius prae illo pendebit ex potestate: demum si unum ius proveniat ex uno legis latore, alterum autem ex alio superiore, stante utraque potestate, persistentia pendebit ex voluntate superioris, qua in casu evacuabitur potestas inferior.

Quoad applicationem elementorum ad dignoscendam potestatem et voluntatem legis latoris in casu ponimus regulas sequentes.

Ratione principii (ceteris paribus) quo altior est auctoritas legis latoris eo potius est ius: ita ius naturale aut divino-positivum prae iure humano-positivo.

Ratione finis (ceteris paribus) quo altior est finis a lege intentus eo potius ius: ita ius ad media necessaria ad beatitudinem aeternam prae iure ad media necessaria ad beatitudinem temporalem.

Ratione materiae (ceteris paribus) quo praestantior et simul homini necessaria materia est i. e. quo altior est valor materiae tanquam bonum humanum eo potius ius est: ita ius ad vitam prae iure ad meram pecuniam.

Ratione subiecti (ceteris paribus) quo altior est dignitas subiecti eo potius eius ius erit: ita ius Dei prae iure hominis, ius communitatis prae iure individui, ius patris prae iure filii.

Ratione tituli (ceteris paribus) quo firmior titulus eo potius ius: ita ius inalienabile prae iure alienabili, ius naturale congenitum prae iure naturali acquisito: hoc autem criterion interdum per accidens fallit; ita potest interdum ius praescriptionis esse potius prae iure haereditatis, licet titulus huius, filiatio e. g., sit firmor quam titulus praescriptionis, nempe diuturna occupatio fide bona incepta et continuata.

Ratione termini (ceteris paribus) quo demissior est dignitas termini et expeditior eius potestas obligationem implendi eo potius est ius: ita ius viduae pauperis ad sustentationem domesticam cum filio suo prae iure eius ad eamdem cum patre suo, praesertim quando filius magis capax est quam alter illius sustentationis.

Notandum tamen est conditionem « ceteris paribus » raro verificari; proinde saepius complexa et difficilis est solutio potioris iuris: immo et interdum prorsus insolubilis ex supra datis principiis res est et tunc recursus habendus est ad tribunal ubi res solvetur per authenticam declarationem mentis legis latoris, quae declaratio saepius est extensio illius mentis et legis sed facta secundum veram auctoritatem tribunali ad hoc concessam. Unde nonnisi in defectu talis declarationis recursum habemus ad elementa in thesi enumerata tanquam criteria iuris potioris.

Probatur A. — Vera contradictio iurium non datur.

Arg. — Vera contradictio iurium subaudiret saltem ultimatim legem validam esse dum contradictoria iubentem; atqui lex contradictoria iubens est eousque lex nulla; ergo non datur vera iurium contradictio.

Ad Mai. — Iura veniunt nonnisi ex lege; duo iura vera contradictoria si ex eadem proxima lege venirent subaudirent mandata contradictoria in illa lege; quod si ex diversis legibus provenirent, subaudirent mandata contradictoria in lege aeterna unde ultimatim veniunt omnia iura et cuius participationes sunt ceterae omnes leges.

Ad Min. — Lex est ordinatio rationis, quae fieri nequit ad contradictoria; insuper lex involvit obligationem et obligatio nequit simul dari ad contradictoria.

Probatur B. — Ius potius ex contradictoriis praevalet.

Arg. — Duorum quorum unum solum persistere potest illud persistere seu praevalere opus est cuius ratio existendi firmior est; atqui ius potius est illud ius ex duobus cuius firmior est ratio existendi: ergo in apparente contradictione seu in impossibilitate utriusque iuris perseverantis saltem quoad exercitium praevalet ius potius.

Probatur C. — Ratio potioris iuris pendet a potestate et voluntate legis latoris.

Arg. — Ratio potioris iuris pendet a vi et influxu suae causae; atqui causa iuris est legis lator qua talis, cuius vis causalis est potestas eius legislativa et cuius influxus est ex voluntate sua exercita per legem: ergo ratio potioris iuris pendet ex potestate et voluntate legis latoris.

Ad Mai. — Ratio existentiae entis cuiuscunque est

vis et influxus suae causae efficientis: ratio autem potioris iuris, ut supra ostensum est stat in ratione existendi firmiore.

Ad Min. — Omne enim ius procedit a lege et ultimatim a lege aeterna.

Probatur D. — Potestas et voluntas legis latoris respectu iurium collidentium diiudicanda sunt ex comparatis rationibus enumeratis.

Arg. — Potestas legis latoris diiudicanda est ex ordine in quo exstat eius auctoritas et ex defectu boni communis; voluntas eius ex maiore bono intento tum pro communitate tum pro individuo, ex maiore exigentia sive obligationis sive meriti et ex firmitate fundamenti propter quod vult: atqui ex comparatione facta inter principia iuris, si iura sint diversi ordinis constat in quo ordine sit auctoritas quo conceditur ius; ex fine et materia constat vel defectus boni communis vel maius bonum humanum sive pro communitate sive pro individuo; ex subiecto et ex termino constat maior exigentia sive obligationis sive meriti; et ex titulo constat firmitas fundamenti propter quod ipse legislator vult ius exstare aut exerceri: ergo ex comparatis rationibus principii, finis, materiae, subiecti, termini et tituli diiudicanda sunt potestas et voluntas legis latoris.

*Scholion 1.* — Pariter de officiis non datur vera contradictio quia ultimatim eadem lex seu voluntas nequit simul obligare ad contradictoria; in apparente autem contradictione, quae habetur quando officia collidunt, praevalet officium ubi praevalet obligatio, obligatio autem praevalet secundum potestatem et voluntatem obligantis, seu legis latoris; haec vero potestas et voluntas pariter diiudicanda sunt ex comparatis rationibus principii, finis, materiae, subiecti, termini et tituli officiorum in collisione.

*Scholion 2.* — Quando urgetur in casu iurium confligentium quemque posse inviolabilitatem iuris sui coactione defendere, et inde ius potentioris coactivitatis praevalere, debemus negare suppositum utriusque inviolabilitatis persistentis, quia hoc subaudiret veram iurium contradictionem quam impossibilem esse probavimus. Pariter quando quis dicit se habere obligationem duplicem quarum utramque nequit implere et proinde arbitrium habere eligendi quamnam ex illis sequatur, iterum negandum est suppositum utriusque obligationis persistentis, quia haec esset vera officiorum contradictio, quae impossibilis est.

## CAPUT II.

## De Hominis Officii in Specie

### PROOEMIUM.

Dehinc de officiis potius quam de iuribus directe tractamus, quia moralitas proxime sequitur obligationem quae in officio invenitur: per transennam autem de iuribus aliquibus in specie agere opus erit ad claritatem officii habendam. Iam vero non de omnibus quaerere possumus hominis officiis propter defectum temporis in limitato cursu nostro; sed de iis agemus de quibus magis minusve manet controversia inter homines, et de quibus propter nostrum commercium sociale cum aliis opus est ut rationes naturales praestare possimus: alia quam plurima omittemus. Speciatim vero officia quae hypothetica dicuntur, eo quod consequuntur conditionem alicuius contingentis facti, privato studio relinquemus; enim eorum quam plurima magis minusve cum religione connectuntur: religio autem humana per factum contingens revelationis divinae iam constituitur in ordine supernaturali, de quo in theologia tum dogmatica tum morali plene et ex professo erit tractandum.

### Articulus I.

### De Hominis Officio Erga Deum

Ad Deum primum et fundamentale nostrum officium est obsequium voluntatis praestare Supremo Domino per obedientiam legi divinae exhibendam. Attamen hoc officium iam supposuimus per antecedentem tractatum: non quidem immerito, quia in theodicea probatur Deum esse Creatorem et Conservatorem nostrum et quidem essentialiter; ex tali ratione autem constat fundamentum dominii, in eo quod sumus Ipsius, necnon necessitas divinae naturae ut sibi vindicet suum dominium super nos, non tantum per potestatem suam physicam sed etiam per potestatem suam super liberos nostros actus, intacta manente physica nostra libertate, quae est potestas moralis. Insuper et nos supra probavimus Deum esse nostrum finem « cui » simpliciter ultimum et proinde nos existere gratia Ipsius seu in Ipsius bonum extrinsecum, quod iterum est fundamentum dominii; deinde naturam divinam demonstravimus necessitare Deum ad exercendum dominium per legem aeternam, quae vana esset nisi propter illud fundamentum et ex eadem necessitate nos obligaremur ad obedientiam legi praestandam. De hoc igitur iuridico et fundamentali nostro officio amplius nihil in praesens addendum censemus.

**THESIS XXXIII. — Iure naturae tenetur homo Deo Auctori suo cultum tum internum tum externum exhibere.**

Cf. D. Thom., III Dist., d. 9, q. 1: Cont. Gent. cc. 129 et 130; Ferretti, thes. LXXVI.

*St. Qu.* — Agitur in thesi de officio hominis essentiali, i. e. cuius fundamentum est ipsa essentia creata eius et non factum aliquod contingens quod existentiae illius essentiae supervenit; denominatur etiam officium absolutum quia independens ab omni hypothesi praeter existentiam hominis; demum nuncupatur officium immediatum quatenus consequens ipsam existentiam sine ullo mediante facto contingente, qui sensus parilis est cum illo iuris congeniti; congenitum enim ius immediate idem consequitur fundamentum.

Terminus huius officii dicitur in thesi esse Deus Auctor hominis ob duplicem rationem, primo ut indicetur fundamentum esse in eo quod homo creatur a Deo, et secundo ut quaestio restringatur ad legem naturalem cum praecisione a Deo hominem elevante et Redemptore, unde fundamentum duplex est officii humani in ordine supernaturali: etenim in thesi agitur de officio proveniente ex iure (i. e. ex lege) naturali, quod quidem invenitur in ordine naturali.

Cultus in genere est honor et reverentia alicui proportionata: proportio illa respicit non tantum substantiam honoris et reverentiae praestandae sed etiam modum, locum, tempora, aliaque adiuncta quae conveniant tum personae colendae tum personae colenti.

Honor est agnitio excellentiae personae alicuius; agni-

tio differt a mera cognitione in eo quod includat actum voluntatis referentis illam cognitionem alicui (ut fini « cui ») tanquam bonum eius extrinsecum. Principium cultus semper est persona, quia constat cultus actibus intellectus et voluntatis; terminus eius primarius etiam debet esse persona, quia colens actu suo sese aliquomodo alteri subordinat; quod si detur terminus secundarius, excellentia quae in hoc agnoscitur est propter eius connexionem cum termino primario, cui soli refertur agnitio tanquam bonum eius extrinsecum. Ex definitione sua constat honorem involvere aliquem amorem benevolentiae, siquidem in ipsa honorans non sibi sed alteri vult bonum.

Reverentia est agnitio superioris potestatis in alio et dignitatis (seu excellentiae ut exigentis praeferentiam prae alia vel aliis) secum coniunctum habens desiderium non displicendi alteri quatenus ob talem dignitatem amabili. Agnitio illa sicut in casu honoris involvit cognitionem et volitionem eam referendi alteri. Item desiderium illud secum trahit aliquem timorem, qualis dicatur filialis, scilicet ne alteri actibus nostris displiceamus et ita amorem eius et aestimationem erga nos amittamus.

Cultus divinus est honor et reverentia Deo proportionata. In specie est, ratione honoris, agnitio supremae in universo excellentiae utpote infinitae; ratione reverentiae, agnitio supremae potestatis a quo homo et cetera omnia creata absolute dependent in omnibus, et supremae dignitatis, excellentiae nempe praeferentialiter seu appretiative super omnia aestimandae et amandae, cum anxio desiderio ne colens Deo displiceat. Quum vero homo Deo displiceret non serviendo, reverentia divina connotat voluntatis promptitatem ad Deo serviendum, siquidem coniunctio reverentiae cum volitione non serviendi non da-

ret Deo illam agnitionem supremae potestatis quae Ipsi proportionatur.

Cultus divinus potest esse directus aut indirectus. Cultus indirectus in abstracto est honor et reverentia implicite seu virtualiter contenta in servitio praestito: in concreto est practice ipsa formalis observantia legis divinae seu Dei servitium, licet servitium in suo conceptu formali amplius pateat quam obedientia, siquidem involvit totam hominis activitatem Deo redditam. Hac observantia formali seu servitio implicite agnoscitur suprema Dei excellentia, potestas et dignitas, ob quas homo Deo servire debemus. Cultus directus est in abstracto expressus seu formalis honor et reverentia quae Deo proportionantur: in concreto constat actibus huiusmodi honoris et reverentiae. Cultus adaequatus seu, ut vulgo nominatur, practicus cultum tum directum tum indirectum includit; comprehendit igitur honorem, reverentiam et servitium Deo proportionatum. Attamen quum ex dictis in prooemio capitis constet nos Deo debere servitium, utpote sumus essentialiter servi Ipsius, sicut Ipse est essentialiter noster Dominus, in thesi agitur nonnisi de cultu directo.

Cultus divinus directus duplex est, internus nempe et externus. Cultus Dei internus est in abstracto honor et reverentia Deo proportionata internis actibus a colente reddita: in concreto est praecipue actus orationis mentalis qua mens voluntarie elevatur ad considerandum et agnoscendum supremam Dei excellentiam, potestatem et dignitatem, nostramque inferioritatem et dependentiam et necessitatem Ipsi non displicendi. Cultus Dei externus est cultus internus convenientibus actibus ad extra professus: in concreto eius actus communes sunt oratio oralis et laus, itemque ritus aliqui ceremoniales qui ex conventione fundata in natura ceremoniae sunt symbola

honoris nostri supremi et reverentiae; horum rituum primus omnium est sacrificium, quo per oblationem destructivam rerum pretiosarum aut viventium significamus agnitionem nostram Dei tanquam supremi Domini omnium rerum, vitae etiam et mortis, et tanquam Patris et Iudicis a quo pro peccatis commissis absolutione et indulgentia indigemus. Cultus hic externus exhiberi potest a persona physica, sive secreto sive palam coram aliis, aut a persona morali, qualis est societas: in priore casu cultus est individualis, sive privatus sive publicus, in altero cultus socialis. In thesi agitur de cultu individuali privato; in scholio verbum ponemus de cultu individuali publico: de cultu sociali idem argumentum valet ac pro cultu individuali, sed res pertinet ad materiam de societate.

Contra thesim certo omnes illi malitiosi sunt qui Dei existentiam negantes contra nomen Ipsius, religionem et omnes qui religionem profitentur odium habent et occasionem sumentes ex conflictu iurium Ecclesiae et civitatis, praesertim ubi diu exstiterit unio Ecclesiae et Status Civilis, Catholicos omnes, clericos et fideles, summa acerbitate persequuntur. Sed speciatim contra thesim sunt:

I. Omnes qui omne dogma religionis respuentes officium cultus directi negant, et cultus indirecti, nudae scilicet et simplicis praxis ceterorum vitae moralis actuum, sufficientiam defendunt.

II. Humanitarii, qui in quadam devotione erga humanitatem cultum religiosum consistere volunt.

III. Schola pseudo-historica, quae cultum originem sumpsisse docet ex pietate erga umbras atavorum et tandem transformatum esse in desiderium quoddam vagum et affectuosum circa ultimam rationem mysteriorum mundi existentis.

IV. Sentimentalistae, qui cultum esse tenent nonnisi instinctum quemdam religiosum, quo ideale aliquod obiectum vel idealem vitae humanae statum desideramus et versus ipsum operamur.

Probatur A. — De cultu interno.

Arg. — Cultus internus stat in actibus intellectus et voluntatis Deo praestantibus honorem et reverentiam Ipsi proportionatam; atqui iure naturae seu lege naturali homo tenetur ita Deo honorem et reverentiam praestare: ergo iure naturae homo Deo cultum internum praestare tenetur.

Ad Mai. — Hic est sensus quo in thesi sumimus cultum internum, qui ceteroquin est sensus huic termino communiter ab hominibus attributus.

Ad Min. — Homo est essentialiter et absolute Dei servus; atqui lege naturali tenetur servus domino suo honorem et reverentiam ipsi proportionatam mente et voluntate praestare: ergo homo lege naturali tenetur mente et voluntate honorem et reverentiam Deo proportionatam Ipsi praestare.

Ad Mai. — Servitus est officium correlativum dominii, et Deus est essentialiter et absolute Dominus noster, ex eo quod nos creavit ex nihilo, in existentia et activitate conservat et finis noster simpliciter ultimus est necessario suum dominium urgens in directione nostrae activitatis ad finem ob quem Ipse nos in existentia posuit.

Ad Min. — Primo ex sensu communi. Iuxta communem hominum consensum servitium a quolibet servo absoluto debitum domino includit agnitionem excellentiae, potestatis et dignitatis, quae sunt in domino, cum anxio desiderio non displicendi eidem; haec autem agnitio constituit honorem et reverentiam proportionatam.

Secundo ex natura servitii absoluti. Etenim absolutum servitium involvit debitum ut servus secundum omnes suas potentias operetur ad bonum domini; atqui servus non operatur ad bonum domini secundum omnem potentiam suae mentis et voluntatis nisi ipsi praestet honorem et reverentiam proportionatam, siquidem haec sunt bona extrinseca domini intra potentiam servi ut reddat. Tertio ex exigentiis dominii absoluti et essentialis. Quod dominus essentialis et absolutus necessario exigit a servo, servus lege naturali tenetur reddere; atqui Deus necessario exigit ab homine servo suo (reddendam Ipsi tanquam bonum suum extrinsecum) gloriam formalem et obsequium voluntatis: gloria autem illa formalis includit agnitionem excellentiae, potestatis et dignitatis divinae et obsequium illud addit rationem reverentiae.

Probatur B. — De cultu externo.

Arg. 1. — Ratione cultus interni. Lege naturali tenetur homo ad allos actus qui sunt cultus interni complementum naturale et medium sine quo difficillimum et communiter impossibile est cultum internum per vitam hominis sustentari; atqui cultus externus constat actibus qui cultus interni naturale complementum sunt et medium sine quo difficillimum et communiter impossibile est cultum internum per hominis vitam sustentari: ergo homo lege naturali tenetur ad cultum externum.

Ad Mai. — Quoad primum. Ille actus est naturale complementum alterius qui ex naturali tendentia humanae naturae illum alterum actum consequitur. Iam vero ex naturali tendentia naturae humanae intelligimus actus qui proportionantur ad finem humanae vitae: unde quando lex naturalis praecipit unum actum scimus eam etiam praescribere omnem actum qui est prioris complementum naturale. Quoad secundum. Qui tenetur ad actus per

totam vitam suam identidem repetendos et habitualiter continuandos, tenetur etiam ad medium sine quo voluntas eius nequit dici efficax respectu finis illius; sed qui omittit medium sine quo difficillimum et communiter impossibile est finem obtinere, certo nequit dici efficaciter illum finem velle.

Ad Min. — Quoad primum. Ex substantiali unione animae et corporis est in homine naturalis tendentia manifesta ut interni actus hominis in actus externos profluant, quae quidem tendentia tam fortis est ut interdum contra voluntatem nostram ita prorumpant, aut nonnisi violenta quadam resistentia nostra compescantur. Quoad secundum. Experientia communi constat actus internos sine actibus correlativis externis difficillime excitari et excitatos languescere sine horum exercitio frequenti.

Arg. 2. — Ratione sui. Qui essentialiter et absolute dominus est servi secundum totam suam realitatem necessario exigit obsequium servi secundum totam illam realitatem; atqui Deus est essentialiter et absolute Dominus hominis secundum totam suam realitatem; obsequium autem secundum totam hominis realitatem non praestatur sine cultu etiam externo: ergo homo tenetur cultum externum Deo praestare.

Ad Mai. — Qui essentialiter dominus est necessitatur ad urgendum suum dominium et ad exigendum obsequium activitatis in servo suo, et quoadusque dominus, eousque haec necessitas; unde si absolute dominus est secundum totam realitatem servi necessitatur ad exigendum obsequium activitatis ex tota illa realitate.

Ad Min. — Quoad primum. Deus enim, siquidem creavit hominem, produxit eam secundum totam suam realitatem et proinde secundum eamdem Dominus eius est. Quoad secundum. Tota realitas includit facultates

exteriores, quarum actus manifestativi honoris et reverentiae divinae sunt bonum Dei extrinsecum, quale si Deo non reddamus, obsequium secundum totam nostram realitatem non tribuimus.

*Scholion.* — Tenetur homo Deo cultum externum exhibere etiam coram aliis. Etenim lege naturali homo tenetur eos exhibere coram aliis actus qui necessarii sunt ut habeatur et foveatur mutua fides et fiducia ac mutuum exempli auxilium ad finem humanae vitae; atqui actus cultus divini externi ita necessarii sunt: ergo homo actus cultus divini externi coram aliis exhibere lege naturali tenetur.

Ad Mai. — Finis humanae vitae est finis communis, efficiendus igitur cooperatione humana et proinde tenemur ad commercium sociale mutuo auxilians, quod quidem haberi nequit sine mutua fide et fiducia et exemplo, ad quae praestanda insuper habemus tendentiam naturalem, quae confirmat naturalem ordinationem eorum ad finem et indicat legis naturalis obligationem.

Ad Min. — Ad primum: aliorum fides et fiducia in nobis eos subaudit cognoscere dignos nos esse tali fide et fiducia, de qua dignitate certi esse practice non possent nisi constaret nos honorem et reverentiam Deo exhibere: hoc autem scire nequeunt nisi actibus externis coram illis factum tale manifestemus. Ad secundum: ex natura nostra tales sumus ut exempla aliorum sint incitamenta ad legem naturalem observandam et quidem ita ut sine illo facillime deficiamus a via satis difficili ad communem finem humanae vitae.

*Confirmatur tota thesis et scholion* ex constanti, uniformi et universali omnium gentium et nationum testimonio.

*Ad Difficultates.* — Notanda 1. Cultus noster est ter-

minative et obiective infinitus, et subiective finitus ex limitatione nostrae naturae et non ex defectu nostrae voluntatis, unde non est ex sua finitudine Deo indignus.

2. Deus non indiget nostro cultu sive ad suam perfectionem completam sive ad felicitatem suam: sed exigit eum ex necessitate suae naturae et quidem ad suam bonitatem nobis communicandam, qua nos indigemus ad nostram perfectionem completam et felicitatem.

3. Deus quidem purus spiritus est et proinde non ex hac ratione datur exigentia cultus corporalis; sed nos sumus ex spiritu et corpore compacti atque ex hac ratione habetur fundamentum exigentiae cultus etiam corporalis.

4. Deus iam cognoscit actus nostros internos sine externa eorum manifestatione; unde non ex hac ratione exigitur cultus externus: sed actus externi sunt naturale complementum internorum et necessarii ad eorum continuatam repetitionem; in hac ratione invenitur fundamentum exigentiae.

5. Homo non tenetur ad quidquam ultra observationem legis divinae, sed haec lex, etiam prout naturalis, non complete observatur sine cultu tum interno tum externo, uti ex thesi probata constat.

6. Deus nihil intrinsece accipit ex nostro cultu, sed cultus est bonum eius extrinsecum tale ut ex necessitate suae naturae non possit humanam condere naturam nisi ut illud bonum extrinsecum Ipsi praestetur.

## Articulus II.

### De Officio Hominis Erga Se Ipsum.

Generale hominis officium, ut constat ex parte Ethicae priore est servare legem divinam naturalem: est enim homo instrumentum liberum seu servus Dei in ordine ad finem divinitus intentum efficiendum. In quantum igitur ipse homo sit terminus sui officii specialiter obligatur lege naturali ut sese conservet et perficiet in ratione divini instrumenti ad finem humanae vitae efficiendum. Haec autem perfectio est officio humano quaerenda tum in mente, ad cognoscenda ea quae ipsum hominem respiciunt in ordine ad illum finem, tum in voluntate ad ordinata omnia et singula volenda, tum in inferioribus facultatibus ut inserviant imperio hominis in ordine ad ea quae voluntate debite decernuntur exsequenda, et demum in virtutibus animae colendis quibus activitas illa debita prompte, facile et perseveranter praestatur.

In specie tamen difficultas occurrit de duratione humani servitii in terris, utrum homo adepta aliqua mensura meriti proportionati ad beatitudinem perfectam licite possit demere suam vitam in terris et ita claudere suum servitium et in fruitionem beatitudinis ingredi, an officium habeat sese non occidendi sed vitam suam conservandi usquedum Deus secundum ordinationem causarum necessariarum eius vitae terminum apposuerit. Ad huius solutionem ponitur thesis.

**THESIS XXXIV. — Lex naturalis homini suae vitae dominium non tribuit: unde eadem lege suicidium prohibetur.**

Cf. D. Thom., 2, 2, q. 64, a. 5: De Lugo, De Iustitia et Iure disp. 10, sect. 1; Ferretti, thes. XCI.

*St. Qu.* — Suicidium definitur directa sui ipsius occisio auctoritate propria facta. Occisio est effectio mortis, mors autem privatio vitae. Directa est occisio, quando mors intenditur ut finis aut eligitur ut medium ad aliquem finem: in tali enim casu voluntas directe terminatur in mortem secundum actum voluntarium et liberum. Occisio indirecta habetur quando actus, cuius mors est effectus, natura sua et intentione agentis ad aliquid aliud efficiendum ordinatur, sed concomitanter aut consecutive mortem efficit: in tali casu mors est effectus per accidens et indirecte procedit ab activitate voluntatis et proinde non est necessario voluntaria. Etenim, si homo ad illud aliud efficiendum ius habet et a fortiori si officium ad illud habet, data proportione inter illud et suam vitam, homini licet actum talem ponere et mortem consequi permittere.

Occisio directa dupliciter fieri potest, auctoritate nempe aut propria aut aliena: auctoritate propria fit, si homo naturale dominium individuale super suam vitam sibi assumit et virtute talis dominii sese directe occidit; auctoritate aliena fit, quando ex iussu legis positivae, sive humanae sive divinae, nomine et auctoritate legislatoris talis positivi homo sese directe occidit. Evidens quidem est Deum suum dominium supremum super vitam humanam semper habere et proinde sua auctoritate positiva

posse hominem iubere se ipsum directe occidere: sed negatur in thesi Deum per legem naturalem ius talis occisionis homini tribuisse, siquidem quaestio nostra est de officio et iure naturali, quae ex sola lege naturali proveniunt. Item ostensum erit infra in suo loco Deum lege naturali concedisse societati civili ius gladii, uti nominatur, seu potestatem in quibusdam adiunctis vitam humanam auferendi: unde quaestio oritur utrum necne civitas executionem illius potestatis possit homini respectu suae propriae vitae tradere: de hac quaestione agetur in scholio infra, sed excluditur a thesi, siquidem in tali casu homo non propria auctoritate sese occideret.

Directa sui occisio auctoritate propria facta item dupliciter fieri potest, positive scilicet, actionem ponendo quae est sui directe occisiva, aut negative, omittendo nempe actionem necessariam ad vitae conservationem. Attamen ut negativa illa occisio sit directa, debet mors aut intendi ut finis aut eligi ut medium. Quod si neque uno neque altero modo tali procedit ex voluntate, sed homo omittit actionem necessariam ad vitae conservationem ut ex illa omissione bonum aliquod morti suae antecedens obtineat vel malum evitet, licet per accidens sequatur sua mors, occisio talis est indirecta, et non semper prohibetur sed tantum quando exstat praeceptum contra illam omissionem ne effectus ille mortis sequatur. Supposito igitur ex praesenti thesi hominem non habere dominium suae vitae, consequitur ipsum non habere nisi eius usum: super utentem re, quae est dominii alterius, exstat praeceptum legis naturalis ut in usu eius ordinaria media conservationis non omittat; ad media autem extraordinaria non tenetur. Qui idcirco negative et indirecte sese occidat omittendo media ordinaria ad vitam conservandum, mors eius ipsi imputatur quia propter illud prae-

ceptum voluntaria est; quod si medium prorsus extraordinarium omittat, mors propter defectum talis praecepti non est voluntaria et proinde ipsi non imputatur. Attamen quaedam possunt incidere adiuncta in quibus prorsus per accidens aliquis ad suam vitam servandam media extraordinaria adhibere teneatur.

Per dominium in thesi non intendimus dominium utile, uti dicitur, potestatem nempe vita nostra utendi ordinate in ordinem ad finem humanae vitae, etiamsi involvatur indirecta sui occisio propter rationem proportionatam; etenim tale dominium hominem a lege naturali habere admittimus tanquam medium necessarium ad suum finem: sed intenditur excludendum dominium perfectum, quo scilicet posset homo quemlibet usum aut dispositionem etiam ad lubitum facere suae vitae; nam negamus ipsum a lege naturali habere potestatem directe destruendi eam sive sine ratione sive propter quamcunque rationem quantumvis gravem.

Notandum demum est non omnia quae circumferuntur argumenta contra suicidium valere ad rem evincendam. Non argumentum ex solo Dei dominio supremo, quia tale dominium exstat super omnia creata et tamen communicatur ex eo participatum dominium homini, sicut e. g. super vitam animalium irrationalium; neque argumentum ex officio hominis sociali versus familiam suam aut civitatem, tum quia non semper et ubique habet homo talia officia, et etiamsi haberet semper, si ex iure familiae aut civitatis simpliciter staret officium non sese directe occidendi, accepta permissione familiae et civitatis per cessionem sui iuris, non amplius esset illicitum suicidium, quod falsum est. Unde si urgeatur difficultas contra thesim ex debilitate istiusmodi argumenti, transmitti potest, siquidem exinde thesim non demonstramus.

Contra thesim inter antiquos fuerunt stoici: recentius autem eminent Von Holbach, Montesquieu, Bentham, Hume, Schopenhauer et Paulsen.

Probatur A. — Lex naturalis homini vitae suae dominium non tribuit.

Arg. 1. — Lex naturalis homini ius non tribuit nisi cuius titulus ultimatim fundatur in ipsa natura humana; atqui ipsa natura humana nequit etiam ultimatim titulum fundare dominii super vitam propriam; ergo lex naturalis tale ius homini non tribuit.

Ad Mai. — Omne ius naturale est aut congenitum aut acquisitum: titulum iuris congeniti est ipsa natura humana; titulus iuris acquisiti est aliquod factum consequens exercitium humanae activitatis ad quale exercitium ius est congenitum et proinde habens titulum in humana natura.

Ad Min. — Si natura fundaret titulum dominii suae vitae, fundaret potestatem suae destructionis et proinde demendi titulum fundamentalem omnis iuris sui; atqui natura ponitur tanquam fundamentum ad iura habenda et non ad iura demenda: ergo. Confirmatur ex eo quod si natura etiam remote fundaret potestatem suae destructionis debet esse in illa natura aliqua tendentia naturalis ad talem destructionem: at de facto naturalis tendentia humanae naturae sicut et cuiuscunque entis est ad perseverandum in esse.

Arg. 2. — Lex naturalis nequit concedere homini ius quod non est medium ad communem finem humanae vitae; atqui dominium suae vitae non esset medium tale: ergo lex naturalis nequit homini suae vitae dominium concedere.

Ad Mai. — Lex naturalis non est nisi ordinatio hominis ad illum finem et ad media in ordine ad illum.

Ad Min. — Tale dominium est hominis potestas auferendi omnem activitatem suam humanam; iam vero communis finis humanae vitae est efficiendus hominis activitate, ideoque demptio omnis activitatis, vel potestas eam demendi nequit inservire tanquam medium ad illum finem efficiendum.

Arg. 3. — Lex naturalis homini nequit tribuere potestatem quae contradicit exigentiae essentiali ipsius naturae humanae; atqui dominium suae vitae in homine contradicit cuidam exigentiae essentiali ipsius humanae naturae: ergo lex naturalis illud dominium homini tribuere nequit.

Ad Mai. — Lex enim naturalis tribuit potestates solummodo secundum fundamentum exigentiae quod invenitur in natura humana.

Ad Min. — Dominium vitae sui dicit in homine potestatem sese auferendi ex statu servitii humani compositi sub Deo Domino suo; natura autem humana essentialiter exigit ut ipsum compositum humanum sit servus Dei: haec vero sunt contradictoria.

Confirmatur. — Dato tali dominio homo posset sese removere ab omni influxu legis naturalis et evitare impletionem omnium officiorum quae proveniunt ex illa lege. Iam vero lex non tribuit potestatem quae potest adhiberi ad totam suam frustrationem.

Probatur B. — Suicidium lege naturali prohibetur.

Arg. — Lege naturali homo prohibetur ne exerceat dominium ipsi non concessum; atqui per suicidium homo exercet dominium suae vitae quod ipsi non conceditur: ergo lege naturali prohibetur suicidium.

*Corollarium 1.* — Quum homo non habeat dominium suae vitae sed usum eius per concessionem legis naturalis in ordine ad finem hominis, est officium hominis non

tantum negativum contra suicidium sed etiam affirmativum vitam suam per media ordinaria conservandi.

*Corollarium 2.* — Unde etiam de mutilatione corporis dicendum est hominem habere officium naturale directe non demendi ullam partem ex integritate corporis sui, nisi in quantum talis demptio seu mutilatio inservit bono totius corporis viventis, seu vitae suae. Quod confirmatur ex eo quod ex natura rei constat partes non existere neque earum dominium homini lege naturali tradi nisi propter totum vivens. Ceteroquin, si homini licuisset demere ad lubitum unam partem, item et alteram demere liceret usque ad omnes partes quae constituunt integritatem corporis viventis, et per consequens haberet dominium suae vitae, quod est contra thesim probatam.

*Scholion.* — De directa sui occisione facta ex auctoritate civili dicendum est: primo, non licere cuiquam etiam principi se ipsum ad mortem damnare et deinde per suas manus sententiam exsequi; ratio est quia lege naturali permitti nequit cuiquam esse suum iudicem civilem; obligatio enim, ut saepius iam vidimus, distinctionem personarum postulat: secundo, si quis a competente tribunali capite damnetur, de sententiae exsecutione duplicem distingui debere quaestionem.

*a*) Quaeritur an damnatus, si ita a tribunali iubeatur, se ipsum morte plectere teneatur. Respondetur negative: ratio est quia talis exsecutio sententiae est medium prorsus extraordinarium ad legem vindicandam; auctoritas autem civilis civem obligare potest nonnisi ad media ordinaria adhibenda in ordine ad bonum commune.

*b*) Quaeritur an damnato liceat, permittente tribunali, sese directe occidere. Respondetur rem inter doctores disputari. Communior sententia negat, quia est contra

ipsius naturae humanae inclinationem seu tendentiam ut quis sibi mortem directe infligat, praesertim quum ita agendo malum physicum sibi supremum facit sine ulla proportionata boni communis participatione proveniente ex illo actu. Aliqui autem auctores affirmant tanquam rem in quibusdam adiunctis probabilem, nempe in casu in quo per suam actionem mors minus acerba damnato permittitur quam ipse ceteroquin secundum iustam sententiam subire debet: ratio assignatur in principio quod ex duobus malis minus eligere licet, quando unum aut alterum necessarium est, sicut in praesenti supposito; non est enim contra tendentiam hominis naturalem, si mors ipsi iuste et certo infligenda est, mortis modum minus acerbiorem sibi sumere.

*Ad Difficultates.* — Notanda. 1. Actus verae virtutis fortitudinis permittitur lege naturali, sed suicidium non est talis; est enim actus ad summum speciosae firmitatis animae, qui in ultima sua analysi est actus ignaviae et mollitiei.

2. Volenti quidem nulla facta est iniuria; at iniuria facta in suicidio non est contra hominem sed contra Deum, qui non est volens secundum ea quae conceduntur lege naturali; immo in quantum ad ius quem homo habet ad suam vitam, huiusmodi ius est, propter officium illi annexum lege naturali, ius inalienabile arbitrio hominis cuius ius est.

3. Non est illicitum donum renuntiare quod est donum pure gratuitum; sed vita hominis non est tale donum, sed donum onerosum cum officio annexo propter quod homini ipsi non licet donum illud destruere.

4. Licitum est homini medium ceteroquin iustum et necessarium ad evitandum malum morale: sed directa

sui occisio neque iustum medium est neque necessarium ad evitandum quodlibet malum morale.

5. Qui vitam suam perdit ad salvandam alterius vitam, facit actum licitum: at sese occidit non directe sed indirecte: quod si per accidens oriantur adiuncta in quibus opus est ad alterius salutem ut quis directe se occidat, hoc non licet, quia est adhibere medium iniquum.

6. Non sequitur ex licita mutilatione licitum suicidium, quia licita mutilatio est ad bonum totius et ad conservationem vitae et subiecti iurium et officiorum, dum suicidium est destructio vitae et iurium et officiorum subiecti.

7. Non approbantur a Sacris Scripturis neque sine errore laudantur ab hominibus vera suicidia, sed vel sui occisiones quae non respondent definitioni suicidii, vel subiectiva moralitas eorum laudatur qui per conscientiam erroneam posuerunt verum suicidium obiectivum et, secundum illam obiectivitatem, actum moraliter malum. Ita Eleazar (I Macc. 6. 43) non intendit ut finem suam mortem sed mortem regis hostium, neque eam elegit ut medium sed casum elephantis, et occisio sui fuit indirecta et effectus aliquis per accidens. Samson (Iud. 16, 50) pariter neque intendit ut finem suam mortem sed mortem hostium, neque eam elegit ut medium, sed destructionem templi; addunt aliqui commentatores ipsum ita fecisse, ut videtur ex restauratione suarum virium supernaturalium, ex inspiratione divina, unde non sua auctoritate sed Dei. Razias (II Macc. 14, 41) sese occidit aut inspiratione divina, ut aliqui arguunt ex pia ipsius morientis invocatione divina et ex laude eximia eius facta in Scriptura; aut per conscientiam erroneam, qualis error de liceitate suae occisionis ne vitae conservatio in probrum verteret religionis vel patriae inter Iudaeos sat communis erat

(Cf. Josephum, Antiq. Iud., lib. 4, sect. 12), et deinde laus in Scriptura est propter subiectivam bonitatem actus in quantum voluntarii: aut simpliciter condemnandus est Razias ex suicidio vero patrato, ut aliqui volunt qui explicant laudem in Scriptura tanquam positam de suo patriae amore. Apollonia non propria auctoritate sed inspiratione divina sese proiiciendo in ignem persecutores anticipavit. Virgines Christianae quae sese occiderunt ut castimoniae suae violationem effugerent, ita fecerunt ex conscientia erronea, quod mirum non apparet, quum S. Augustinus (De Civ. Dei, 1, 21) cuique ob pudicitiae custodiam licere sui occisionem opinatum esse videatur. Martyres sese offerentes persecutoribus neque suam mortem ut finem intenderunt neque ut medium elegerunt, sed elegerunt actum sese reddendi persecutoribus tanquam medium, aut reparandi fidei eiurationem prius ab iisdem factam, aut malum ab Ecclesia avertendi, aut exemplo suo confirmationem trepidantium fidelium vel infidelium conversionem obtinendi: re quidem vera aliqui ex illis ita fecisse ex inspiratione Spiritus Sancti videntur, in quo casu actus non ex sua sed divina auctoritate fuit positus. Socrates non sua auctoritate, sed auctoritate civili venenum ad occisionem sui sumpsit. Saulus (I Reg. 31, 4) ob sui occisionem non laudatur sed veri suicidii reus fuit.

## Articulus III.

### De Officiis Hominis Erga Alios.

Officia nostra erga alios homines possunt esse aut pure ethica aut iuridica: de pure ethicis, sive universalia sunt, sicut amandi proximum ipsique subveniendi in angustiis, sive particularia, sicut filii ad parentes, alumni ad magistros, operarii ad patronos et vice versa, nihil dicemus, quia in principio officia huiusmodi ab omnibus admittuntur, quomodolibet in praxi violentur. Officia autem iuridica subaudiunt iura in aliis; haec autem iura versantur circa bona eorum tum interna, sive corporis sive animae, tum externa sive honoris et famae sive rerum materialium. Iam vero de bonis animae satis constat nos teneri non corrumpere alterius mentem aut voluntatem, licet sit aliqua controversia de loquela mendace, utrum malitia eius sit solum ex iniuria alteri facta, an etiam aliunde, de qua controversia thesim ponere debemus. De bonis corporis tota quaestio reducitur ad iniuriam factam in alterius occisione aut mutilatione, de qua etiam agere debemus. Item de bonis externis per se patet nobis non licere damnum alteri inferre et iniuriam per calumniam, detractionem et similia, quantumvis haec officia hodie in ephemeridibus practice spernentur; unde de his nihil faciemus nisi in quantum materia honoris et famae urgeatur tanquam ratio sufficiens vitam nostram periclitandi vitamque alterius aggrediendi, utriusque quidem ex condicto. De rebus autem materialibus sunt autem hisce diebus disputationes innumerae et de his vera principia declarare

opus est. In praesenti igitur articulo theses exponemus de vita alterius et de loquela verace: de dominio autem alterius super res materiales in articulo sequente agemus.

**THESIS XXXV. — Directa alterius occisio facta ex privata auctoritate et extra casum necessariae defensionis contra aggressorem iniustum lege naturali vetatur.**

Cf. D. Thom., 2, 2, q. 64, a. 6; De Lugo, De Iust. et Iure, disp. 10, sect. 4; Ferretti, thes. XCIII.

*St. Qu.* — Directa occisio excludit indirectam, actionem nempe cuius per accidens effectus est alterius mors: indirecta occisio directae assimilatur (et deinde prohibetur) nonnisi quando mors alterius fit voluntaria eo quod actio, unde per accidens sequitur mors alterius, prohibetur ipsa praecise ne mors illa sequatur.

Privata auctoritas excludit auctoritatem divinitus positive concessam, sicut in casu Abraham respectu sui filii, et auctoritatem civilem, quae communicari individuo potest ad executionem rei iuridice damnati, aut hostis in bello iusto, siquidem, uti probatur in suo loco, civitas iure gladii gaudet. Unde privata auctoritas in casu sonat ius individuo immediate traditum lege naturali ad alterum directe occidendum.

Directa occisio includit non tantum occisionem positivam, per actionem nempe vitae destructivam, sed etiam occisionem negativam per omissionem actionis ad vitae conservationem necessariae et ab uno debitae respectu alterius. Item includitur in thesi non tantum causalitas physica, sed etiam moralis, qua homo moraliter influit in actionem alienam quae est directe alterius occisiva. De-

mum includitur non tantum homicidium sed etiam foeticidium, seu directa occisio hominis nondum nati, licet iam animati.

Casus necessariae sui defensionis, qui in thesi excipitur, agetur in sequenti thesi: hic sufficit indicare talem haberi casum quando quis sit positus in periculo amissionis suae vitae aut alicuius boni vitae aequiparandi per sui iuris invasionem alterius actione factam.

Probatur. — Arg. 1. Lege naturali vetatur usurpatio dominii divini homini non communicati; atqui directa alterius occisio facta auctoritate privata et extra casum necessariae defensionis contra iniustum aggressorem est usurpatio dominii divini homini non communicati: ergo talis occisio alterius lege naturali vetatur.

Ad Mai. — Propria enim auctoritas sonat individuale ius naturale super vitam alterius, seu dominium vitae illius lege naturale communicatum.

Ad Min. — Ius naturale est aut congenitum aut acquisitum. Non datur congenitum ius uni super vitam alterius, quia ita, quum omnes eamdem naturam et proinde titulum habent iurium congenitorum, unusquisque haberet ius super vitam omnium aliorum, quod non tantum pessum daret cooperationem omnium ad finem communem vitae humanae, sed etiam privaret unumquemque illo iure super propriam suam vitam, quod ipsi necessarium est ad suum finem. Non datur ius individuale super alterius vitam naturaliter acquisitum, quia hoc supponeret aut liberam translationem dominii talis ab uno ad alterum factam aut exigentiam superioris iuris in uno super alterum, quorum neutrum hic dici potest. Non primum; quia homo non habet dominium suae vitae et idcirco illud transferre nequit: non secundum, quia exigentia illa non oritur nisi in collisione ubi vita propria aut bonum vitae

aequiparandum sit in periculo ex iniusta actione alterius, qui casus in thesi excipitur. Ergo extra illum casum dominium divinum super vitam humanam lege naturali non communicatur homini individuo respectu alterius hominis.

Arg. 2. — Homo quisque est essentialiter servus Dei: atqui lex naturalis non concedit uni servo essentiali demere essentiale servitium alterius a domino utriusque, nisi in conflictu ubi non amplius stare simul potest servitium utriusque propter iniustam actionem alterius: ergo extra casum talis conflictus seu necessariae sui defensionis contra iniustum aggressorem lex naturalis non concedit uni homini ius seu auctoritatem propriam alterum removendi a divino servitio seu interficiendi.

Ad Min. — Lex naturalis non concedit quidquam nisi secundum exigentias humanae naturae in ordine ad finem humanae vitae; exigentia tamen naturae in eo qui est essentialiter servus Dei est ut maneat in servitio et actualiter Deo inserviat in ordine ad talem finem: unde lex naturalis nequit dare ius ad removendum unum tale ex servitio, nisi in casu ubi necessario unum aut alterum removebitur de facto, in quo casu lex naturalis necessario praefert illum qui iniuste aggreditur et tribuit potestatem moralem seu ius illum servum prae altero retinendi in divino servitio.

Arg. 3. — Lex naturalis homini ius seu auctoritatem privatam non tribuit ad actionem quae redderet vitam socialem practice impossibilem; atqui auctoritas privata alterum directe occidendi extra casum necessariae sui defensionis contra iniustum aggressorem redderet vitam socialem practice impossibilem: ergo lex naturalis non concedit homini privatam auctoritatem talis occisionis.

Ad Mai. — Lex enim naturalis praecipit homini vitam socialem, unde nequit simul concedere potestatem quae practice impossibilem redderet impletionem sui praecepti.

Ad Min. — Enimvero sine securitate vitae humanae nemo cum aliis hominibus suam vitam degere vellet; cum tamen iure privato vitae et mortis aliorum securitas vitae stare nequit.

*Confirmatur.* — Ex constanti, uniformi et universali consensu omnium gentium et nationum.

*Scholion.* — In directa mutilatione alterius invenitur parilis invasio iuris seu dominii divini et iuris hominis cuius alienatio non est penes arbitrium ipsius individui.

**THESIS XXXVI. — Contra iniustum vitae aggressorem licita est defensio etiam cum nece aggressoris, servato tamen moderamine inculpatae tutelae.**

Cf. D. Thom., 2, 2, q. 64, a. 7; De Lugo, disp. 10, sect. 6: Costa-Rossetti, Phil. Moral., thes. 120; Ferretti, thes. XCIV.

*St. Qu.* — Agitur in hac thesi de casu excepto in praecedenti, scilicet de necessariae sui defensionis contra iniustum aggressorem.

Aggressor in genere quivis est qui alterius ius invadit aut invadere actualiter conatur, seu incipit. Aggressor vitae alterius ille est qui eius vitae destructionem actualiter petit. Ad actualem petitionem mera intentio non sufficit neque quidem semper requiritur quia sufficit actuale periculum vitae productum etiam per accidens actione aggressoris qui ius aliud nostrum invadere intendit. Requiritur autem et sufficit paratio mediorum ad vitam nostram destruendam (vel initialis usus talium me-

diorum, licet ad alium finem et non contra vitam nostram parata sint) tam proxima ut sine actuali nostra defensione periculum sit nobis mortis consequendae. In thesi solum agitur de aggressore vitae (ad scholion enim reservatur quaestio de defensione bonorum quae iudicio prudentiorum vitae aequiparari possint) et quidem de aggressore vitae sese defendentis (siquidem in altero scholio de defensione vitae alterius iniuste aggressae agetur).

Aggressor, seu qui destructionem vitae nostrae actualiter petit, iustus erit si iure petit, seu auctoritate publica sententiam mortis contra nos latam exsequi conatur. Tali aggressori non licitum est vi resistere, quamvis ipsum fugere lege naturali non prohibeatur. Aggressor iniustus ille est qui sine publica aut divina positiva auctoritate vitam alterius petit. Formaliter iniustus erit, si actus aggressionis sit qua talis humanus, seu voluntarius et liber; materialiter, si aggressio sit tantum actus hominis et non humanus, sicut in casu amentis vel ebrii delirantis. In thesi solum agitur de aggressore formaliter iniusto: de materialiter tantum iniusto verbum in scholio dicemus.

Defensio est actio prohibitiva ne ius nostrum (in casu praesenti ius ad vitam) violetur: negativa est si sine resistentia coactiva, per fugam nempe, fiat; positiva, si per resistentiam coactionis. Necessaria est, si sine illa ius nostrum violabitur, et in thesi intendimus ius nostrum ad vitam nullo alio modo posse conservari a violatione sine defensione positiva secundum mensuram secundum quam exercetur, et proinde nos non posse alio modo evitare invasionis conatum saltem sine cessione aliorum iurium alicuius serii momenti. Coactio defensionis, uti supra in thesi de coactivitate visum est, exerceri non

potest sine aliquo damno infligendo aggredienti: secundum principium ibi statutum mensura huius damni est non tantum secundum proportionem ad bonum nostrum in periculo, sed etiam secundum necessitatem efficacis defensionis: unde si minore aliquo damno vita nostra conservari possit, nobis ad necem alterius progredi non licebit. De hac necessitate sicut et etiam de natura aggressionis iudicium communiter erit ex necessitate rei penes ipsum defendentem, qui illum exercet quo meliore possit modo secundum tempus et opportunitatem ipsi permissam.

Licita defensio sonat hominem habere defensionis ius ex lege naturali; sed non involvit ipsum habere officium illo iure utendi; per se enim homo suam vitam defendere tenetur nonnisi mediis ordinariis, defensio autem occisiva alterius est quidem per medium extraordinarium: per accidens vero dari potest officium talis defensionis, si v. c. defendens sit persona publica cuius vita sit aliis ad vitam aut securitatem necessaria, aut si habeat familiam ab ipso pro vitae necessariis dependentem, vel tandem si publico decreto aut necessitate publica urgeatur ad supprimendos iniustos aggressores qui eo tempore aut loco pacem et securitatem totius communitatis serio minitantur: in his per accidens casibus officium sociale obligat ad media adhibenda, quae in defensione suae propriae vitae sunt extraordinaria.

Moderamen inculpatae tutelae significat restrictionem defensionis citra limites culpae; limites autem culpae coincidunt cum limitibus iuris coactivitatis in defensione iuris nostri: in genere complectuntur conditionibus proportionis et necessitatis, prout sub thesi de coactivitate iam determinavimus. In specie autem de defensione occisiva alterius enumerantur quinque conditiones: videlicet:

1. Quod adsit actualis iuris nostri aggressio.

2. Quod aggressio sit iniusta.

3. Quod adsit verum vitae nostrae periculum.

4. Quod sine aggressoris occisione defendens suam vitam conservare non possit.

5. Quod intentio defendentis sit ad suam defensionem et non ad vindictam vel alium finem malum.

Ex quinta conditione statim exsurgit quaestio utrum in tali defensione liceat directa alterius occisio an tantum indirecta. Conditio illa clare postulat, et eousque consentiunt omnes moralistae, ut mors alterius non sit intentus ut finis; finis enim debet esse suae vitae conservatio, seu sui iuris defensio: ratio huius obvia est, scilicet lex naturalis probatur concedere nobis in casu tantum ea quae necessaria sunt media ad iuris nostri potioris conservationem, tanquam ad finem. Unde non licet occisio alterius directa in quantum directa dicit intentionem mortis alterius ut finis. Ultra autem quaeritur utrum liceat in casu electio mortis alterius ut medii. Certum est ex eadem ratione, ut supra, non licere homini tale medium eligere ad lubitum, seu quando non est necessarium. Quaestio limitatur ad electionem mortis alterius ut medii, quando necessaria est illa mors. De hac limitata quaestione datur controversia.

Negare videtur D. Thomas talis medii eligibilitatem, quia licet loco citato adhibeat vocem « intendere » in sua exclusione, tamen loquitur de re tanquam medio. « Illicitum est, quod homo intendat occidere hominem, ut se ipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum » (loc. cit. *in corp. art.*). Clarissime negant Thomistae Caietanum insequentes: ratio communis eorum est quod naturale fundamentum

exigentiae communicati dominii super vitam est solummodo bonum publicum, et proinde soli auctoritati publicae communicatur et non iuri individuali. Unde individuo licitum tantum est defendere suam vitam etiam vi physica, eligendo vim ut medium ex quo forte per accidens sequatur mora alterius, quae mors utpote effectus per accidens sine praecepto contra coactionem in casu ne effectus ille sequatur, non est voluntarius sed permissus; huiusmodi occisio est prorsus indirecta et neque intenditur ut finis neque eligitur ut medium.

De Lugo, Molina, Vasquez, Lessius aliique satis communiter e contrario docent occisionem alterius (iniusti scilicet aggressoris), quando necessaria sit ad efficacem conservationem vitae defensoris, esse medium necessarium ad illum finem et ut tale esse penes ius defensionis coactivae defendenti concessum lege naturali. Reale punctum controversiae inter utramque sententiam est utrum necne mors aggressoris de facto et obiective unquam sit medium necessarium; De Lugo tenet eam interdum esse tale medium necessarium et proinde esse licitum: Caietanus tenet eam nunquam esse necessariam ut medium et igitur ut tale non esse licitum. Reducitur ideoque controversia ad quaestionem facti. Uterque defendit liceitatem defensionis suae propriae vitae coactione etiam ad necem iniusti aggressoris, si haec sit necessitas *sine qua non* efficacis defensionis.

Contra thesim antiquitus arguebant aliqui Moralistae Christiani esse in suam vitam defendente officium caritatis erga iniustum aggressorem, certo privandum aeterna beatitudine si moriatur in peccato suae iniustae aggressionis, ut vitam temporalem propriam sacrificet pro vita aeterna aggressoris.

Probatur. — Arg. I. Coactivitas iuris in defensione

sui contra iniustum aggressorem sese extendit ad infligendum ipsi damnum quod est necessarium ad efficacem defensionem et non ultra proportionem ad bonum defendendum; atqui defensio suae vitae usque ad necem iniusti aggressoris, servato moderamine inculpatae tutelae est exercitium talis coactivitatis, et damnum necis est necessarium et non ultra proportionem boni defendendi: ergo coactivitas iuris (quae quidem conceditur lege naturali) licitam facit talem defensionem.

Ad Mai. — Probatur supra in thesi de iuris coactivitate.

Ad Min. — Exercitium coactivitatis per se pertinet ad auctoritatem publicam, sed praesens est ille per accidens casus ubi ex impossibilitate auctoritatem publicam invocandi exercitium redit ad individuum cuius ius invaditur. Insuper supponitur in moderamine inculpatae tutelae necem alterius esse vere necessariam ad efficacem defensionem vitae defensoris: proportio autem inter vitam aggressoris et defendentis per se patet. Neque dici potest medium illud esse iniustum, quasi violatio iuris in altero; nam ius defendentis est iure aggressoris potius praecise propter aggressionem, et per eam producitur collisio in quo utrumque ius simul stare amplius non possit: neque usurpatur dominium Dei quia Deus concedendo coactivitatem ad efficacitatem defensionis simul tribuit totam moralem potestatem quae *naturaliter* necessaria est ad talem efficacitatem.

N. B. Constat hoc argumentum valere ad electionem mortis aggressoris tanquam medii efficacis defensionis, *si mors eius sit medium necessarium*. Quod oriri possunt adiuncta et oriuntur in quibus est mors illa ut medium necessaria, ex experientia hominum constare videtur: neque per se evidens est neque admitti potest sine pro-

batione dictum a Billuart (De Iust. et Iur., diss. 8, a. 2, Requiritur 5° universaliter, actionem scilicet defensivam esse medium necessarium, effectum autem eius in nece alterius non esse medium necessarium.

Arg. 2. — (Ex S. Thoma). Licet homini ponere actum de se bonum, ex quo duplex sequitur effectus, unus bonus ad quem agens ius habet, alter malus, dummodo agens non teneatur actum omittere praecise ne effectus hic alter, malus scilicet, sequatur; atqui in casu necessariae sui defensionis contra iniustum vitae aggressorem defensio facta etiam cum nece aggressoris, servato tamen moderamine inculpatae tutelae, est actus istiusmodi: ergo talis defensio licita est.

Ad Mai. — Supponitur effectus malus non esse medium ad effectum bonum, et proinde non magis immediate sequi ex actu posito: unde supponitur effectus malus esse effectus per accidens aut saltem effectui per accidens aequiparandus, et deficere ex ratione voluntarii: non enim est voluntarius in se, quia in se non intenditur; neque in causa, quia deficit conditio necessaria ad rationem voluntarii in causa respectu effectus per accidens consequentis, nempe ut actus lege prohibeatur praecise ne ille effectus per accidens sequatur.

Ad Min. — Actus in casu est in se bonus, quia ille actus est applicatio vis physicae in defensione iuris proprii: ex coactivitate iuris constat agens ius habere ad talem applicationem et proinde actus ille bonus in se est. Duplex effectus illius actus habetur in conservatione vitae defensoris et mors aggredientis: prior effectus est bonus, quia defendens ius habet ad suae vitae conservationem; alter effectus conceditur in argumento esse effectus malus, non tantum physice pro moriente, sed etiam moraliter siquidem sit mors illa contra exclusivum domi-

nium Dei nisi in quantum concedatur tale dominium auctoritati publicae ratione boni communis. Est autem illa mors effectus per accidens ipsius actus, quia in genere actus defensivus non natura sua ordinatur ad mortem illam sed ad vitae defensoris conservationem; neque sequitur mors magis immediate quam conservatio et proinde non est medium ad illam. Demum non prohibetur actus defensivus in casu praecise ne mors illa sequatur: non quidem ex iustitia, quia non datur secundum iustitiam obligatio ex iure morientis exigens ab altero omissionem suae defensionis usque ad iacturam suae vitae; non ex caritate, quia caritas non obligat ad amandum alterum magis quam semetipsum seu ad praeferendum aequale bonum (vitam nempe) pro altero quam pro se ipso: supponitur enim in casu mors unius aut alterius ex aggressione necessario sequi.

N. B. Argumentum subaudit mortem aggressoris nunquam esse *medium necessarium* ad efficacem defensionem vitae personae aggressae, secus non universaliter thesim probaret, siquidem concedit mortem talem prohibitam esse lege naturali tanquam usurpationem dominii divini aut publici, licet non prohibetur efficax defensio praecise ne mors illa per accidens sequatur. Unde argumentum simul stat cum sententia de universali illiceitate electionis mortis aggressoris tanquam medii defensionis efficacis. Thesis igitur stat in utraque sententia illius controversiae, sed probanda est respective ex uno aut altero argumento secundum partem controversiae electam defendendam.

*Scholion 1.* — Contra aggressorem materialiter tantum iniustum stat per se etiam thesis supra posita: etenim stat defendentis ius ad damnum necessarium et proportionatum infligendum in efficaci sua defensione: ius

aggressoris in casu cedit iuri defendentis tanquam potiori, non ex culpa aggressoris sed ex suo infortunio, siquidem orta est collisio ubi utrumque ius simul exerceri nequit, et nulla adest ratio cogens cur defendens suum ius non exerceat. Per accidens vero in quibusdam adiunctis, non quidem ex iustitia sed ex caritate, officium videri possit defendenti incumbere ut ius suum seu eius exercitium non urgeat. Adiuncta habentur quando aggressus prudentialiter certus est se esse in statu gratiae, aggressorem autem esse in statu peccati mortalis sed habiturum esse opportunitatem efficacem postea se ex illo statu extrahendi si hic et nunc non occidatur: in tali enim casu aggrediens est in extrema necessitate respectu vitae aeternae cui succurrere teneri videtur defendens etiam cum iactura suae vitae temporalis, quod constare videtur ex principio caritatis « pro altero est faciendum id quod ab illo pro nobis fieri vellemus ». Attamen notandum est cum De Lugo rarissime verificari simul omnia illa adiuncta requisita.

*Scholion 2.* — In defensione alterius contra iniustum eius vitae aggressorem stat per se thesis: quia merito assumere possumus aggressum nobis communicare suum ius coactivum quoad exercitium. Per accidens autem in casu quando aggressor sit pater, mater, filius aut filia, seu in genere aliquis ad quem magis caritate obligamur quam ad personam aggressam, talis occisio ex parte nostra non videtur esse licita, quia caritas nos prohibet praeferre bonum alieni prae aequali bono alicuius nobis ita vinculis caritatis propinqui. Officium per se non habemus occidendi aggressorem vitae alterius: non ex iustitia, quia ius eius involvit tantum obligationem in nobis non aggrediendi eius vitam; neque ex caritate, quia ordinarie non possumus ita agere sine gravissimo nostro

incommodo, et forsan periculo mortis propriae, et caritas non urget cum tali incommodo. Per accidens autem datur officium, si quis v. g. sit officialis publicae securitatis, aut si aggressus sit eius pater, mater aut pariter propinquus, aut persona publica communitati necessaria, siquidem in his casibus etiam gravissimo tali incommodo aggressum defendere caritate tenemur. Ceteroquin in aliis casibus, ubi non adsit obligatio talis cooperationis, vir cordatus alterum in periculo mortis ex iniusta aggressione haud raro defendet, si sit ulla possibilitas efficacis defensionis.

*Scholion 3.* — In defensione bonorum nostrorum, quae ex natura sua aut ex iudicio communi hominum prudentiorum vitae nostrae aequiparanda sunt, licet aggressorem iniustum occidere, servato ut supra moderamine inculpatae tutelae: ratio est quia est exercitium coactivitatis cum inflictione damni necessarii et proportionati. Si bona nostra quae sunt in periculo non sunt ita vitae nostrae aequiparanda, talis defensio cum nece aggressoris non licet, praecise propter defectum proportionis. De iudicio aequiparationis dicendum est. Inter bona animae aequiparanda vitae reputantur mens sana, et forte libertas physica humana, hoc sensu, quod si aggressor vere et efficaciter minitatur nobis inferre mentis insanitatem aut incarcerationem quae certo perpetua erit, bonum nostrum periclitatum communi iudicio vitae nostrae aequiparatur. De bonis corporis si agatur, prudentiores homines mutilationem, quae secum ferat grave periculum mortis aut redderet vitam subsequentem nostram miseram, parilem iudicant cum aggressione vitae: itemque de aggressione contra pudicitiam mulieris; de hoc ultimo aliqui Moralistae dubitant sed inepte, ut videtur, siquidem violata mulier incurrit periculum praegnationis et subsequens forsan mortis periculum in parturitione, incidit

in extremam difficultatem maritum obtinendi et ita privatur medio ordinario sustentationis, periculum consensus in peccato incurrit, et demum, uti notat Pater Costa-Rossetti, foedissima vestigia in anima sua inveniet: unde non mirum est supremum illud dedecus in tota mulieris vita reputetur inter prudentiores homines cum consequentiis omnibus quae cum ipso involvuntur tanquam damnum cum vitae privatione comparabile. De bonis fortunae, si sunt ea quae ad sustentationem hominis aggressi necessaria sint, aequipollentia per se constat: si insuper sint talia quae sint fructus laborum et oeconomiae hominis per diuturnam suae vitae partem comparati ad providendum pro sua senectute, pro sua familia, aut pro sua sustentatione in statu vitae sibi commodo et proportionato, iuxta prudentiorum iudicium vitae ipsi aequiparantur. Quod si sint bona infra talem valorem, ea defendere licet vi proportionata, et si in conflictu exinde oriente vita defendentis ab aggressore in periculo ponatur, licita erit defensio cum nece aggressoris secundum ipsam thesim. De bonis famae, agetur infra thesi de in duello.

*Scholion 4.* — Quaeritur an licitum sit pluribus si mul individuis privata auctoritate accusatum de crimine capitali vel etiam confitentem reum morte plectere, et quidem sive post iudicium et sententiam publicam sive ante illa, et iterum, si ante ea, sive sine probatione, iudicio et sententia privata, sive etiam cum illis. Haec est quaestio de infami illo processu qui nuncupatur Lex Lynchiana.

℟. Negative in omni casu. Ratio est quia est usurpatio iuris civilis, et quidem talis qui ad abusos horrendos ducat et ordinem socialem ita turbet ut pax et omnium securitas periclitetur. Rationes quae in defensionem illius afferuntur prorsus vanae sunt. Arguitur ita evitari moras

intolerabiles legis frustrationemque iustitiae; sed defectus in administratione publica legum et iustitiae auctoritatem in individuum aut multitudinem non refundit, quia talis translatio auctoritatis neque necessaria est neque ordinata ad finem humanae vitae.

Arguunt iterum ita evitari humiliationem testis, v. g. mulieris violatae, in publica testimonii sui praesentatione: sed nulla est proportio inter ruborem et humiliationem mulieris et turbationem ordinis publicae quae habetur per talem assumptionem auctoritatis. Demum defenditur eo quod actio probatur sententia populari: at approbatio popularis non confert talem auctoritatem, licet forsan possit esse eius existentiae criterion, si talis approbatio esset constans, uniformis et universalis; sed de re in quaestione nulla talis datur approbatio. Certum est officium publicae auctoritatis esse, ad evitandam occasionem et provocationem tam ingentis mali socialis, evitare in quantum possit odiosas moras et inefficacitatem in vindicatione legis contra crimina capitalia.

*Ad Difficultates.* — Notanda. 1. Non licet alteri inferre damnum cum iniuria; neque damnum sine iniuria nisi sit damnum proportionatum et necessarium ad efficacem defensionem aut reparationem iuris invasi.

2. Ut eveniat bonum non licet facere malum morale, neque malum physicum cum iniuria, neque sine iniuria, ita ut intendatur malum ut finis, neque sine tali intentione nisi sit necessarium et proportionatum ad efficacem iuris invasi defensionem aut reparationem. Neque evidens est mortem iniusti aggressoris esse malum morale, et proinde non posse in casu eligi ut medium; quod si admittatur eam esse malum morale, tunc eius illatio distinguenda est ita; non licet inferre malum morale tanquam effectum per se nostrae actionis, neque tanquam effectum

per accidens, ubi exstat praeceptum contra actionem nostram praecise ne mors illa sequatur; deficiente tali praecepto actio licita est.

3. Est officium Christiani non ex iustitia tamen sed ex caritate malum malo non rependere, ideoque vim physicam non imponere alteri cum intentione vindictae, sed non est officium Christianum sua iura coactivitate proportionata non defendere.

4. Salus aeterna alterius praeferenda est saluti temporali nostrae non ex iustitia sed ex caritate et nonnisi in casu extremae necessitatis purificatis omnibus conditionibus caritatis ordinatae, qui casus rarissimus est.

5. Defensio occisiva non est necessario iniuriosa quasi homo etiam iniustus aggressor ius inalienabile ad suam vitam habet: nam ius illud inalienabile est nonnisi in sensu quod alienari nequit neque propria neque aliena auctoritate privata: alienari potest lege naturali in conflictu cum alio iure inalienabili quod in casu ius potius est, et ita quidem alienatur in defensione nostra supradicta.

6. In casu defensionis supradictae non usurpatur dominium divinum ponendo terminum ad divinam gloriam aut ad effectione n communis finis humanae vitae, quia ipse Deus per legem naturalem tribuit tale dominium in casu conflictus, ubi aliquis terminus ponendus est per mortem aut defendentis aut aggressoris, et culpa terminationis est aggressoris quia est ipsi voluntaria in causa.

7. Unde non datur paritas inter suicidium et defensionem occisivam alterius, quia in suicidio usurpatur dominium quod non habet in natura fundamentum concessionis divinae, dum in defensione datur in natura tale fundamentum.

**THESIS XXXVII. — Duellum ex privata auctoritate et privata causa, nominatim vero honoris causa, susceptum lege naturali vetatur.**

Cf. De Lugo, disp. 10, sect. 8; Ferretti, thes. XCV.

*St. Qu.* — Agitur in thesi de determinatis quibus adiunctis in quibus quidam homines licitum perverse censent esse exponere corpus nostrum periculo mortis aut mutilationi et nosmetipsos periculo occidendi aut mutilandi alterum, in defensione sive nostri honoris sive cuiuscunque alterius boni privati.

Duellum in genere est certamen singulare, seu colluctatio duorum, cum armis lethalibus, seu ad occidendum aut mutilandum aptis, ex condicto susceptum. Dicitur *duorum* colluctatio ut excludatur seditio tumultuantis multitudinis et distinguatur a bello et a proelio, duorum nempe populorum armata contentione et actuali inter eos armorum conflictu: horum certaminum nullum ex condicto suscipitur; unde hoc etiam titulo distinguuntur a duello. Quaestio de bello ad tractatum de societate civili pertinet. Additur in definitione « *cum armis lethalibus* » ut excludatur colluctatio pugnis inter duos facta, quae licet contra bonos mores possit esse, tamen de malitia duelli non participat. Demum ex condicto debet fieri certamen illud ut sit duellum, nam si duo simul inexpectato occurrentes lethaliter pugnant, licet illa pugna ex parte iniusti aggressoris sit contra legem naturalem, non ita est ex parte sese defendentis; malitia autem duelli est ex utraque parte. Pariter si ex condicto duo conveniant ob aliquam aliam rationem et per accidens incidant in pugnam lethalem, licet forsan culpa sit ex utraque parte,

non erit duellum, quia ipsa colluctatio lethalis ex condicto non est.

Duellum fieri potest ex publica auctoritate vel ex privata, et quidem ex utraque sive ob causam publicam sive ob causam privatam. Ex publica auctoritate et ob causam publicam est quando solutio contentionis armatae duarum nationum ex earum condicto certamini lethali inter duos suos respective propugnatores committitur; ita e. g. certamen inter Davidem et Goliath. Societati civili licitum est suam committere causam duello huiusmodi non minus quam bello, dummodo non minor sit fundata expectatio victoriae, et etiam si aliquomodo minor sit, dummodo auctum periculum causam suam amittendi debita proportione compensetur per multitudinis mortem et miseriam ita evitatam. Duellum ex publica auctoritate ob causam privatam invenitur in eo quod olim nominatum fuit duellum iudiciale, quando nempe ad determinandam veritatem accusationis publica auctoritas statuebat certamen singulare cum armis lethalibus inter accusantem et accusatum, vel veracitatem inter duos in lite sibi invicem contradicentes parili modo eruere quaerebat. Illud lege naturali vetatur quia medium prorsus ineptum et improportionatum est iustitiae administrandae, nisi in quantum supponatur methodus secura ex supernaturali Dei interventione, quam postulandi nullum habemus in natura titulum.

Duellum ex privata auctoritate ob causam publicam prorsus ineptum et insipiens est, siquidem privatis civium actibus non solvitur ulla causa publica, et proinde contra bonos mores in quantum periculo destructionis exponens sine iusta auctoritate et sine ratione proportionata vitam humanam. Duellum ex privata auctoritate et ob privatam causam, de quo solo agitur in thesi, illud est quod fit ob

individuale ius aliquod sive defendendum sive reparandum nulla alia auctoritate nisi assumpto iure privato duellantium. Nostrum erit probare tale ius privatum non exstare.

Duellum ita restrictum potest absolute loquendo fieri ob quodvis ius quale homines bellicosi pugna vindicare vellent: attamen a saeculo decimo quinto praxis duellandi restricta est ad defensionem, reparationem vel vindictam honoris alterutrius aut utriusque participantium, uno verbo honoris causa. Unde duplex ponitur pars in thesi; in priore ex universali ratione duellum propter quamcunque causam privatam illicitum esse lege naturali probabimus; in altera ex speciali argumento confirmatur illiceitas contra duellum honoris causa. Ad claritatem alterius partis quaedam praemittenda sunt de honore et fama.

Formaliter fama est alicuius personae ob suam excellentiam aestimatio magis minusve divulgata; honor autem aestimatio personae ob suam excellentiam congruis signis agnita: fundamentaliter identificantur, in eadem nempe excellentia, cuius manifesta agnitio est honor et cuius divulgata aestimatio fama est. In concreto fundamentum hominis honoris veri et famae stat in dotibus et virtutibus animae, siquidem excellentiae tales sunt propriae hominis, ceteraeque in homine sunt excellentiae ipsi communes cum brutis animantibus.

Ad bonum extrinsecum honoris homo ius naturale habet, congenitum in quantum ad excellentiam naturae suae rationalis tum metaphysice tum moraliter tum physice consideratae, quia fundamentum est ipsa natura quam natu homo habet, et aestimatio talis est connaturalis consequentia illius excellentiae; pariter potest homo habere ius acquisitum ad honorem respectu excellentiae sive socialis

sive personalis quam activitate sua propriam facit: in quantum congenitum ius illud est perfectum et connotat in aliis non tantum obligationem non detrectandi ab illa excellentia sed etiam praestandi signa ordinaria agnitionis: in quantum vero acquisitum ius illud per se non est perfectum sed tantum connotans exclusionem detrectationis; per accidens ratione officii publici potest etiam acquisitum illud ius perfectum esse. Ius congenitum habemus acquirendi famam, quia consequitur fama ex libera nostra activitate et fit proprie nostra; ius etiam congenitum habemus ne infamia nobis inferatur, quia secus impeditur ius acquirendi famam et detrectatur indirecte ab honore nostro, atque impedimentum ponitur nostrae vitae sociali, cuius ius habemus. Circa famam iam activitate nostra iuste acquisitam ius perfectum habemus ad eam conservandam, sicuti de quolibet alio bono nostro acquisito.

Laeditur ius honoris ab alio interne per iudicium contemptuosum aut temerarium; externe signis quibus negatur nos esse aestimatione dignos, et hoc quidem sive negative per omissionem signorum ordinariorum aestimationis, sive positive per actus contemptuosos. Laeditur ius famae ab alio quo per negationem excellentiae quam habemus vel per attributionem defectus quem non habemus aestimatio nostra apud alios magis minusve late minoratur: specialiter autem per detractionem et calumniam. (Cf. Costa-Rossetti, thes. 121).

In thesi negamus coactivitatem iuris nostri ad honorem vel famam sese extendere ad duellum faciendum ad eius defensionem, reparationem aut vindictam.

Probatur A. — Contra duellum ex privata auctoritate ob quamlibet causam privatam.

Arg. — Lege naturali vetatur individuo exercitium coactionis sine vera necessitate ad iuris sui defensionem

aut reparationem; atqui duellum est individuale exercitium coactivitatis sine tali necessitate: ergo duellum lege naturali vetatur.

Ad Mai. — Agitur de individuali exercitio coactionis: nam exercitium coactivitatis reservatur publicae auctoritati propter rationes datas in statu quaestionis thesis de coactivitate, nisi ex impossibilitate invocandi publicam auctoritatem aut ex defectu eius existentiae aut administrationis, in quo casu est vera necessitas exercitii individualis. Certo augetur malitia pro mensura damni absque necessitate infligendi, sicut in casu occisionis aut mutilationis (sive periculi eorum), et adhuc amplius augetur secundum mensuram deficientis proportionis inter bonum defensum et damnum infligendum: sed in omni casu sive minoris damni sive maioris, sive damni proportionati sive damni ultra proportionem prohibetur coactio nisi sit necessaria; et specialiter prohibetur individuo nisi vere necessarium sit ut ab ipso exerceatur.

Ad Min. — Est coactio quia certamen cum armis, vi enim physica attentatur vindicatio iuris: est exercitium individuale quia est certamen ex privata auctoritate susceptum; est sine vera necessitate, quia factum ex condicto; in loco autem condicti recursus haberi potest ad publicam auctoritatem, quia si tempus suppetat ad condictum et omnia sua adiuncta, certo non adsunt angustiae quibus redditur impossibilis talis recursus. Quod si dicatur rem tam delicatam esse et complexam ut sit periculum ne decisio auctoritatis publicae sit contra iustitiam, vis argumenti non enervatur; etenim, data et non concessa illa subsumptione, exercitium coactivitatis non redit ad individuum, quia decisio iniusta ab auctoritate publica per accidens fit, in quo casu homo ob bonum commune quod est maius quam suum proprium te-

netur in foro externo sese decisioni iniustae submittere et iniustitiam pati.

Probatur B. — Duellum honoris causa susceptum lege naturali vetatur.

Arg. — Lege naturali vetatur damnum infligere ultra proportionem ad bonum nostrum defendendum aut reparandum, itemque vetatur ad assecurandum nostrum honorem et famam coactio quae per se non est medium aptum; atqui duellum infligit damnum ultra proportionem ad honorem et famam nostram, neque per se est medium aptum ad defensionem aut reparationem eiusdem: ergo lege naturali duellum honoris causa susceptum vetatur.

Ad Mai. — Ponitur duplex medius terminus in argumento: prior per se solum ad probandum sufficit; alter per se solum sufficit pro omni casu praeter casum exceptionalem in decursu explicationis indicandum, pro quo recursum habemus ad priorem terminum medium. Neque excluditur quod argumentum datum pro prima parte thesis valet etiam pro secunda parte. In praesenti ex defectu proportionis inter mortem et bonum assecurandum, et ex ineptitudine duelli ad efficacem assecurationem arguimus.

Ad primum. Quamvis in exercitio coactionis liceat infligere aliquod damnum aggressori, quia sine tale damno vix possibile est ullum coactionis exercitium, tamen non datur exigentia talis licentiae, si sit damnum infligendum ultra proportionem boni assecurandi, et proinde tale damnum stat prohibitum generali praecepto legis naturalis ne alteri damnum inferatur. Demum notandum est argumentum procedere contra illum cuius ius honoris aut famae sit invasum aut invasione minitetur, siquidem violanti honorem aut famam alterius nullum in casu ius coactivitatis inhaeret.

Ad secundum. Coactio est in genere contra ius libertatis illius contra quem exercetur, et proinde lege naturali prohibetur nisi in quantum sit medium aptum (sicuti et necessarium) ad ius aliquod aut defendendum aut reparandum: ad vindictam enim personalem individuo coactio non conceditur sed auctoritati publicae reservatur, quia ut persona laesa sit simul prosecutor, testis, iudex et sententiae executor in re sui honoris offensi (in qua mens ordinarie praeiudicatur) iustitiam fere semper impossibilem redderet, et actio talis, qua iustitiam servari vix possit, lege naturali ob bonum commune prohibetur.

Ad Min. — Ad primum. Non datur proportio, quia mors est irreparabilis, honor aut fama laesa non ita; sine vita nequit quis promovere finem communem humanae vitae, neque augere divinam gloriam aut meritum beatitudinis, sine honore autem et fama haec omnia fieri possunt, et secundum haec suprema bona mensurandus est valor cuiuscunque alterius boni sive intrinseci sive extrinseci; vita sine honore et fama iniuste denegatis, utpote adhuc fundamentum ceterorum omnium bonorum tum intrinsecorum tum extrinsecorum super terram, maius bonum est quam honor et fama postuma, praeiudicio sat communi in contrarium non obstante: demum damnum inflictum auctoritati publicae per tam extremum usum privatum coactionis est, inspectis exigentiis boni communis, malum multo maius quam privati honoris et famae amissio.

Ad secundum. Finis duelli est aut probare nos habere aliquam excellentiam humanam negatam, aut efficere ut agnoscatur aut divulgatur. Iam vero duello non demonstratur ulla excellentia humana nisi forte fortitudo animae et quod quis sit peritior adversario in usu armo

rum. Sed fortitudo animae est aut physica aut moralis; physica non probatur, quia potest homo physica fortitudine carens ex morali fortitudine duellum ingredi, et ceteroquin physica fortitudo non est excellentia specifice humana sed homini cum pluribus bestiis communis; neque probatur moralis fortitudo, siquidem ex morali pusillanimitate potest homo aeque duellum ingredi ac ex morali fortitudine. Quodsi dicatur aut unam aut alteram probari alternative, respondetur non est medium aptum quod non probat determinatam excellentiam, et quidem excellentiam specifice humanam determinatam prae excellentia homini cum bestiis communi. Quoad probationem superioris peritiae armorum, vix possumus negare duellum per se esse medium aptum: unde non volumus arguere ex hoc medio termino contra duellum pro hac sola excellentia defendenda, sed reiicimus duellum etiam in hoc casu propter defectum proportionis inter damnum infligendum et hanc excellentiam. Deinde victoria unius non efficit agnitionem ullius excellentiae, quia mors alterius non est signum agnoscens, neque necessario alio signo moriens agnoscet: quodsi dicatur ipsum ex condicto facto victoris excellentiam libere agnosciturum esse post victoriam alterius, dicimus ipsum aut cognoscere te habere excellentiam disputatam aut non: si non cognoscat, victoria tua non demonstrat ipsi nisi tuam armorum peritiam (de qua transmisimus quaestionem ad alium terminum medium supra explicatum) et manifestatio agnitionis ab eo qui vere non credit alium habere excellentiam non est vera illa agnitio quae honor est; si iam cognovit victoris excellentiam et nihilominus negavit, securitas de praesenti agnitione stat in fidelitate eius ad condictum in praesentia imminentis mortis. Unde (excepta quaestione de peritia armorum) victoria est effectivum medium solummodo si adversarius

non subito moriatur, vere cognoscat victoris excellentiam, et fidelis erit condicto in praesentia mortis ; atqui medium ita conditionatum nequit dici medium per se aptum ad finem: ergo duellum non est medium per se aptum ad efficiendum agnitionem excellentiae seu ad honorem. Ad divulgandam agnitionem nostrae excellentiae, admittimus victoriam in duello posse propagare notitiam nostrae armorum peritiae, sed nullius alterius excellentiae nostrae: neque agnitionem factam a moriente adversario neque mortem eius admittimus revocare per se infamiam quam honorem nostrum infitiando propagaverit: etenim duellum et mors eius magis propagabunt totam historiam prout includat illam infamiam et neque audientibus de falsitate infamiae per se suadebunt. Unde (excepta fama peritiae armorum) duellum non est aptum medium ad defendendum aut ad reparandum famam nostram inquinatam.

Quodsi dicatur omnia ista per se esse vera, sed per accidens in adiunctis (v. g. militaribus) in quibus aliqui versantur, de facto famam (quantumvis iniuste) perdere duellum recusantem, et verum, licet per accidens, medium de facto quidem necessarium ad famae defensionem esse ipsum duellum; et quod peius est sine fama illa ita salvata necessarium ipsi esse professionem suam renuntiare et vitam per obscurum transmittere: respondemus argumentum de medio inepto vix valere in hoc per accidens casu, et recurrendum est ad alium medium terminum de carentia proportionis, quo posito constat medium illum, per accidens aptum, ceteroquin esse iniustum et proinde illicitum.

*Confirmatur.* — Severissimae factae sunt leges inter quam plurimas nationes contra praxim duellandi, quae insuper specialiter damnatur censura Catholicae Ecclesiae,

cuius decreta apud Ferretti (edit. altera, vol. 2, p. 277) legi possunt.

*Ad Difficultates.* — Notanda. 1. Negatur paritas inter duellum honoris causa et resistentia contra iniustum vitae nostrae aggressorem usque ad eius necem, quia duellum non est medium necessarium, neque honor aequiparandus vitae, neque est duellum medium aptum ad honoris defensionem.

2. Neque evitatur malitia duelli eo quod nulla est iniuria facta quum uterque contendens acceptet certaminis conditiones; quia malitia non venit ex iniuria homini facta sed Deo per usurpationem dominii vitae in iis conditionibus ubi deficit in natura fundamentum eius concessionis.

3. Nationi non licet bellum inire ob defensionem sui honoris, sensu stricto et praecisivo sumpti, sed ob aggressionem suae auctoritatis sine qua nequit iura sua suorumque civium iura et vitas protegere: unde deficit paritas duelli, quod non versatur de medio necessario ad defensionem vitae et ceterorum quae vitae aequiparari possunt, et insuper bellum non factum est ex condicto, sicut duellum, et tandem, natio non potest alteram altiorem auctoritatem invocare humanam, sicut individuus homo potest, et demum exercitium coactivitatis a natione factum eamdem non dicit deordinationem quam dicit individuale exercitium.

4. Publica auctoritas ob violationem solius honoris individui reum morte plectere licite non potest: unde neque potest homo privata sua auctoritate; insuper paritas deficit, quum individuus publicam possit invocare auctoritatem. Immo, data et non concessa potestate publica ita faciendi et impossibilitate eius invocationis, pri-

vatum exercitium talis coactionis nimis periculosum est bono publico, ut individuo permittatur.

5. Contractus factus in condicto ut victus sive per sese sive per amicos suos omnia faciat quae fieri possint ad reparationem honoris laesi, non certo reddit duellum aptum medium efficacis reparationis; et praeterea non removet factum quod tale coactionis exercitium non sit individuo necessarium, neque quod damnum mortis in victo non proportionetur honori laeso in victore.

**THESIS XXXVIII. — Lege naturali vetatur quaevis locutio contra mentem, seu mendacium.**

Cf. D. Thom., 2, 2, q. 110, a. 3: Costa-Rossetti, thes. 100; Ferretti, thes. XCVII.

*St. Qu.* — Agitur in thesi de officio hominis in usu loquelae: constat penes libertatem physicam hominis esse locutionem veram, falsam, et aequivocam; quaeritur utrum penes libertatem eius moralem etiam sit. De aequivoco agetur in proxima thesi, in praesenti de falso. Ad verum autem locutione proferendum neque ius neque a fortiori officium homo semper habet, siquidem interdum talis locutio esset detractio alterius, aut proditio eius secreti, quarum utraque prohibetur, et interdum esset prolatio sui secreti ad cuius occultationem ius habere potest. Verum tamen est bonum intellectus humani et proinde interdum homo ius habere potest ad eius communicationem; ita iudex ius perfectum habet ad verum ex teste obtinendum: in genere quidem homo officium habet verum proferendi quando ceteroquin aliud quodvis officium sine tali prolatione implere nequit. Officium loquela verum manifestandi est officium veraci-

tatis affirmativum, de quo in thesi non agitur. Officium autem datur veracitatis negativum, scilicet falsum loquela non proferendi, cui officio opponitur mendacium de quo agetur in praesenti thesi: etenim probare opus est exstare tale officium.

Mendacium communiter a Catholicis auctoribus definitur locutio contra mentem. Locutio est usus vel expressio vocum (aut aliorum signorum ad iudicia nostra exprimenda ordinatorum), iudicii manifestativa, alteri facta. Unde excluditur simulatio, de qua in scholio, quia est usus factorum aut rerum non ad exprimenda iudicia nostra sed ad significandum de nobis ipsis contrarium vero. Itemque verba nihil significantia, confusa nempe aut absurda, non sunt locutio, siquidem non manifestativa iudicii. Neque verba sibi secreto prolata dicuntur locutio sed soliloquium, quia non alteri sed sibimet ipsi facta. Contra mentem locutio ea est quae per se, seu ex intentione loquentis, exprimit negationem iudicii quod formaliter in mente est, seu iudicii cui mens assentitur; per se negationem exprimit, quia contrarietas supponitur esse in actu qua humanus est, secus non esset materia morum, et ea contrarietas, quae praeter intentionem loquentis, seu per accidens, invenitur in loquela, non est in ea qua actus humanus est. Unde interdum additur definitioni *scienter* vel *deliberate* contra mentem, sed hoc, utpote obvie suppositum, non requiritur expressum. Negatio dicitur iudicii loquentis, ut distinguatur a negatione obiectivae veritatis, quia contra mentem esse debet, quod non idem est ac contra rem; locutio quae est contra rem seu contra obiectivam veritatem dicitur falsiloquium; sed licet loquela materialiter falsa falsiloquium semper sit, non est formaliter qua loquela falsa nisi sit, et in quantum sit, contra iudicium mentis, siquidem proximus

et primarius finis loquelae est exprimere ea quae in mente sunt. Demum negatio illa debet esse iudicii quod formaliter in mente est: *iudicii,* quia mens sumitur praecise secundum actum suum in quo attingit perfecte verum, quod est iudicium (nam veritas quae attingitur in simplici apprehensione est ab ea inseparabilis); et quidem *iudicii* quod *formaliter* in mente est seu cui mens assentitur, quia hic vere est iudicium mentis, et non illud iudicium quod tantum repraesentatur in mente in ordine ad efformandum loquelam quae est contra suum assensum; hoc ultimum iudicium est tantum materiale iudicium in mente et non formale mentis iudicium. In concreto igitur locutio contra mentem est propositio ex intentione loquentis repraesentans iudicium quod est negatio illius iudicii cui mens assentitur.

Supra data definitio licet communis inter Catholicos auctores non ab omnibus moralistis acceptatur. Probatur tamen a Patre Costa-Rossetti (loc. cit.) esse secundum communem usum hominum. Etenim secundum communem omnium persuasionem mendacium sermoni veraci opponitur; sermo autem verax secundum omnes est sermo menti conformis: ergo mendacium secundum usum communem est sermo menti difformis, seu locutio contra mentem. Item definitio mendacii debet esse illud elementum quod, subtractis differentiis specificis, invenitur in diversis speciebus mendacii communiter acceptis; atqui id quod ita commune est mendacii speciebus, mendacio nempe pernicioso, officioso et iocoso, est locutio contra mentem. Tandem aliquando ut excludatur officii (quod statuere volumus) evitatio per ambages definitionis, posuimus in thesi omnem locutionem contra mentem esse lege naturali prohibitam; unde etiamsi quis non velit

nominare omnem talem locutionem mendacium, officium quod statuemus evitare non potest.

S. Augustinus (De Mendacio, cap. 4) definitionem tradit « enuntiatio falsi cum voluntate ad fallendum prolata manifestum est mendacium ». Iam vero deceptio alterius est malum et proinde, quando finis alicuius actus est, facit illum actum malum ex fine; sed locutio contra mentem, uti notat S. Thomas, est mala ex obiecto, antecedenter et independenter a fine loquentis, quod nostrum erit in thesi proba e. Re quidem vera omnes consentiunt mendacium adesse in casu quando quis deliberate falsum dicit sine ulla expectatione decipiendi et proinde non ad illum finem, sed mere ut ipse ex ore suo de reatu non convincatur, ubi habetur locutio contra mentem sine intentione fallendi. Ceteroquin ipse S. Augustinus (Lib. Retract. 1, 27) de suo libro « De Mendacio » scribit: « Et obscurus et anfractuosus et omnino molestus mihi videbatur, propter quod eum non ediderim ».

Grotius, quem sequebatur Puffendorf, plures Novatores, et inter recentiores tum Protestantes plures tum aliqui pauci Catholici, definivit mendacium locutionem contra verum debitum, et posuit totam eius malitiam in violatione iuris alterius qui in casu ius ad veritatem habet. Unde quando persona cum qua loquimur ius ad veritatem a nobis accipiendam non habet, licita nobis est iuxta Grotium enuntiatio falsi; ideoque tanquam licitum permisit falsum dicere infantibus, et consolationis gratia aegrotis et desolatis; talem locutionem contra mentem permisit etiam principibus et superioribus respectu subditorum, et in genere cuivis ad salvandam vitam innocentis vel ad aliud bonum proportionatum assecurandum. Inter recentiores non omnes eousque procedunt, sed distinguendo inter mendacium proprie dictum, ut aiunt,

quod est negatio debitae veritatis, et falsiloquium, quod suo sensu est locutio contra mentem quando veritas ex loquente non debetur, reprobant prius illud ex iniustitia facta contra debitum, alterum repudiant extra casum necessitatis propter malum physicum alteri factum (errorem nempe in mente eius causatum) et propter naturalem rerum ordinem perturbatum et propriam dignitatem non conservatam: in casu autem necessitatis, i. e. quando grave damnum, sive temporale sive spirituale, ex aperta veritatis declaratione praevidetur oriturum, nobis permittunt his verbis aut signis uti quae proximum in errorem inducant, si damnum aliter averti nequit. Secundum hanc sententiam igitur licita est non tantum restrictio illa mentalis quae non inducit proximum, sed ipsi occasionem praestet sese inducendi, in errorem, sed etiam illa restrictio quae est illorum falsiloquium, (locutio vere contra mentem) quae sola restrictio vere inducit proximum in errorem. Hoc principium defendunt ex eo quod loquens non intendit, ut finem, malum physicum alterius (errorem nempe inductum seu deceptionem) sed suam defensionem; et malum alteri factum, quod aiunt esse effectum per accidens nostrae actionis, dicunt esse minus quam malum nobis aut aliis consequendum ex manifestatione veritatis, addendo praeterea quod proximus decipitur ex eo quod non attendit omnibus adiunctis. (Cf. Tanquerey, Synopsis Theologiae Moralis et Pastoralis, tom. 3, nn. 411 ad 414). Iam vero si locutio contra mentem, seu ita dictum falsiloquium, ibi adhibetur, eligitur ut medium defensionis: nos autem tenemus in thesi omnem locutionem contra mentem esse intrinsece malam, et proinde eius electionem ut medii etiam in illo casu non esse licitum.

Triplex distinguitur mendacium, perniciosum, officio-

sum et iocosum. Perniciosum illud est quod alteri specialem infert iniuriam, i. e. iniuriam praeter generalem iniuriam quae fit inducendo intellectum eius in errorem. Officiosum est quod sibi vel alteri emolumentum aliquod affert. Non est confundendum officiosum mendacium cum mendacio officiali, quod est mendacium prolatum ab officiali sive privato sive publico in sui officii impletione, sive illud sit perniciosum, officiosum sive iocosum. Neque confundendum est cum quibusdam locutionibus quae secundum hominum conventionem (unde tandem aliquando venit significatio verborum) habent in determinatis quibusdam adiunctis prolatae diversam significationem quam communiter in ceteris omnibus adiunctis habent; talia sunt responsa « foris » aut « occupatus » visitanti annuntiata, « non sum reus » ab accusato coram tribunali dictum: talia responsa non sunt locutiones contra mentem siquidem in suis adiunctis iudicium enuntiant quod vere illud est cui mens loquentis assentitur. Iocosum mendacium illud est quod ad risum provocandum recreationis causa profertur: huc non referendae sunt fabulae neque novellae fictae, siquidem verba in his prolata non stant ut manifestativa iudiciorum nostrorum sed phantasiae figmentorum quae vere ita representantur, et verba nostra ut ita repraesentativa secundum conventionem humanam determinantur.

Licet omne mendacium moraliter malum esse teneamus, gravem malitiam cuiuscunque non asserimus: per se enim leviter mala est locutio contra mentem qua talis; gravitas ei advenit ex addita malitia iniuriae speciali factae alteri sicut invenitur in mendacio pernicioso.

Contra thesim praeter Grotium eiusque sequaces invenimus Platonem, Origenem et Cassianum qui censuerunt mendacium ob bonum finem simpliciter licitum esse.

Probatur. — Arg. 1. Lege naturali vetatur actio intrinsece mala; atqui quaevis locutio contra mentem est actio intrinsece mala: ergo lege naturali vetatur quaevis locutio contra mentem.

Ad Min. — Intrinsece malum est adhibere medium naturale ita ut frustretur eius finis operis; atqui locutio contra mentem est naturalis medii usus talis qui finem operis in loquela frustret: ergo locutio contra mentem est actio intrinsece mala.

Ad Mai. — Hoc est principium summi momenti in re morum, principium nempe frustratae naturae. Enimvero intrinseca malitia stat in frustratione communis finis humanae vitae, adaequati nempe finis a Deo intenti efficiendi in terris activitate humana: in medio naturali invenitur finis proximus (a Deo intentus) in fine operis illius medii; unde si illud medium homo adhibet secundum eius finem operis agit secundum finem intentum a Deo respectu illius medii; si vero ita adhibet ut frustretur eius finis operis agit in tanto contra finem divinitus intentum et eousque frustrat communem finem humanae vitae. Ita si homo adhibet suum intellectum. non ad veritatem adipiscendam (qualis est in intellectu finis operis) sed errorem prosequendo, actio intrinsece mala est: ita etiam commessatio aut potatio adhibita non ad conservationem vitae sed eo usque ad eius nocumentum sunt pariter actiones intrinsece malae, sicut et ex frustratione finis operis intrinsecae malae sunt masturbatio et pollutio sexualis.

Ad Min. — Locutio, prout hac vel illa lingua nationali, aut signis his vel aliis, utitur, est quidem quid conventionale; sed in sua ratione fundamentali est donum naturae, medium naturale. Finis operis eius est ut sit complementum naturale intellectus hominis ad eius

conceptus ad extra repraesentandos, seu ad exprimendum iudicium cui mens eius assentitur; atqui quaevis locutio contra mentem est locutio quae non repraesentat iudicium cui mens loquentis assentitur, et proinde frustret suum finem operis; ergo locutio contra mentem est usus medii naturalis qui finem operis in illo medio frustret. Confirmatur ex eo quod si secundum finem operis illud medium naturale posset difforme esse a iudicio mentis, ipse Deus qui ordinavit illud medium naturale secundum finem operis esset causa cui imputari posset illa falsi prolatio, quod nefas est asserere.

Arg. 2. — Intrinsece malum est (et proinde lege naturali vetitum) inducere alium in errorem; atqui locutio contra mentem inducit alium in errorem: ergo locutio contra mentem intrinsece mala est et lege naturali vetita.

Ad Mai. — Quia est frustrare finem operis in alterius intellectu. Finis enim operis cuiusvis intellectus est assentire vero: qui igitur inducit errorem in intellectum sive suum sive alterius, siquidem causat assensum mentis falso praestari, frustrat eius finem operis. Intellectus autem est medium naturale ordinatum a Deo ad communem finem humanae vitae per finem suum operis; frustrando ergo illum homo frustrat communem finem vitae humanae, quae frustratio est intrinseca malitia in humano actu.

Ad Min. — Quum sit naturalis tendentia in hominead credendum locutioni proximi, per se semper credit seu acceptat tanquam loquentis iudicium quod locutione illa repraesentatur: quod si locutio sit contra mentem, repraesentat iudicium quod non est loquentis et non repraesentat iudicium cui loquens assentitur, et proinde causat errorem in mente proximi. Si proximus

de facto non credat, non inducitur in errorem; sed hoc esset per accidens, et actio loquentis, prout voluntaria est et ipsi imputabilis, procedit secundum suum per se effectum.

*Confirmatur.* — Contra generalem liceitatem locutionis contra mentem valet argumentum ex eo desumptum quod destrueret fidem et fiduciam inter homines quae utpote necessaria ad vitam nostram socialem, necessaria sunt ad finem communem humanae vitae, in ordine ad quem habemus tendentiam naturalem et in genere obligationem vitae socialis. Hoc autem argumentum forsan non valeat ad excludendum mendacium in iis praesertim adiunctis necessitatis ab adversariis allatae, quia forsan sub restrictionibus illius necessitatis adhibita talis locutio contra mentem non destrueret fidem et fiduciam inter homines. Diximus forsan, quia non admodum clara est res; sed tamen stante illa possibilitate non possumus urgere argumentum praesens universaliter cum illa certitudine quam volumus habere pro thesi.

*Corollarium.* — Neque Deus nobis mentiri unquam potest, sicuti posset per accidens pro nostro bono maiore interdum facere, si malitia mendacii esset solummodo ex violato iure audientis, siquidem ius illud per supremum suum dominium posset Deus in casu evacuare ad maius nostrum bonum.

*Scholion.* — Simulatio malitiam habet inducendi proximum nostrum in errorem, quia in simulatione tum intentio nostra tum per se actus nostri tendunt in eius deceptionem.

*Ad Difficultates.* — Arguitur: 1. Datur in nobis naturalis aptitudo, et interdum tendentia et exigentia ad mendacium; ergo est interdum secundum naturam et licitum. R. Tendentia illa non est naturalis, quia non na-

turaliter ordinata, neque est illa exigentia ad finem absolute efficiendum. Nam ordinata tendentia loquelae est secundum quod sit naturale complementum mentis nostrae, ideoque ut repraesentet iudicium cui assentimur: exigentia autem illa est necessitas defendendi nostrum aut alterius ius; sed illa necessitas non fundat neque obligationem legis naturalis (neque potestatem ab ea concessam) ad ius defendendum per quodlibet medium, sed per media quae non frustrent communem finem humanae naturae.

2. Mendacium est naturale medium interdum necessarium ad defensionem iuris proportionati; ergo licitum. R. Necessarium, transeat: naturale, i. e. secundum physicam potentiam naturae, conceditur; i. e. secundum ordinatam potentiam naturae et proinde secundum ius naturale, negatur. Quoad necessitatem, non clare constat iura nostra non posse semper defendi restrictione late mentali (quae quidem licita est) ubicunque mendacium ea defenderet; sed etiam si non posset, hoc tantum probat nos non semper posse efficaciter omnia nostra iura contra iniustum aggressorem defendere, quod in aliis satis evidens est.

3. Contra iniustum aggressorem licitum est defensio cum nece eius, et error alterius minus malum eius est quam mors: ergo in parili necessitate eum in errorem inducere licitum est. R. Negatur paritas, quia mors eius est penes dominium Dei qui potest ius ad illam nobis concedere: error eius est frustratio finis operis in eius intellectu, quam ipse Deus nequit facere et proinde neque nobis concedere ius faciendi.

4. Inducere in errorem est malum physicum infligere; quod licitum est ad evitandum maius malum physicum et a fortiori malum morale. R. Inducere in errorem non est malum physicum tantum, sed etiam malum mo-

rale, uti probavimus in secundo argumento thesis. insuper etiam si esset tantum physicum, medium quo producitur, mendacium nempe, est malum morale ex antecedente ratione quod frustrat finem operis in loquela.

5. Finis loquelae est inservire vitae nostrae sociali; atqui interdum melius inservitur vitae sociali per mendacium quam per locutionem veram. R. Finis eius est quomodolibet inservire vitae sociali, negatur; inservire per finem suum operis, repraesentando iudicium cui mens loquentis assentitur, conceditur.

6. Ex communi consensu permittitur mendacium in quibusdam adiunctis necessariae defensionis: ergo. R. Ex consensu uniformi, constanti et universali hominum, negamur. Ex consensu communi eorum qui doctrinam Grotii magis minusve acceptaverint, conceditur.

**THESIS XXXIX. — Restrictio stricte seu pure mentalis semper est illicita: ad defensionem autem secreti interdum licita est restrictio late mentalis.**

Cf. Costa-Rossetti, thes. 101; Ferretti, thes. XCVIII.

*St. Qu.* — Restrictio mentalis est locutio (seu in concreto propositio) quae non, in quantum de se est, efficaciter alteri mentem seu iudicium loquentis communicat: ita denominatur quia mentem seu iudicium loquentis restringit non communicando alteri. Restrictio pure aut stricte mentalis est propositio, quae nullo modo, neque ex signis ipsis, neque ex adiunctis in quibus signa proferuntur, iudicium mentis repraesentat: ita denominatur quia iudicium totaliter in mente cohibetur et nullo modo proditur; talis locutio neque potentialiter communicat iudicium, quia quum in ipsa nullo modo repraesentetur

iudicium, talis locutio neque potentiam audienti praestat unde iudicium addiscat. Quidam, qui frustra volunt discriminare inter restrictionem stricte mentalem et mendacium, eam definiunt tanquam restrictionem intra mentem aliquorum verborum, quae si locutioni prolatae adderentur, haec ita aucta iudicium repraesentaret: id autem puerile est neque salvat talem locutionem a malitia mendacii, uti apparebit in argumento nostro. Restrictio late mentalis in abstracto est locutio quae, dum iudicium mentis repraesentat, aliud simul iudicium repraesentat; unde licet potentialiter iudicium communicat, non illud communicat efficaciter in quantum de se est: in concreto est propositio aequivoca, sive ex signis prolatis sive ex adiunctis in quibus proferuntur, talis ut unum ex iudiciis in aequivocatione repraesentatis sit revera illud iudicium cui mens assentitur. Dicitur restrictio mentalis quia mens seu iudicium mentis cohibetur ab efficaci proditione seu a communicatione; dicitur late mentalis quia iudicium non totaliter cohibetur intra mentem sed proditur in locutione, licet aequivoce; unde de se efficax non est talis locutio ad iudicium communicandum. Si ambiguitas sit ex ipsis verbis aequivocis propositionis, vocatur aequivocatio verbalis; si tantum ex adiunctis prolationis oriatur ambiguitas, nuncupatur aequivocatio realis, quia aequivocatio propositionis provenit ex *re* aliqua.

Secretum est veritas cognita cuius cognitionem ius aut officium habetur alteri non communicandi. Ius habetur veritatem cognitam alteri non communicandi, quando illa veritas versatur circa ea quae alicuius hominis tam propria sunt ut illius veritatis communicatio aut causa aut occasio sit damni vel iniuriae ipsi consequendae. Officium habetur veritatem non communicandi quando

eius manifestatio sit causa aut occasio damni aut iniuriae alteri consequendae, sive uni, sive pluribus, sive toti communitati. Distinguuntur secretum naturale, promissum et commissum. Naturale secretum est cognita veritas quae de natura materiae suae ad determinatam personam pertinet, quatenus nondum communiter divulgatur, ad eam alius ius non habet, et eius communicatio operaretur damnum aut iniuriam ipsi: ita cognitio de vita privata alicuius personae, de rebus eius dominii aut negotiationis, de rebus privatis Status sive domestlcis sive diplomaticis, praesertim tempore belli, et tandem de rebus quarum curam aliquis habet ratione sui officii et quae simul sunt de natura sua illi privata cuius nomine vel gratia aliquis sit officialis. Secretum promissum est cognitio nondum publica, quam, licet ego acquisiverim, alteri promissus sum me aliis non esse communicaturum. Secretum commissum est secretum ab uno communicatum alteri sub conditione sive expressa, sive tacita, aliis illud non communicandi. Non potest esse quaevis veritas ita communicata, sed opus est ut simul non sit publicae iam notitiae, neque tertio nota a quo sine conditione eam occultandi nobis communicatur, et demum talis ut eius communicatio damnum aut iniuriam alicui infligeret. Huiusmodi secretum etiam denominatur secretum consilii (aut etiam professionale) quia communiter alteri committitur ab aliquo petente consilium ab ipso: praesertim valet de cognitione privata nostra data medico, iurisperito aut alteri tali cuius ex professione sit consilium dare. Eousque secretum consilii est de iure naturali: datur autem secretum commissum de iure supernaturali, et partim positivi iuris divini, secretum nempe confessionis sacramentalis, in quo involvitur ius Christi ad protectionem sacramenti: hoc secretum manifestare nunquam licet,

nisi ex expressa confitentis permissione, et etiam cum illa nonnisi si fieri possit sine periculo odii sacramenti.

Licita restrictio late mentalis practice restringitur ad defensionem secreti, siquidem si adhibeatur ad alterius iuris defensionem, haec defensio non fit nisi mediante secreto: attamen non semper licita est etiam ad secreti defensionem, sed tantum interdum, i. e. sub determinatis conditionibus. Ad licitam talem restrictionem praeter verum secretum defendendum duplex requiritur verificanda conditio, una negativa, altera positiva. Negativa conditio est ut a loquente effectiva manifestatio veri cogniti non exigatur lege aliqua iusta: talis lex obligare potest aut ex iustitia, ut e. g. (servatis in iure servandis) coram tribunali vel superiore, aut ex fide, ut in casu contractus efficiendi, aut ex caritate, quoties gravis iniuria alteri vel toti communitati impendat, quae averti potest manifestatione secreti. Positiva conditio est ut restrictio illa sit medium necessarium ad proportionatum secretum defendendum; ratio huius est quia restrictio illa ponit occasionem erroris in altero, et malum illud, licet sit effectus tantum per accidens, est loquenti voluntarium et proinde imputabile, quando exstat praeceptum contra illam occasionem ponendam praecise ne malum tale sequatur; praeceptum illud de facto datur in omni casu praeter eum in quo actio nostra (quae est occasio) necessaria est ad defensionem boni proportionati nostri aut alterius.

Probatur A. — Nunquam licita est restrictio stricte mentalis.

Arg. 1. — Nulla locutio contra mentem unquam licita est; atqui restrictio stricte mentalis est locutio contra mentem: ergo nunquam est licita.

Ad Mai. — Constat ex praecedenti thesi.

Ad Min. — Locutio quae nullo modo repraesentat iudicium quod in mente est, locutio est contra mentem; atqui restrictio stricte mentalis nullo modo repraesentat iudicium quod in mente est: ergo est locutio contra mentem.

Ad Mai. — Locutio enim aliquod iudicium repraesentat et si talis est ut excludat iudicium quod in mente est, practice est negatio illius iudicii et proinde contra mentem.

Ad Min. — Constat ex definitione restrictionis stricte mentalis.

Arg. 2. — Illa locutio illicita est quae per se causat errorem in mente alterius; atqui restrictio stricte mentalis per se causat errorem in mente alterius: ergo illicita est.

Ad Mai. — Probatur in secundo argumento praecedentis thesis.

Ad Min. — Repraesentat enim negationem iudicii quod in mente est et proinde per se ex natura loquelae producit in mente alterius negationem illius iudicii, quae negatio error est.

Probatur B. — Licita est restrictio late mentalis necessaria ad defensionem secreti iure defensibilis.

Arg. — Licitum est ponere effectum qui non est in se malus, neque causa mali per se sed tantum per accidens, dummodo non exstat praeceptum non ponendi eum praecise ne malum illud sequatur; atqui restrictio late mentalis est effectus qui non est in se malus, neque causa mali per se, sed tantum per accidens, et quando est necessaria ad defensionem secreti iure defensibilis, non exstat praeceptum eam non ponendi ne malum illud sequatur: ergo quando ad defensionem secreti iure defensibilis necessaria est, licita est restrictio late mentalis.

Ad Mai. — Quia malitia actus ponendi talem effectum et consequens prohibitio venirent solummodo ex illo malo cuius causa per accidens est, et hoc malum non est voluntarium: non in se, quia non intenditur; non in causa, quia non verificantur conditiones necessariae ad voluntarium in causa.

Ad Min. — Non est in se malus, quia non est locutio contra mentem, siquidem de facto repraesentat iudicium quod in mente est. Non est per se causa erroris, quia non inducit audientem in errorem sed tantum ponit occasionem illi se ipsum decipiendi: non exstat praeceptum, quia lex non obligat nos evitare occasionem mali pro altero individuo quando ad talem evitationem necessarium esset sacrificare ius nostrum proportionatum, qualiter in casu supra posito esset necessarium; et in quantum ad exigentias ob bonum commune civitatis, bonum commune sociale magis exigit defensionem iusti secreti quam evitationem merae occasionis erroris.

*Ad Difficultates.* — Arguitur: 1. Restrictio stricte mentalis non violat ius alterius, neque loquens malum intendit alteri, et malum quod huic praeter intentionem loquentis fit, minus malum est quam illud quod ex manifestatione veritatis sequeretur: ergo licita est. R. Transeat antecedens, et negatur consequens. Negatur consequens propter falsam suppositam praemissam in illo enthymemate, nempe quod sola malitia restrictionis talis stat in privatione iuris audientis, aut in intentione erroris eius, aut in defectu proportionis inter malum illius erroris et malum proditi secreti; etenim intrinseca malitia habetur extra illas rationes in usu loquelae cum frustratione finis operis eius. Transmittitur antecedens, quia etiam si non violatur ius ad addiscendam veritatem secretam, siquidem ius non habeat alter ad illam verita-

tem, violatur ius inalienabile eius ut error non producatur in eius mente; item licet error productus non sit finis ultimatim intentus, est tamen voluntarius, quia effectus est, non per accidens sed per se restrictionis stricte mentalis; etenim quum haec locutio unum tantum iudicium repraesentet, per se producit in mente alterius assensum huic iudicii, qui assensus, siquidem iudicium illud falsum est, errorem constituit. Demum error voluntarie productus est non tantum damnum alterius sed est etiam malum morale, et comparatione facta cum proditione secreti, talis proditio non est malum morale, si factum est ex eo quod sine medio moraliter malo evitari non potest; ceteroquin non clarum est, hoc medium, nempe restrictionis stricte mentalis, esse necessarium, siquidem restrictio late mentalis fore medium sufficiens videtur.

2. In casu restrictionis stricte mentalis error est effectus per accidens, quia alter potest adiunctis attendere et ita errorem evitare. ℟. Error non est per accidens effectus loquelae, nisi loquela ipsa ex adiunctis sit aequivoca, et tunc non amplius est restrictio stricte mentalis, sed late tantum; manente autem stricte mentali, si audiens per accidens evitet errorem, hoc non praevenit quominus error sit effectus per se illius restrictionis, quia, quum tantum unum iudicium ab ea repraesentetur, restrictio illa natura sua tendit et ordinatur ad producendum illum iudicium (falsum in casu) in mente alterius.

3. Cum restrictione stricte mentali actus qui ponitur bonus est, scilicet defensio iuris nostri, cum duplici effectu, uno bono, salute nempe temporali vel spirituali defendenda, altero malo qui est error proximi; atqui licitus est actus bonus cum duplici tali effectu: ergo licita est restrictio stricte mentalis in casu talis defensionis. ℟. Negando actum positum esse bonum; etenim defensio non

nominat actum sed finem et effectum actus; actus ipse est locutio contra mentem cuius per se et primarius affectus est repraesentare tanquam in mente iudicium quod in mente non est, et cuius secundarius per se effectus est causare errorem in intellectu proximi, qui actus propter utrumque illum effectum est intrinsece malus, uti in thesi praecedenti probavimus.

4. Restrictio etiam late mentalis frustrat finem loquelae, qui est verum manifestare, quod talis restrictio non manifestat. R̷. Negatur antecedens, et distinguitur ratio addita; finis loquelae est manifestare verum (scilicet iudicium quod in mente est) i. e. repraesentare et ita potestative manifestare verum, conceditur; est effective manifestare verum, negatur: etenim effectiva manifestatio veri pendet ex actione et intelligentia etiam audientis. Iam vero restrictio late dicta de facto repraesentat verum, et defectus effectivae manifestationis non provenit sine defectiva apprehensione audientis.

5. Talis restrictio proximum decipit, quod non est licitum. R̷. Negatur primum assertum. Restrictio non decipit, sed audiens se ipsum decipit non distinguendo inter duo iudicia repraesentata in illa loquela.

6. Saltem ponit occasionem deceptionis, quod licitum non est. R̷. Conceditur primum assertum: alterum distinguitur: nisi occasio illa sit effectus alicuius actus ad quem ius habemus, et qui insuper necessarius est ad exercitium iuris nostri respectu boni proportionati, conceditur; si sit effectus istiusmodi actus, negatur.

7. Usus restrictionis late mentalis tendit ad destructionem fidei et fiduciae socialis. R̷. Distinguendo, promiscuus usus eius ad lubitum, conceditur: usus solum quando stricte necessaria est ad defensionem secreti proportionati et iure defensibilis, negatur.

8. Non magis destruit talem fidem et fiduciam restrictio stricte mentalis admissa solummodo in iisdem adiunctis, et tamen reprobatur ut illicita. R. Transeat primum assertum: distinguitur alterum; reprobatur praecise propter illam rationem, negatur; et reprobatur propter intrinsecam suam malitiam in frustratione finis operis loquelae, et in directa causalitate erroris, conceditur.

*Scholion 1.* — Sicut simulatio supra aequiparatur mendacio et cum ipso prohibetur, ita aequiparamus dissimulationem restrictioni late mentali et in iisdem adiunctis cum illa permittimus. Etenim dissimulatio nihil aliud est nisi omissio actuum quibus sensa mentis, indoles vel character alicuius personae manifestantur; ad talem autem manifestationem non semper tenemur, et omissio illa non est causa sed tantum occasio alteri sese decipiendi, quam occasionem non tenemur in adiunctis suppositis removere.

*Scholion 2.* — Iuris perito non licet sive sua actione sive mediante teste aut cliente adhibere neque mendacium neque restrictionem stricte mentalem: interdum autem ipsi licet permittere suum clientem adhibere restrictio nem late mentalem in casu quando de iure non tenetur secretum manifestare: coram autem tribunali, neque iuris peritus, neque testis, neque ipse cliens, si rationem testis aut sponte induat aut ut induat iure obligetur, ullam restrictionem mentalem licite potest adhibere, siquidem deest conditio necessaria, quum tribunal ius strictum habeat ad efficacem manifestationem veritatis.

*Scholion 3.* — Tempore belli et in paratione defensionis militaris, necnon in controversiis diplomaticis, ius et officium exstat servandi secreta civitatis, et proinde — servatis servandis — licitae sunt restrictiones late

mentales et dissimulationes: nunquam autem mendacia licita sunt aut restrictiones stricte mentales, neque simulationes purae, eae nempe quae nullo modo ex dictis aut adiunctis praestent aequivocationem qua aequiparantur aut dissimulationi aut restrictioni late mentali. Quid igitur dicendum sit de insidiis belli, dolis, et consiliis fallacibus, pendet ex adiunctis in quibus adhibentur, videlicet, utrum necne sufficiant ad malitiam vitandam loquelae contra mentem aut directae deceptionis. Communiter loquendo belli duces et diplomatici non sunt in hac materia tenerae conscientiae, et omnia talia quae in bello et diplomatia facta sunt, tanquam licita non semper possunt defendi.

*Scholion 4.* — Interdum non tantum ius sed etiam officium habemus restrictionem late mentalem adhibendi, quando nempe secretum celandi officium habemus ut avertatur proportionatum malum ab aliis, a societate vel etiam aliquando a nobismet ipsis, nec satis per silentium nostrum obligationi facere possumus.

*Scholion 5.* — Ex supra data doctrina constat quinam sint limites lege naturali positi super libertatem quam aiunt academicam, licentiam nempe professoris quidquid velit docendi, super libertatem loquelae, seu licentiam cuiuslibet quidquid velit publice aut privatim dicendi, et super libertatem preli, seu licentiam typis edendi praesertim in ephemeridibus quidquid scribenti placeat. Si docens, loquens, scribens aut edens cognoscat ea quae proferre velit falsa esse, ipsi non licet ea proferre tanquam vera aut probabilia, quia ita reatum mentiendi incurrat: si ea esse falsa non cognoscat, quamquam de facto sunt, causa tamen erroris in aliis est, quae iniuria ipsi est imputabilis nisi invincibilis sit eius ignorantia; quod si sit eius ignorantia invincibilis, sicut et etiam in-

terdum quando ea quae profert vera sunt, publicae auctoritati subest, cuius est officium tum ob bonum commune tum ob defensionem iurium subditorum protegere communitatem a propagatione erroris et ab inopportuna divulgatione interdum etiam verae notitiae. Insuper facultas diiudicandi de tali errore pernicioso et de veritate ad tempus periculosa penes ipsam auctoritatem publicam est et non penes privatos tantum publicistas. Immo si interdum, ne illa restrictione abutantur administratores publicae auctoritatis ad civilis libertatis oppressionem, quaedam immunitas a restrictione concedatur sive in statuto fundamentali sive lege ordinaria, abusus illius immunitatis licite non potest tolerari, nisi forte et ad tempus identidem tanquam minus ex duobus necessariis malis: quod si non necessarium est unum ex duobus malis, aut si abusus libertatis in hac re non sit minus ex illis malis, licite eum tolerare non potest publica auctoritas.

## Articulus IV.

### De Proprietatis Dominio.

Dominium in genere saepius adhibetur sensu iuris: in specie sonat aut dominium iurisdictionis aut dominium proprietatis. Iurisdictio est ius super actiones liberas improprie talis est, si est ius super actiones liberas proprias; proprie talis, si super actiones alienas. Iurisdictio proprie dicta imperfecta est si est super liberas actiones aliorum quatenus hi sunt in societate imperfecta coadunati; perfecta si super liberas actiones aliorum in quantum membra sunt societatis perfectae. Dominium iurisdictionis est iurisdictio perfecta. Proprietas in genere est ius super res: improprie talis est, si est super res internas illius qui est subiectum iuris; proprie, si super res subiecto externas, et quidem non ad rem, sed in re, i. e. non ius exigendi rem aut eius valorem ab alio, sed ius assumendi sibi rem ipsam, eamque retinendi vel de ea disponendi.

Dominium proprietatis est ius proprietatis proprie dictae, et definiri potest ius bona externa materialia retinendi, adhibendi vel de iis disponendi. Duplex est, perfectum aut imperfectum, prout includit aut excludit plenitudinem illius iuris.

Dominium proprietatis perfectum definitur ius in re, sese extendens ad omnem rei usum omnemque de ipsa rei substantia dispositionem, in proprium bonum seu commodum, exclusis aliis. Ius in definitione sonat ius perfectum, et proinde eius violatio erit contra iustitiam com-

mutativam: quum vero ius a lege procedat, dominium illud erit naturale aut civile prout lege naturali aut civili principiatur. Ius in re non necessario subaudit rei possessionem, sed dicit rem ita esse cum domino vi legis connexam ut vere et proprie eius sit et potestas eius terminetur seu attingat directe ad rem ipsam et non ad eam mediante aliqua persona altera: distinguitur a possessione, quia possessio est aliqua detentio vel occupatio rei exclusis aliis, quae quidem potest esse vel legitima, i. e. cum iure, vel illegitima seu sine iure; unde ius dominii in uno potest coexistere cum illegitima possessione rei ab altero habita. Res in iure significat ens materiale et in dominio proprietatis proprie dictae ens materiale externum. Non autem extenditur ad quodvis ens tale sed tantum ad rem dominio aptam. Inepta ad dominium est res, quae nulli facto contingenti subiicitur quo dominium in eam ad aliquod subiectum in concreto determinari potest, quum talis nequeat alicui fieri propria; aut quae omnibus et singulis est necessaria ad communem usum quotidianum, siquidem rem talem lex uni appropriare non possit; aut quae ita abundanter in mundo distribuitur ut omnes et singuli sine privato dominio tantum ex ea quantum egeant habere possint, nam pro tali non suppeditat ratio cur lex uni prae aliis rem propriam faciat. Res ad dominium apta ea est quae supra dicto facto titulari subiicitur, neque singulis est ita necessaria, neque tam abundanter ut supra in mundo distributa. Uti per se constat, fundamentalis res in mundo unde nobis provenit omnia bona materialia ad vitae sustentationem vitaeque usus est ipsa terra: unde primi momenti est statuere nos habere posse aliquod dominium in ipsam terram seu in partem eius aliquam determinatam.

Inter res super quas dominium exercetur distinguun-

tur res naturalis, artificialis et mixta: res naturalis est ens materiale prout a sola natura venit, producta igitur sine ulla industria aut labore hominis; res artificialis, ea est ad quam natura tantum materiam supplet, cetera autem omnia, quae in ea sunt, industria seu labore hominis producuntur; res mixta est partim naturalis partim artificialis, quatenus natura non tantum supplet materiam sed etiam activitate sua cooperante cum labore hominis simul cum homine producit cetera illa quae cum materia rem integram constituunt. Item distinguimus rem usu consumptibilem a re non consumpta usu seu permanente, rem mobilem, quae ab uno loco in alium communiter deferri potest, ab immobili, quae de natura sua communiter loco determinato affigitur: demum rem non productivam, quae acquiritur et retinetur a domino ad commoda vitae seu ad usus quibus non producuntur vel acquiruntur alia bona materialia externa, a re productiva, ea nempe quae possidetur et adhibetur praecise ad alia bona materialia vel producenda vel acquirenda. Rei productivae refertur id quod denominatur bonum capitale, quod in suo primo sensu significabat pecuniam quae collocatur in negotio productivo aut commerciali, sed extenditur in praesens ita ut includat totum valorem pecuniarium rerum quae adhibentur ad productionem aut acquisitionem aliorum bonorum materialium.

Usus omnis ad quem se extendit dominium perfectum non est omnis qui physice possibilis est, sed tantum omnis usus moraliter possibilis, i. e. quatenus non prohibitus sive lege naturali (quia in se moraliter malus est), sive lege civili aut canonica (quia contra bonum commune aut civitatis aut ecclesiae). Officium iuridicum in domino respectu usus rei demit perfecti dominii rationem, quia subaudit ius in altero respectu rei usus; officium autem

ethicum respectu eiusdem non ita, sed limitatio venit a lege sine iure connotato in alio; unde adhuc ceteri omnes excluduntur, et illud officium rationem dominii perfecti non demit. Qui re sua utitur contra praescriptionem legis agit ultra suum ius dominii, sed nonnisi auctoritas publica illius legis ius habet talem usum physice praecavendi; alter enim individuus, quum nullum dominium in re illa habeat, nequit usui illi officere, nisi per talem usum ius aliud sibi proprium infringatur. Ex his constat ius perfectum non dicere ius illimitatum; limitatur enim lege secundum exigentias boni communis et iuribus aliorum quae exercitio dominii perfecti infringi possint.

Omnis dispositio de ipsa rei substantia significat dominum posse rem retinere, alienare, commodare, collocare, aut aliud quodvis facere circa rem etiam ad eius completam destructionem, dummodo illa dispositio sit moraliter possibilis, i. e. dum non prohibeatur lege aut ius aliud in altero non violet.

Ad proprium commodum subaudit dominum habere ius re utendi aut de ea disponendi pro se ipso tanquam pro fine *cui:* ita dominium perfectum distinguitur a dominio administrativo, qualis est potestas super rem solum pro bono alterius aut aliorum administrandam, et etiam a dominio publico quod in principe limitatur ad usum et dispositionem rei pro bono communi.

Exclusio aliorum dicit nullum alium habere ius sive ad usum sive ad dispositionem rei: ceteroquin, dominium perfectum, quia verum ius, simul connotat obligationem in omnibus aliis ne quoad usum aut dispositionem rei dominum impediant. Per exclusionem aliorum distinguitur dominium perfectum a dominio communi sive communi privato sive communi publico, quia sive tota communitas

habet distributivum ius in re aut plures privati participant de tali iure, huiusmodi conditio esset contra exclusionem aliorum quae est in definitione dominii perfecti.

Summatim igitur triplex est universalitas in dominio perfecto, universalitas usus, universalitas dispositionis, et universalitas exclusionis (tum ab usu et dispositione tum a commodo).

Dominium imperfectum illud est quod deficit aliquomodo ab illa universalitate triplici: unde est in re aut ad aliquem eius usum vel dispositionem, aut in commodum aliorum, aut sine totali exclusione aliorum. Specialiter distinguuntur duo dominia imperfecta, dominium nempe directum, et dominium indirectum seu utile. Dominium directum est dominium limitatum ad dispositionem de rei substantia, excluso usu. Dominium utile est dominium se extendens ad usum aut usufructum rei exclusa dispositione de eius substantia: ius ad usum est ius rem adhibendi in commodum utentis; ius ad usufructum est ius ad ea omnia quae a re vel ex re producuntur. Iuxta datas distinctiones dominii diversimode denominantur subiecta dominii: qui habet perfectum dominium dicitur simpliciter et per antonomasiam dominus: qui dominio tantum directo gaudet, nuncupatur proprietarius; usuarius ille est qui dominium utile habet tantum quoad usum rei; qui autem dominium utile habet quoad usufructum vocatur usufructuarius.

Dominium tum perfectum tum imperfectum potest esse aut stabile aut transitorium: stabile est dominium quod natura sua non dicit determinatum temporis limitem sed per se potest durare per totam domini vitam; transitorium est si limitatur ad determinatum tempus magis minusve breve: ita dominium utile super sedem in curru viae ferreae est transitorium, sicut et per se est

omne dominium in re usu consumptibili, et communiter dominium inquilini in domo collocata, dum dominium proprietarii illius domus est dominium stabile, sicut in genere est etiam quodvis dominium perfectum super rem permanentem et immobilem.

Demum dominium distinguitur in dominium supremum seu imparticipatum et dominium participatum. Imparticipatum est dominium quod habetur ex necessitate naturae seu essentiae domini, et ex activitate sua prorsus independente ab omni alio ente: constat huiusmodi dominium esse solius Dei, et sese extendere in ratione materiae ad quodlibet ens extra ipsum Deum. Dominium participatum illud est quod habetur ex lege cui subiicitur tum ille qui est dominus participatus tum alii qui per eius dominium excluduntur ab usu et dispositione rei, et quidem ultimatim per concessionem illius qui supremo gaudet dominio. Constat igitur omne dominium in creaturis esse participatum et ultimatim a Deo: unde dominium humanum, sicut et omne dominium in creaturis, non valet ad exclusionem Dei, neque potest in homine aut existere nisi a Deo aut exerceri nisi subordinate ad Deum, neque potest materia dominii esse simpliciter et absolute hominis quasi non esset simul Dei, a Deo accepta et ab Ipso pro existentia sua et duratione dependens.

**THESIS XL. — Homo ius congenitum habet dominium acquirendi proprietatis individuale perfectum tum transitorium tum etiam stabile tanquam ius naturale: et per se neque exstinguitur ius illud, neque eius exercitium inhibetur, ulla essentiali exigentia societatis civilis.**

Cf. D. Thom., 2. 2. q. 66, aa. 1 et 2; De Lugo, disp. 6, sect. 1, Costa-Rossetti, thes. 124; Vermeersch, Quaestiones de Iustitia, thes. XIII: Cathrein, thes. LXII; Ferretti, thes. C.

*St. Qu.* — Ius naturale, ius nempe quod ex lege naturali provenit, est aut congenitum, cuius titulus est ipsa humana natura in individuo existens, aut acquisitum, cuius titulus est contingens aliquod factum, quod naturae humanae supervenit, et quidem communiter ex exercitio activitatis humanae. Admittimus actuale dominium proprietatis non esse ius naturale congenitum, quia nihil est in natura cuiusquam hominis, neque in natura cuiusquam rei materialis externae, quod illi hanc rem propriam esse determinat seu quod proximum et adaequatum titulum talis dominii constituit. (Cf. Costa-Rossetti, thes. 128). Volumus igitur defendere actuale dominium tanquam ius acquisitum.

Iam vero ius acquisitum in aliquo nequit adesse nisi hic prius habuerit potestatem moralem illud acquirendi: de utroque autem iure, acquisito nempe et acquirendi quaestio moveri potest circa principium et titulum. De iure acquirendi dominium asserimus in thesi principium eius immediatum esse legem naturalem, titulum eius esse naturam humanam in individuo existentem. De titulo actualis iuris dominii agemus infra in alia thesi: de principio

eius asserimus illud esse immediate legem naturalem, quatenus dominium est ius naturale, et non mere civile cuius immediatum principium esset lex civilis; quamvis, quum lex civilis suam auctoritatem habeat ex lege naturali, remotum iuris civilis principium dici posset esse lex naturalis.

Dominium de quo agimus est dominium proprietatis perfectum ut supra definitum, ius nempe in re, sese extendens ad omnem rei usum omnemque de ipsa rei substantia dispositionem, in proprium commodum, exclusis aliis; includit igitur tum dominium indirectum seu utile tum dominium directum. Hoc dominium dicitur individuale, quando eius subiectum est individuus homo ita ut excludantur alii omnes: opponitur dominio sociali, cuius subiectum est societas, sive domestica, sive privata quaevis, sive civilis sive ecclesiastica: non idem est ac dominium privatum, quia privatum opponitur soli publico, et proinde potest simul pertinere ad plures individuos in communi, dummodo excludatur societas publica, sicut civitas aut ecclesia. Non negamus dominium privatum commune, sed ad claritatem restringimus praesentem quaestionem ad dominium individuale.

Includimus non tantum dominium transitorium, de tali nempe natura ut exigat adesse in uno individuo ad tempus aliquod magis minusve breve et deinde transire ad alium, sed etiam dominium stabile, tale scilicet in quo nulla detur exigentia naturalis ut ab uno ad alterum transeat durante vita prioris domini: item assertio nostra se extendit supra res usu consumptibiles, quarum si detur dominium stabile, hoc per accidens est, ad res permanentes etiamque immobiles, de quibus stabile dominium connaturaliter incidere potest.

Attamen semper supponimus illud dominium esse

participatum, a Deo nempe, et proinde limitari lege naturali secundum exigentias communis finis humanae vitae.

Secundum supra explicata probabimus hominem habere ex titulo suae naturae potestatem moralem acquirendi dominium et posse illam potestatem actuare in dominium acquisitum prius natura quam accedat ipsi ullum officium et ius sociale. Quaestio autem statim movetur utrum ius illud stare possit cum obligationibus hominis in societate civili et cum iuribus ceterorum civium qua talium, aliis verbis utrum ex lege naturali homo qui est membrum societatis civilis ius acquirendi dominium retineat et adhuc exercere licite possit et dominium ita acquisitum etiam exercere. Homo tanquam membrum societatis ligatur vinculo sociali, quo omnibus civibus imponuntur quaedam officia et communicantur quaedam iura. Haec iura et officia definiuntur lege civili, quae insuper alia iura et officia determinare potest quo finis societatis melius obtineatur: attamen quaedam officia in societate necessaria sunt, quatenus societas nequit stare aut finem suum adipisci sine illis, alia autem non sunt necessaria, sed prorsus libere imposita a civili legislatore secundum prudentem directionem civium in ordine ad finem societatis obtinendum. Quod si officium aliquod sociale aut ius commune aliorum civium sit in collisione cum iure individuali, cedere debet individuale ius potiori iuri out officio sociali. Per essentialem igitur exigentiam societatis civilis intelligimus in abstracto rationem necessitatis ad eius naturam, existentiam aut prosecutionem sui finis et in concreto ius aliquod aut officium ita necessarium ut societas civilis nequeat existere vel finem suum commode prosequi sine illo. Asserimus in thesi nihil tale dari in conflictu cum individuali dominio ita ut ius acquirendi aut retinendi

dominium in individuo excludatur sive quoad ipsum ius sive quoad eius exercitium in genere. Hoc autem dicimus *per se*, quia admittimus adiuncta incidere posse in quibus per accidens individuus debet hoc vel illud dominium particulare in concreto cedere aut vendere societati ob bonum commune.

De societate civili in praesens ex subsequenti materia assumimus sequentia:

*a*) Societas civilis in genere est stabilis unio moralis plurium familiarum ad felicitatem temporalem omnium cum plena potestate ad media ad eam necessaria exigendi ex cooperatione omnium.

*b*) Materia eius per se sunt familiae plures, per accidens etiam individui homines qui sui iuris sunt et extra familiam.

*c*) Finis eius « qui » ultimus obtinendus est felicitas temporalis; finis proximus pax et prosperitas; pax consistit in securitate ordinis iuridici socialis, ordo autem hic consistit in complexu omnium iurium et officiorum naturalium et civilium civium, itemque ipsius societatis; prosperitas consistit in sufficientia plena mediorum et opportunitatum, quibus cives suam vitam physicam, intellectualem et moralem colere et evolvere possint eo gradu quo lex naturalis intendit eam fieri sociali cooperatione.

*d*) Finis eius « cui » sunt omnes cives qui societatem constituunt.

*e*) Forma eius est vinculum sociale, quo simul ligantur cives in unionem moralem civilem.

*f*) Causa efficiens, determinans naturam et essentialia societatis civilis, ipsique tribuens auctoritatem necessariam est ipse Deus, per legem naturalem; causa iuridica efficiens existentiae huius vel alterius societatis

civilis in concreto est consensus civium coalescentium in hanc unionem.

Contra thesim non defuerunt inter Philosophos Scholasticos, qui censebant actualem divisionem rerum praesertim stabilium necessario fieri auctoritate publica et proinde actuale dominium individuale perfectum et stabile non inveniri nisi ex lege civili, licet cum fundamento in lege naturali. Hi auctores consentirent nobiscum hominem habere ius congenitum acquirendi dominium, sed negarent exercitium illius iuris actuari in dominium individuale pure et immediate naturale, prout ipsum ius dominii perfecti et stabilis proveniat immediate ex lege naturali.

Attamen hi auctores de titulo dominii privati potius quam de iure naturali disputant: de titulo autem infra in alia thesi agemus.

Directe contra thesim stat Communismus, qui systema est cuius essentialis propositio est legem naturalem prohibere dominium proprietatis. Duplex est:

1. Communismus Negativus, qui tenet legem naturalem nullum dominium proprietatis permittere sed prohibere omne tale, sive individuale, sive plurale privatum sive publicum sociale. Secundum hanc sententiam omnes res materiales externae non tantum sunt negative communes (quatenus nullius propriae sunt, et a quolibet possunt ad lubitum physice sibi sumi, sine tamen iure morali eas retinendi aut ab iis alios excludendi) sed etiam non possunt fieri sive positive communes sive individuis propriae, ex defectu cuiuscumque facti quod iuste possit amovere illam rerum indifferentiam fundando ius dominii. Unde omnes homines immediate ex natura ad omnes res externas aequale ius habent; ius igitur est in unoquoque sibi arripiendi quamlibet

rem materialem et ab illa ceteros omnes homines excludendi in quantum vi physica possit; sed si deficit sufficiens vis physica nullam aliam potestatem habet excludendi alios, neque est ulla obligatio in aliis ad ipsius possessionem permittendam: physice enim potentior dominum re eius privare licite potest rem sibi vi arripiendo. Hisce diebus vix persistit haec sententia nisi inter aliquos Anarchistas extremos, qui doctrinae Michaelis Bakunim (Moscoviae, 1814) adhaerentes omne dominium sive proprietatis sive iurisdictionis profitentur esse lege naturali prohibitum et violenta revolutione removendum. Attamen seculo XVII serio fuit proposita illa sententia ab Hobbes, defensa a Goodwin seculo XVIII et partim forte a Rousseau, et postea seculo XIX a Proudhon: Proudhon auctor fuit famosi illius dicti « Dominium proprietatis est furtum ».

II. Positivus Communismus, qui docet legem naturalem simul praescribere dominium publicum seu sociale et vetare privatum tum individuale tum plurale. Hic etiam Communismus duplicem praestat formam:

*a*) Positivus Communismus Absolutus, qui defendit legem naturalem ita praecipere sociale dominium ut includat omnia bona materialia in societate, et excludat omne dominium privatum. Ita seculo XVIII docuit Saint-Simon, seculo XIX Owen et Fourier. Recentius languescit etiam haec sententia propter multiplex infortunium cuiuscumque experimenti quo in communitatibus minoris magnitudinis et specialiter ad hoc experimentum fundatis theoriam talem ad praxim reducere fautores eius conati sunt. Attamen iterum eam de novo revocare volunt aliqui inter Socialistas.

*b*) Positivus Communismus Moderatus, secundum quem lex naturalis dominium sociale praecipit et priva-

tum vetat, solummodo respectu bonorum productivorum, permittendo individuis ius acquirendi dominium privatum in bonis non productivis, seu in bonis qui possidentur pro usu proprio individuali aut familiari, dummodo non adhibeantur ullo modo ad aliud bonum materiale producendum aut augmentum suum efficiendum. Moderatus hic Communismus sub triplici forma apparet:

*a'*) Socialismus simpliciter dictus, qui docet legem naturalem restringere societati civili dominium supra omnia bona productiva in communitate. De valore talis dominii socialis tanquam systematis oeconomici videbimus infra in altera thesi: in praesens illud consideramus secundum eius fundamentum quod Socialistae communiter ponunt in praecepto legis naturalis.

*b'*) Socialismus Agrarius, qui praescriptum legis naturalis contra dominium privatum limitat ad solos terrae agros quorum dominium secundum legem naturalem tribuunt soli societati civili.

*c'*) Syndicalismus, qui est systema negans ius dominii super bona productiva tum individuo tum societati civili, et illud distribuens inter associationes operariorum. Urget necessitatem organizationum operariorum ita ut omnes eiusdem artis mechanicae aut negotii productivi sint simul in societatem propriam coacti, et deinde omnis materia, aut fons materiae, omnia instrumenta operariorum et machinae ceteraque omnia quae adhibentur in tali specifica productione sint in solo dominio communi respectivae illius societatis. Huic societati systema vindicat ius determinandi stipendia laboris, pretia mercium productarum, et in genere ordinandi totum negotium productionis et distributionis fructuum productorum a membris illius societatis. Nondum eo usque evolvitur systema ut discriminet inter praescripta legis naturalis in hac ma-

teria, sed implicite negat omne ius aliter faciendi, quia fautores proponunt suum systema actuare, quam primum possibile sit, revolutione sociali.

Historice rem considerando invenimus Platonem speculative defendisse positivum communismum in suo opere « De Republica », et Lycurgum practice illud imposuisse super Lacedaemones. Seculo nostri aevi secundo et tertio Gnostici idem systema defenderunt, sicut et seculo XIII Fraticelli et Beguardi; item seculo XIV Lollardi in Germania, et seculo XV Lollardi Wickleffitae in Anglia, et seculo XVI Anabaptistae. Speculative etiam praesentatur in fantasticis illis communitatibus quae respective B. Thomas More in sua « Utopia », Franciscus Bacon in sua « Atlantide », Thomas Campanella O. P. in sua « Civitate Solis » et Fenelon in sua « Urbe Salenta » apud suum opus de « Telemacho » finxerunt.

Duo sunt in thesi probanda: A. Lex naturalis concedit homini ius congenitum acquirendi dominium proprietatis.

B. Nulla est exigentia essentialis in societate civili qua tali ut per se illud ius extinguatur aut suspendatur.

Probatur A. — Arg. 1. Lex naturalis homini concedit ius congenitum acquirendi omnem potestatem etiam moralem quae est ipsi moraliter necessaria ad vitam suam sustentandam et connaturaliter evolvendam; atqui ius dominii proprietatis individuale perfectum tum transitorium tum stabile est potestas moralis moraliter necessaria ad vitam hominis sustentandam et connaturaliter evolvendam: ergo lex naturalis homini concedit ius congenitum acquirendi dominium proprietatis individuale perfectum tum transitorium tum stabile.

Ad Mai. — Lex quae hominem ordinat ad finem concedit media ad finem necessaria, et quidem non tan-

tum media physica, seu potentias physicas, sed media moralia, potestates nempe morales (siquidem finis efficiendus est ab homine per actus moraliter bonos ad quos requiruntur potestates agendi moraliter) et quidem cum obligatione in aliis obsequium praestandi his potestatibus, si talis etiam obligatio necessaria est ut homo per suas potestates efficere possit finem ad quem ordinatur: secus lex inefficaciter hominem ad finem ordinaret. Insuper lex concedit media non tantum quae sunt physice necessaria, sensu quod esset ex defectu in rebus physicis ut sine illis finis obtineri non posset, sed etiam media moraliter necessaria, sensu quod sine illis, licet forte unus aut alter homo possit, absolute loquendo, finem efficere, homines in genere, qui simul ordinantur ad communem finem non possent, considerata eorum natura libera, necnon conflictu suo et defectibilitate naturali in usu libertatis, finem communiter efficere: secus enim lex inefficaciter ordinaret omnes homines ad eumdem finem efficiendum.

Iam vero ut homo finem efficiat ad quem lege naturali ordinatur, opus est ut vivat, vitam sustentet, et facultates suas vitales evolvat ad plenitudinem potentialitatis et activitatis (ad eam gloriam tum obiectivam tum formalem ad quam ordinatur in terris efficiendam) in quantum commode possit: haec autem omnia summatim nominantur connaturalis evolutio suae vitae. Unde concludimus legem naturalem concedisse homini omnia media etiam moralia necessaria etiam moraliter ad finem efficiendum ad quem eadem illa lex ipsum ordinavit.

Ad Min. — Admittimus hominem lege naturali ordinari ad societatem civilem tanquam ad medium necessarium ad plenam suae vitae evolutionem connaturalem: sed natura prius est eius ordinatio ad vitam individualem et familiarem, et ordinatio ad societatem civilem est

solummodo ad supplenda ea quae ex necessitate naturae deficient homini extra societatem civilem. Iam vero dominium homini necessarium est ad vitam individualem et familiarem antecedenter ad omnem rationem civilem in ipso. Etenim ad sustentationem vitae non tantum requiritur usus cibi, vestitus et tecti et proinde dominium utile eorum, sed insuper quum omnia quibus eget opus sit ut ultimatim labore suo ex terra producat, requiritur occupatio alicuius partis terrae ad eam colendam, sicuti etiam possessio gregum et materiae ex qua labore suo efficere possit ea quae ad communes usus et commoda vitae inserviant; proinde necessaria est ipsi potestas moralis his omnibus utendi cum exclusione aliorum non solum ab usu sed etiam a qualibet dispositione; unde practice opus est ut sibi sumat perfectum dominium eorum saltem transitorium. De fructibus sui fundi, et de rebus labore et arte sua factis, quum non possit quivis omnia necessaria et commoda propriis manibus efficere, necessarium est ut disponat, quaedam permutando cum aliis hominibus ad obtinenda alia quae hi produxerint. Ita gradatim apparet necessitas dominii perfecti, saltem transitorii. Quum autem possit disponere de illis suis productis, posset etiam si vellet retinere in sua possessione indefinite ad continuatam eorum fruitionem aut ad provisionem pro fruitione futura: unde eius directum dominium erit tale ut nulla adsit exigentia cur non indefinite persistat durante eius vita; per consequens illud dominium habet omnem rationem dominii perfecti stabilis Demum sicut fructus sui fundi ad agricolae dominium pertinent, ita et permanens amelioratio in ipso fundo ratione fertilitatis, ordinationis, aptitudinis ad varios usus, quum etiam suo labore fiat, ad ipsum etiam pertinet: hac autem frui non potest nisi dominium habet et perfectum

et stabile in ipso fundo; tale igitur dominium cadit sub generali sua necessitate, et iure. Summatim ad vitam suam evolvendam necessaria in genere est homini dominium non tantum utile sed etiam perfectum, tum rerum usu consumptibilium tum permanentium, non tantum transitorium sed etiam stabile.

Arg. 2. — Ex lege naturali provenit ius congenitum ad illam potestatem moralem acquirendam, ad quam habendam et exercendam est in homine naturalis aptitudo, tendentia et per se exigentia; atqui in homine est naturalis aptitudo, tendentia et per se etiam exigentia ad habendam et exercendam potestatem dominii perfecti et stabilis: ergo ex lege naturali provenit ius congenitum acquirendi dominium perfectum et stabile.

Ad Mai. — Lex naturalis concedit potestates homini in ordine ad adaequatum finem communem humanae vitae: criterion nostrum respectu huius finis invenitur in natura rationali adaequate inspecta; si detur in natura aptitudo aliqua activa vidimus indicationem finis naturalis, et si insuper invenitur naturalis tendentia in homine ad actuandam illam aptitudinem confirmatur illa indicatio: quod si haec subordinatur aptitudini et tendentiae specificae seu rationali, et praecise prout haec est actuanda cooperative cum aliis ad communem finem specificum, habemus securitatem finis proximi tanquam inclusi in adaequato fini communi humanae vitae, et simul securi sumus legem naturalem homini dedisse ius illum finem proximum acquirendi. Iam vero haec subordinatio rationalis constat, si detur exigentia seu fundamentum necessitatis in homine in ordine ad suam activitatem sive individualem qua talem sive cooperativam respectu communis finis; haec autem exigentia non necessario erit absoluta, quasi nullus prorsus homo individuus posset

finem efficere sine illa potestate, sed sufficit illa quae est per se exigentia, i. e. quatenus in genere homines non possent sine illa potestate finem communem efficere. Demum lex naturalis intuitu ipsius naturae humanae dat potestatem seu ius acquirendi omnem aliam potestatem quae deinceps in decursu activitatis respondet naturali illi aptitudini, tendentiae et exigentiae quae per se datur.

Ad Min. — In homine datur naturalis aptitudo, tendentia et per se exigentia illius potestatis habendae et exercendae quam de facto homines ab antiquissimis temporibus et inter omnes nationes sibi assumpserunt et exercuerunt; atqui ita sumpserunt et exercuerunt dominium individuale perfectum et stabile: ergo est in homine naturalis aptitudo, tendentia, et per se etiam exigentia illius dominii habendi et exercendi.

Ad Mai. — Sine aptitudine non potuissent dominium assumere et exercere; sine tendentia naturali, non assumpsissent; sine exigentia naturali saltem per se tali, non tam generaliter ita fecissent.

Ad Min. — Ad absolutam universalitatem facti exceptiones solae quae citantur sunt: *a*) Quaedam tribus nomadicae, quae tamen, si amplitudine maiores fuerint, a dominiis privatis et individualibus abstinuerunt tantum per tempus aliquod limitatum dum locum habitationis stabilis acquisissent; aut si amplitudine minores, forsan interdum permanenter abstinuerint, sed hae numero tam paucae sunt et cultu humano tam retardatae ut moralem facti contrarii universalitatem vitiare non possint. *b*) Communitates religiosae, quae tamen ex propria electione in iis adiunctis vivunt specialibus in quibus per accidens ad finem humanae vitae efficiendum cooperare possint sine dominio individuali, quorum exemplum tantum demon-

strat exigentiam non esse absolutam: immo infelicia experimenta facta communitatum sine religiosa ratione socialisticarum indicant specialem influxum religionis esse rationem possibilitatis dominii solius socialis in familiis religiosis, quem influxum ipsae familiae testantur esse supernaturalem.

*Confirmatur 1.* — Ex constanti, uniformi et universali consensu qui involvitur in praxi tam universali; etenim homines ita agentes semper contendebant haec dominia suam iuris rationem habere ex lege naturali. Re quidem vera, si in hoc testimonio erravissent, dicendum esset homines per tot secula communiter ignorasse legem naturalem in re tanti momenti pro omnibus humanae vitae usibus; quod contra est probatam impossibilitatem ignorantiae invincibilis communium legis naturalis praeceptorum.

*Confirmatur 2.* — Homo ius congenitum habet ad fructificandum suos labores; deinde ius habet ad sui laboris fructus; sunt enim sui ex ratione causalitatis; hi autem fructus ita in rebus etiam permanentibus implicantur, ut sine dominio perfecto et stabili tum fructuum tum eorum, quibuscum implicantur, priore iure frui homines adaequate non possent.

Probatur B. — Nulla est exigentia essentialis in ratione societatis civilis ut ius illud non persistat et exerceatur.

Arg. — Non datur in ratione societatis civilis exigentia essentialis nisi ad id sine quo societas commode non possit pacem et prosperitatem efficere pro civibus qui societatem constituunt: atqui sine exclusione dominii individualis perfecti et stabilis societas civilis pacem et prosperitatem pro constituentibus civibus commode efficere potest: ergo nulla est exigentia essentialis in ra-

tione societatis civilis ad exclusionem dominii individualis perfecti et stabilis.

Ad Mai. — Homo tenetur constituere societatem civilem: tenetur in illa cedere quaedam sua iura et alia ab exercitio restringere nonnisi secundum exigentias finem proprium societatis civilis adipiscendi. Natura prius quam obligationem ad societatem civilem, habet homo, ut supra probatur, ius congenitum acquirendi dominium individuale et potest fieri quod iam sit actuatum illud ius dominio acquisito: si unum aut alterum ex his obstat quominus societas commode possit finem suum obtinere, tenetur homo illud cedere; quod si commode aliter potest finis ille a societate effici, nulla est exigentia essentialis cur priora iura in suo vigore non persistant.

Finis autem proximus, quo felicitas temporalis ponitur intra civium potentiam, est (uti hic supponimus) pax et prosperitas; unde si pacem et prosperitatem commode obtinere potest Civitas sine exclusione dominii individualis, nulla est exigentia essentialis in societate cur excludatur.

Ad Min. — Si quid esset in ratione dominii individualis aut eius usu ordinato quapropter Civitas pacem seu ordinem iuridicum socialem inter cives suos servare non posset, esset quia stante dominio individuali Civitas per suos legitimos regiminis administratores determinare non posset quid sit ius et officium uniuscuiusque civis, aut determinata iura protegere vel officiorum observantiam exigere; atqui nulla talis impotentia per se datur in Civitate, ut serio consideranti extensionem auctoritatis civilis clarescit. Deinde neque quidquam est in ratione dominii individualis cur Civitas toti communitati seu omnibus in genere civibus prosperitatem providere non possit: etenim si quid tale esset, esset quia, stante do-

minio individuali, aliqui relative pauci tot et tanta ex bonis materialibus et eorum fontibus possideret ut aliis bona talia obtinendi opportunitas aequa seu distributive iusta dari nequeat; atqui haec conditio per se non evenit nisi cum violatione iustitiae ex parte illorum paucorum, quam iniustitiam Civitas per se potens est removendi, servando ordinem iustitiae in communitate. Ratio cur sine iniustitia conditio illa evenire nequit est quia in singulis civibus generalis adest obligatio iustitiae legalis (quam obligationem Civitas tenetur legibus suis in specialem determinare), ut in civitate ita suam activitatem exerceant et ita bona sua materialia adhibeant ut cooperentur ad communem opportunitatem prosperitatis omnibus civibus in communi efficiendam. Quod si cooperentur, conditio deplorata non eveniet; si non ita cooperentur, violant iustitiam legalem. Neque dici potest Civitatem non posse individuos ad huius officii iustitiae legalis impletionem coercere; nam auctoritatem habet et, ubi vult, in dies magis et magis eos coercet. Potest quidem incidere casus ubi individuus suum dominium individuale retinere non possit super ingentes et exclusivos fontes bonorum materialium sine impossibilitate communis opportunitatis quae est essentialis prosperitati civili: attamen in tali casu accidentali Civitas licite potest et de facto iuste debet hos fontes (data iusta remuneratione) appropriare ad usus communes aut ad distributionem inter plures in communitate. Neque valet contra argumentum urgentia praesentis conditionis miserabilis plurium in societate civili; etenim factum illud complicatur multiplici iniustitia individuali et publica, ita ut rationabiliter concludi nequeat eamdem conditionem praevalituram esse, si iustitia magis communiter observetur aut magis efficaciter per leges earumque executionem vindicetur. Neque ratio ulla solida

profertur quo probatur Civitas impotens esse ut magis generalem iustitiae observantiam stabiliet et conservet in iis conditionibus quibus obviare possit praesenti plurium miseriae. De facto recentissime publica auctoritas in diversis Statibus plurima in tale remedium facere inceperunt.

**THESIS XLI. — Sociale systema Collectivismi, considerata humana natura in genere et complexa ratione societatis modernae, medium ineptum est ad finem societatis civilis assecurandum.**

Cf. Ea quae referuntur sub praecedente thesi et insuper Ferretti, thes. CIII et CIV : Dr. A. Schaeffle, « Quintessenz des Socialismus », et « Die Aussichtslosigkeit der Socialdemokratie » ; Cathrein, « Socialismus ».

*St. Qu.* — In praecedenti thesi probavimus exclusionem dominii individualis, etiam bonorum solum productivorum, per se non esse necessariam ad commodam adeptionem pacis et prosperitatis in civitate pro omnibus in genere civibus, seu ad adeptionem finis *qui* proximi civitatis pro fine *cui* eiusdem: unde consequitur quamlibet particularem privationem dominii individualis, quod per accidens fieret contra essentiales exigentias boni communis, lege civili fieri non posse sine iusta remuneratione. Iam vero urgetur quaestio utrum non sit per accidens necessarium in modernis conditionibus oeconomicis ut totaliter excludatur dominium privatum bonorum saltem productivorum in societate civili, vel saltem utrum non sit conveniens ad bonum commune exclusio illa totalis. Plures enim sunt, qui admittentes legem naturalem per se et in genere dominium individuale tale permittere,

considerantes tamen socialem conditionem iniquam plurimorum civium sub praesentibus conditionibus oeconomicis censent huius iniquitatis remedium, si non solum, saltem practice prudentissimum, esse abolitionem totalem dominii individualis et privati super bona productiva in communitate. De hoc proposito agimus in praesenti thesi.

Collectivismus est sociale systema oeconomicum secundum quod:

*a*) Soli societati civili qua tali, seu prout est persona moralis, in ordine ad bonum commune restringitur omne dominium rerum omnium materialium externarum, quae sunt ullo modo, sive per se sive per accidens, productivae aliarum rerum materialium externarum: ita omnes fontes productionis, omnis materia ex quibus bona artificialia efficiantur, omnia instrumenta productionis etc. sub solo dominio sociali sunt.

*b*) Totalitas laboris (seu activitatis humanae exercitae ad productionem oeconomicam) et servitii humani sub administratione regiminis publici ponitur.

*c*) Omnia bona producta quae necessitatibus et commodis vitae individualis inserviunt, singulis secundum respectivum sui laboris aut servitii valorem productivum publica auctoritate distribuentur.

Systema illud, absolute loquendo, inspici potest praecisione habita a quaestione utrum sit per se necessarium ad finem societatis civilis, et proinde praeceptum lege naturali, an tantum per accidens necessarium, vel apprime aptum et deinde lege naturali commendatum et lege civili praescribendum, an tantum sufficienter aptum et proinde lege naturali permissum. Primo modo inspectum systema excludit dominium privatum tanquam lege naturali prohibitum, et proinde actuari posset sine ulla facta individuis nunc proprietariis compensatione: ita inspectus Collecti-

vismus est Socialismus oeconomicus et secundum Socialistas introducendus est revolutione. Systema ita conceptum reiicitur in praecedenti thesi, ubi indicatur naturale ius dominii individualis etiam intra limites societatis civilis. Secundo modo inspectum acceptatur a pluribus, qui neque revolutionem volunt, neque ius naturale dominii privati in genere etiam super bona productiva negant, sed adoptionem systematis volunt per legislationem civilem in remedium existentis conditionis iniustitiae oeconomicae: qui talem transformationem dominii ita volunt necessitatem concedere debent iustae compensationis faciendae praesentibus dominis individualibus, in quantum suum dominium iuste obtinuerint. Tertio modo consideratum quidam idealistae voluerunt introducere efformando communitatem civilem in qua sponte et sine remuneratione omnia membra individua vellent sua propria bona saltem productiva tribuere dominio et administrationi communitatis. Ita igitur distinguere possemus Collectivismum Voluntarium, Collectivismum Legalem et Collectivismum Socialisticum.

Socialismus autem in sua amplissima latitudine est quaedam philosophia vitae et pariter ac charitas (licet in alio sensu) operit multitudinem peccatorum. Vi vocis indicat quidquid faciat pro augmento et ampliore distributione boni communis in societate humana: realiter vero triplicem liceat distinguere in eo significationem.

*a*) Socialismus Philosophicus est theoria vitae humanae cuius essentialia principia quattuor sunt: finis ultimus vitae humanae est efficere universale hominum bene-esse et commode-esse materiale, seu felicitatem materialem universaliter distributam; omnis progressus versus hunc finem absoluta necessitate determinatur per vires motrices oeconomicas; illi fini quisque homo om

nem alium suum finem, omnem institutionem humanam subordinare debet; habitudine conformitatis ad illum finem omnis moralitas sive personalis, sive domestica, sive civilis, constituitur.

*b*) Socialismus Politicus est applicatio supra dictae theoriae ad formam et regimen societatis civilis. Postulat formam societatis repraesentative democraticam, in qua omnes rectores, seu participes auctoritatis civilis, simul cum omnibus officialibus status sunt suffragio populari eligendi, et immediate subditi remanent voci seu dominationi populi: in qua insuper tota activitas Status ad productionem bonorum materialium per possessionem omnium bonorum productivorum et dominationem omnis laboris civium, et ad distributionem bonorum productorum et servitii in beneficium singulorum civium secundum uniuscuiusque cooperationem ordinatur: includit igitur Collectivismum sed ultra progreditur ad formam regiminis in civitate determinandam. Recentius plures fautores huiusmodi regiminis distributionem fructuum postulant secundum indigentiam singulorum potius quam secundum mensuram cooperationis *productivae*.

*c*) Socialismus Oeconomicus est Collectivismus quod supra explicatur secundum primam determinationem termini, qui defenditur tanquam medium necessarium ad conservationem iustitiae oeconomicae.

In praesenti thesi assumimus, quod nobis conceditur ab omnibus Collectivistis, finem proximum societatis civilis esse pacem conservare et prosperitatem procurare omnibus civibus, et asserimus Collectivismum esse medium ad talem finem efficiendum simpliciter ineptum.

Aptum est medium ad finem, quod ita proportionatur ut ex eius usu finis commode obtineri possit. Ineptum

illud quo ex defectu proportionis finis non efficitur. Absolute ineptum est si per illud impossibile est sive physice sive moraliter finem efficere: simpliciter ineptum est si ita sit carens proportione ad finem ut probabilius finis per illud non obtineatur. Quod si dicatur magis probabile esse finem societatis obtineri mediante Collectivismo quam per medium systematis domini privati, neque hoc admittimus, et in decursu argumenti nostri apparet solida ratio negationis: attamen claritatis gratia restringimus rem ad aptitudinem Collectivismi, et si non asseramus illud esse medium absolute ineptum, est quia non volumus urgere argumentum ultra id quod clarissime cuivis patere possit, quamvis argumentum in suo pleno vigore, ut videtur, probaret Collectivismum non modo esse medium simpliciter sed etiam absolute ineptum.

Humana natura in genere considerata est humana natura prout in generalitate hominum super terras invenitur: includit igitur omnes excellentias et deficientias communes, virtutes, vitia et tendentias quae, uti experientia constat, in hominibus generatim inveniuntur. Opponitur naturae humanae prout in paucioribus invenitur, qui per exceptionem habitus et virtutes, ordinarie vi gratiae supernaturalis, speciatim habent, quibus ob motiva altiora iis rebus et iuribus se privant ad quae possidenda naturaliter tendunt.

Complexa ratio societatis modernae determinata quaedam involvit facta.

*a*) Quoad amplitudinem; ingentes sunt societates diversae nationales pluribus millionibus constantes civium; ita opponitur moderna societas parvae communitati constitutae ex membris numero paucioribus.

*b*) Quoad culturam civilem: cives in stadio humanae

et civilis culturae sunt, ubi, assuefacti pluribus et excellentioribus commodis in vita sua physica, intellectuali et morali, haec postulant quasi vix non necessaria vitae modernae.

*c*) Quoad oeconomiam rerum materialium necessariam; est enim exigentia difficiliorum rationum agriculturae, rerum manufacturae, transportationis et distributionis, necnon exigentia opportunitatum plurium educationis, recreationis ac socialis usus et consuetudinis familiaris.

*d*) Quoad regimen: datur existentia necnon augmentum quotidianum participationis popularis in regimine Status, eo usque saltem ut cives postulent potestatem suffragio suo eligendi officiales principales de quibus ipsorum bonum commune pendeat.

*e*) Quoad rationem politicam; cives dividuntur in partes politicas cum aemulationibus et argutiis in methodo politice agendi, quae a regimine populari ingentiorum nationum practice inseparabiles sunt.

Probatur. — Arg. 1. Illud systema sociale est medium ineptum ad finem societatis civilis assecurandum quod nequit iustitiam servare distributivam in impositione onerum socialium et collatione remunerationum cum contenta acceptatione magis minusve generali inter cives: atqui considerata humana natura in genere et complicata ratione societatis modernae Collectivismus iustitiam distributivam cum tali acceptatione contenta ita conservare nequit: ergo Collectivismus considerata natura humana in genere et complicata ratione societatis modernae est medium ineptum ad finem societatis civilis assecurandum.

Ad Mai. — Sine pace conservata non efficitur finis civitatis; pax autem stat in ordine iuridico sociali conservato: quod si iustitia distributiva non observatur non

conservatur ordo iuridicus; si vero non observatur ita ut contento animo in genere a civibus acceptetur, erunt innumerae dissensiones et tandem aliquando passiva resistentia magis minusve generalis, cum quibus non stat pax neque de facto diu stare potest ipsa existentia societatis civilis.

Ad Min. — Commune omnium onus erit labor; communis remuneratio erit participatio aggregationis bonorum non productivorum quae labore totius communitatis procurantur. Iustitia postulat ut participatio illa sit geometrice proportionata tum bonis communi aggregationi collatis ex labore tum bono quod de suo cedere debet laborans. Iam vero actualiter Collectivistae compensare laborem volunt solummodo secundum mensuram temporis per quod laboratur: bona autem quae communi possessioni conferuntur ex labore non sunt secundum durationem laboris tantum sed etiam secundum intensitatem eius, peritiam, characterem sive mere physicum sive etiam et principaliter intellectualem, neque mensuratur id quod laborans de suo cedit solummodo secundum durationem laboris, sed etiam secundum supra enumerata et praeterea secundum dolores perpessos, privationes, humiliationem, et pericula salutis et vitae, quae omnia connexa esse possunt cum hac vel illa specifica vel individuali occupatione. Insuper in tali supposito refugient homines a laboribus severis et periculosis; unde ad habendum in communi possessione sufficientem quantitatem bonorum omnium quae ut necessaria aut commoda desiderantur a civibus, opus erit ut indesinenter cogantur aliqui ad hos labores sine addito praemio; unde certo certius orientur dissensiones et tandem magis minusve generalis resistentia passiva.

Quod si per modificationem systematis compensatio

facta fuisset secundum omnia elementa boni de suo cessi a laborante et boni ex labore advenientis thesauro publico, praeter ingentem difficultatem universalis adiudicationis valoris in labore uniuscumque, tot vellent occupationes maius lucrum reddentes, ut iterum opus esset coercere aliquos et quidem plurimos ad alias occupationes bono communi necessarias, quae fieri nequit sine dissensionibus neque ultimatim sine resistentia passiva magis minusve generali.

Arg. 2. — Illud systema est ineptum medium ad finem societatis civilis assecurandum quo nequit servari equilibrium inter bona producta et bona postulata in civitate; atqui considerata humana natura humana in genere et complexa ratione societatis modernae, Collectivismus nequit illud aequilibrium servare: ergo Collectivismus, considerata humana natura in genere et complexa ratione societatis modernae, medium ineptum est ad finem societatis assecurandum.

Ad Mai. — Finis societatis includit prosperitatem omnibus civibus procurandam, i. e. ut adsint omnibus rationabilis abundantia mediorum et opportunitatum evolvendae suae vitae physicae, intellectualis et moralis itemque vitae familiae suae; quod subaudit esse in promptu bona materialia secundum necessitates et commoda humanae vitae evolvendae. Aequilibrium autem oeconomicum in civitate sonat sub Collectivismo adesse in thesauro publico quantitative et qualitative bona non productiva sufficientia ut, post deducta omnia quae requiruntur expendenda ad usus publicos, omnes et singuli cives bona necessaria et commoda, quae ad vitae evolutionem postulent, suscipere possint tanquam fructus sui laboris aut servitii.

Inde facile constat sine tali aequilibrio non dari pro-

speritas, sicut sine prosperitate non assecuratur finis civitatis.

Ad Min. — Ut habeatur tanta productio quanta (considerata complexa ratione societatis modernae) requiritur ad aequilibrium oeconomicum, opus est ut quisque moveatur ad quam maximam (determinato tempore) productionem cum quam minimis productionis expensis aut per stimulum connaturalem aut per coactionem; atqui sub Collectivismo considerata in genere humana natura deficeret sufficiens stimulus naturalis, et coactio inefficax esset; ergo sub Collectivismo aequilibrium oeconomicum considerata humana natura in genere et complexa ratione societatis modernae conservari non posset.

Ad Mai. — Tot et tanta bona materialia requiruntur in societate moderna ad sua commoda et suam vitae evolutionem, ut nonnisi productione quam maxima cum iactura quam minima haberi illa possent secundum omnium postulata.

Ad Min. — Actualiter Collectivistae proponunt valorem laboris esse mensurandum tantum secundum durationem eius et valorem bonorum productorum esse mensurandum secundum laborem normalem communiter consumptum in eorum productione. Unde stimulus ad intensivam productionem et ad minimam materiae et instrumentorum iacturam esset practice in desiderio boni omnium in communi, quum fructus additus ex tali laboris ratione redderetur laboranti nonnisi secundum divisionem factam illius augmenti toti indiscriminatim communitati. Iam vero, quum in praesens stimulus ex desiderio boni sui proprii vix sufficiat ad aequilibratam productionem, certo stimulus ex desiderio boni omnium communis non sufficeret; utpote considerata natura humana in genere hic stimulus illo minor est. Etenim ex experientia sci-

mus nos communiter minus moveri desiderio boni aliorum quam nostri; quod confirmatur ex historia activitatis hominum in societate civili; et demum scimus Deum ad movendum nos ad efficiendum suam gloriam posuit eam in activitate qua simul nos ipsos perficimus, et ipsa lege naturali tenemur amare alios non magis quam nos ipsos, et in necessaria electione unius ad exclusionem alterius nobis permisit electionem boni nostri proprii prae bono alterius. Ergo stimulus connaturalis sufficiens deficeret in casu. Coactio autem foret magis minusve generaliter necessaria quia secus, quum quivis, deficiente stimulo augmenti sufficientis in fructu proprio, quaereret occupationes faciliores, thesaurus communis ita superabundaret in bonis unius rationis et quidem communiter non multum desideratis, et deficeret in aliis cuius postulatio magis generalis esset. Generalis autem coactio resistentiam passivam inevitabiliter produceret et ita totum systema frustraret.

Quodsi modificaretur valor laboris secundum omnia elementa, et valor rerum productarum secundum proportionem inter quantitatem sive per se sive per accidens possessam et postulationem eiusdem inter cives, tunc requireretur tantum peritiae ad aestimandum verum valorem tum laboris uniuscuiusque tum rei productae cuiusque, et tanta sapientia practica in aestimandis bonis requisitis pro tota communitate et in distribuendo laborem singulorum ad magis productivam productionem, atque tot et tantae rationes scriptae valoris debiti ob laborem uniuscuiusque et valoris crediti ob bona tributa singulis, ut, considerata complexa ratione societatis modernae, vix dici posset talis potestas esse penes intellectum et potentias executivas rectorum communitatis.

Arg. 3. — Illud systema est ineptum ad finem ci-

vitatis assecurandum quod quaerit prosperitatem oeconomicam cum generali sacrificio tum libertatis personalis in activitate propria tam exercenda quam specificanda, tum imputabilitatis personalis respectu adeptionis finis nostri personaliter naturalis, necnon remota omni aemulatione personali; atqui Collectivismus ita quaerit prosperitatem oeconomicam: ergo Collectivismus est medium ineptum ad finem civitatis assecurandum.

Ad Mai. — Prosperitas oeconomica sistit in abundantia solummodo bonorum materialium; prosperitas autem quae est finis proximus societatis civilis est abundantia mediorum felicitatis temporalis; haec vero habetur in evolutione physica, intellectuali et morali vitae specifice humanae seu entis rationalis et liberi qua talis: natura autem talis exigit in genere, i. e. considerata humana natura in genere, ut felicitas nostra seu evolutio vitae nostrae sit fructus activitatis nostrae exercitae et specificatae secundum arbitrium nostrum liberum, et proinde cum imputabilitate effectus penes nos ipsos tanquam causas liberas: demum activitas humana in sociali communione connaturaliter exercetur ob bonum obtinendum per liberam talem activitatem prae activitate aliorum individuorum eiusdem naturae essentialis sed accidentaliter diversae tum secundum excellentiam potentiarum tum secundum prudentiam in earum exercitio: unde prosperitas oeconomica quae cum horum aliorum exclusione quaeritur pessumdat veram prosperitatem quae est societatis civilis finis proximus.

Ad Min. — Collectivismus ut communem thesaurum quantitative et qualitative talem accumulet quae requiritur ad prosperitatem oeconomicam, necessario coercebit omnes cives ad determinatum laborem tum quoad exercitium tum quoad specificationem producti-

vam; ita autem cives privantur libertate personali in activitate sua exercenda et specificanda, imputabilitas effectuum removetur ab individuo ad rectores communitatis, et exstinguitur privata omnis aemulatio, quum bonum individuo non ex sua electione pendeat in exercitio activitatis sed ex dispositione facta de ipso a rectoribus Status. Re vera ita cives facti sunt omnes mercenarii (si non forte servi) Status et subordinantur et quidem coactione tanquam media fere irrationalia ad bonum Status potiusquam tanquam causae libere cooperantes ad bonum commune secundum suam naturam rationalem.

*Scholion 1.* — Quaeritur num lex naturalis experimentum Collectivismi prohibeat.

℟. Tale experimentum factum cum supposito quod dominium individuale super bona productiva sit contra legem naturalem sive simpliciter et ubicumque sive in societate civili propter per se exigentiam societatis, et proinde quod experimentum possit fieri cum abolitione omnis talis dominii tanquam iniusti facta sine compensatione, lege naturali prohibetur, uti constat ex thesi XL.

Tale experimentum factum in supposito quod per accidens hisce temporibis exigatur ex natura societatis eiusque finis exclusio dominii individualis in bonis productivis omnibus, vel quod sit saltem maxime conveniens fini sociali et proinde experimentum fieri possit cum compensatione iusta facta pro dominio iuste habito individuali quod excluditur, tale experimentum sine consensu omnium dominorum individualium esset contra legem naturalem, quia in tenui probabilitate adeptionis finis socialis sub illo systemate ius certum dominorum individualium nequit iuste removeri sine eorum consensu. Quod si consentientibus omnibus et remota iniustitia mensurae valoris laboris secundum solam durationem et valoris bono-

rum secundum durationem laboris in eorum productione consumpti, adhuc videtur esse contra legem naturalem in complexa ratione societatis modernae propter imprudentiam, quum non appareat rationabilis spes felicis exinde adeptionis finis socialis. In parviore autem communitate vitae simplicioris, ubi moventur membra spiritu religioso experimentum tale consensu omnium fieri per se non prohibetur lege naturali.

*Scholion 2.* — Iniustitia et miseriae quae habentur in societate moderna est ex exaggerato individualismo, i. e. ex acquisitione et usu iurium individualium, praesertim in re oeconomica, sine observatione officiorum socialium, et ex defectu definitionis horum officiorum (quae in sua generali ratione proveniunt ex vinculo sociali) per adaequatam legislationem civilem. Attamen Collectivismus peccat ex peiore exaggeratione socialistica, i. e. urgendo officia socialia ultra limites quos habent ex fine adaequato sociali et ex iuribus naturae individualibus. Virtus stat in medio et remedium malarum conditionum praesentium fieri potest solummodo ex vera et clara definitione cum sincera observatione limitum iurium individualium secundum officia socialia et ex prudenti directione mediorum sub iurisdictione auctoritatis publicae ad statuendam veram pacem et prosperitatem omnibus simul civitatis civibus.

*Scholion 3.* — Ipse Status ius habet dominium perfectum stabile acquirendi secundum exigentias boni communis: immo habet ius praeiudicandi, uti vocatur, dominium privatum quando oriatur conflictus inter bonum commune et bonum individuale in respectu dominii retinendi; ita quando ad bonum commune necessarium aut apprime commodum est ut aliqua res, v. c. terrenum pro via publica vel pro publico aedificio, pro protectione

puritatis aquae ad usum communem, dominio publico acquiratur, et dominus individualis eam vendere nolit Statui pretio ordinario, Status ius habet determinandi pretium iustum et coercendi venditionem. Huiusmodi dominium Status denominatur Dominium Altum, licet ius publicum ita nuncupatum extendatur etiam ad alia quae a civibus Statui ob bonum commune debentur praeter bona materialia externa; quo sensu extensivo est potius species iurisdictionis quam dominii proprietatis. Neque repugnat ut Status tale ius exerceat super hunc vel illum fontem productionis aut negotium servitii, quando res illa aut servitium requiritur ad usum inter cives universalem et vel est periculum serium tali usui in dominio aut administratione privata, vel Status ita eligit, loco aliorum vectigalium, pecuniam pro expensis publicis obtinere. Sine huiusmodi necessitate assumptum tale dominium publicum subit periculo eas promovendi difficultates quae militant contra illam rationem individualis initiativi et opportunitatis sine qua non habetur specifica ea prosperitas quae connaturalis est civibus in cooperativa sua prosecutione felicitatis temporalis. Unde quaeritur utrum necne liceat Statui dominium acquirere et retinere omnium agrorum in natione, sicut volunt Socialistae Agrarii. Respondetur in speciali casu necessitatis temporaneae pro bono publico, certissime licet: in genere et sine speciali tali necessitate videtur non licere, utpote contra veram prosperitatem specificam quae propria est Statui tanquam finis proximus. Specialis forma huiusmodi Socialismi, quae denominatur Socialismus Unius Vectigalis et proposita fuit ab Henrico George in suo opere cui titulus est « Progress and Poverty » fundatur in argumento specialis necessitatis, eo quod aliter augmentum accidentale in valore terreni acquiritur a domino privato,

licet producatur ab ipsa communitate. Haec systema vult reservare dominium directum in toto terreno nationali Statui, cuius officium erit illud (secundum dominium utile) distributive collocare individuis civibus, et exigere pretium locationis tantae mensurae quae sufficeret pro omnibus expensis publicis (excluso omni alio vectigali); pretium autem est simul pro singulis variandum secundum variationem in valore partis terreni respective collocatae. At necessitas illa non statuitur; eius autem fundamentum assignatum, nempe quod augmentum valoris venit totaliter aut principaliter ex activitate publica dum pars augmenti quae vere pertinet ad Statum non potest aliter ipsi assecurari, est quoad utrumque membrum falsum.

*Ad Difficultates.* — 1. Omnes homines sunt lege naturali aequales; atqui haec aequalitas conservari nequit nisi excluso omni dominio, vel saltem omni dominio privato, aut tandem ad minimum excluso omni dominio privato in bonis productivis: ergo lege naturali dominium tale excluditur.

℟. Distinguendo maiorem: aequales iuribus congenitis, conceditur; iuribus acquisitis, subdist., positis iisdem fundamentis in activitate propria exercita, conceditur; iisdem non positis negatur.

2. Cuilibet in societate civili adesse debet aequalis opportunitas felicitatis; atqui haec conservari nequit nisi excludatur dominium privatum aut totaliter aut saltem secundum bona productiva: ergo.

℟. Distinguendo maiorem: opportunitas aequalis, in quantum illa opportunitas est fructus propriae activitatis individualis, negatur; in quantum a civitate singulis providetur, subdist. aequalis secundum aequalitatem geometricam iustitiae distributivae, conceditur, secundum arithmeticam aequalitatem, negatur.

3. Atqui dominia privata causae sunt cur de facto opportunitas singulis provisa a civitate non sit aequalis etiam secundum iustitiam distributivam, ideoque removeri debent.

℟. Distinguendo antecedens: dominia privata in suo esse et usu iusto causae sunt, negatur, in suo abusu iniusto, conceditur.

4. Atqui de facto in societate prouti hisce diebus constituta abusus ille tolli nequit nisi tollatur ipsum ius dominii privati: ergo hoc etiam tolli debet.

℟. Distinguendo antecedens: abusus tolli nequit sine sublato etiam ipso dominio, si habeatur prudens nova legislatio eiusque firma executio simulque augmentum in generali amore practico iustitiae, negatur; nisi illa habeantur subdistinguitur, et, sublato iure dominii individualis, erit omnibus aequalis opportunitas, negatur: negato illo supposito, conceditur.

5. Secundum Carolum Marx. Legem naturae agnoscimus ex naturalibus tendentiis et exigentiis. Secundum has in stadio initiali vitae socialis media producuionis sunt in privato dominio eorum qui labore suo bona oeconomica producunt: in secundo stadio, quando ratio societatis civilis facta est magis complexa, systema illud multorum independentium producentium non producit tantum bonorum quantum requiritur ut conservetur aequilibrium oeconomicum in communitate et per naturalem tendentiam secundum exigentiam aequilibrii transimus ad systema productionis maiore modulo ampliatae, in quo media productionis cumulantur in manibus paucorum (classis capitalisticae), et ceteri homines reducuntur ad conditionem operariorum mercenariorum in processu productionis (classis proletariorum). In illa transitione et in sustentatione novi huius systematis capitalistae

per iniustitiam obiectivam suum capitale acquirunt. Etenim ex pretio recepto pro merce vendita, pars aliqua retinetur a capitalista pro valore materiae, pars altera item pro detrimento proportionali in instrumentis productionis, et pars tertia pro labore solvitur laboranti; haec autem pars ex necessitatibus systematis reducitur ad minimum quid quod sufficiat ad meram sustentationem laborantis: totum illud quod restat ex pretio his deductis (quod dici potest supervalor) iuste pertinet ad laborantem sed retinetur a capitalista qui ita iniuste suum capitale in dies auget. Iam vero hisce diebus ex tali iniustitia aequilibrium oeconomicum non amplius conservatur in illa distributione generali quae necessaria est pro securitate et ordinata conditione societatis. Unde sumus in tertio stadio, quando gradatim exigitur ut omnia media productionis sint sub dominio ipsius solius Status, qui dirigat productionem ita ut conservetur oeconomicum aequilibrium et productorum iusta distributio, aestimando laborem secundum suum verum valorem, secundum nempe durationem laboris aliquo charactere normali, et aestimando bona producta ad verum suum valorem secundum durationem laboris, qualitate normali, communiter necessarii ad cuiuscumque boni productionem, et reddendo singulis laborantibus bona quae desiderant secundum valorem verum tum bonorum tum laboris: ita ex naturali tendentia et exigentia tandem aliquando Collectivismum habebimus: ergo Collectivismus est secundum legem naturae.

R. Distinguendo maiorem: legem naturae agnoscimus ex naturalibus tendentiis et exigentiis ordinatis ad communem finem humanae vitae, et (respectu ad vitam nostram socialem) ordinatis ad pacem et eam prosperitatem habendam quae connaturaliter cum specifica nostra natura

opportunitatem praestat felicitatis temporalis adipiscendae, conceditur; ex tendentiis et exigentiis ordinatis nonnisi ad prosperitatem oeconomicam quantitative, qualitative et distributive habendam in bonis materialibus sine respectu ad connaturales alias exigentias specificae nostrae naturae in ordine ad felicitatem temporalem adipiscendam, negatur.

Contradistinguitur minor: processus descriptus est secundum nostras tendentias et exigentias ordinatas ad solam oeconomicam prosperitatem sine respectu ad alias exigentias connaturales nostrae specificae naturae in prosecutione felicitatis, conceditur, vel transeat; secundum tendentias et exigentias naturales ordinatas ad communem finem humanae vitae ultimatim, proxime et socialiter ad eam prosperitatem quae nobis connaturalis est in prosecutione felicitatis, negatur.

Ad iniustitiam factam in divisione fructus laboris, admittimus eam in systemate moderno oeconomico, sed non secundum totam mensuram assignatam a Marx. Etenim praeter materiam et detrimentum instrumentorum capitalista contribuit productioni suum ingenium productivum et commerciale, propriamque activitatem, et insuper subit periculo amittendi suam partem lucri per accidens in venditione, dum operarius semper suum stipendium accipit ante venditionem et independenter ab accidentali iactura in pretio: unde ad capitalistam iure pertinet maior pars pretii quam valor materiae et detrimenti instrumentorum. Insuper nulla datur ordinata tendentia in humana natura ad absorbendum totum capitale in dominium publicum sine compensatione, nam iniustum esset; neque cum compensatione, quia contra connaturalem modum humanae activitatis exercendae ad adeptionem felicitatis.

Deinde licet hisce temporibus stipendia laboris soluta fuerint infra iustam rationem, hodie non amplius verum est illa stipendia mere sufficere ad vitam sustentandam, et tendentia naturalis est ut augeantur secundum iustam mensuram, mediante declaratione principiorum iustitiae ad rem pertinentium, mediantibus contractibus, et tandem mediante lege civili.

Tertio, valor rei productae stat in eius aptitudine proportionata ad appetitui connaturali humano satisfaciendum, quae determinatur ex excellentia materiae et excellentia formae quam labor materiae communicat; unde causae valoris sunt natura, et laborantis tum intelligentia tum labor: pretium autem in permutatione licet per se pendeat ex illo valore, per accidens etiam pendet ex aucto aut diminuto appetito humano, ex abundantia rei et expensis eius productionis. Unde tribuendo bonis productis valorem solummodo secundum durationem laboris ad eius productionem communiter requisiti, peccat theoria Marxiana, non aestimando intelligentiam adhibitam ab omnibus cooperantibus in productionem, et non aestimando respectivum valorem rei ad appetitui humano satisfaciendum, seu rationem utilis in re, et negligendo causas quae per accidens possunt naturaliter et iuste modificare pretium in commutatione. Valor ille Marxianus erroneus est et solvere producenti compensationem solummodo secundum illum valorem est simpliciter contra iustitiam.

6. Item secundum Marx. *a*) Titulus primigenius dominii individualis est solus labor productivus et solummodo quoad id quod est effectus solius laboris. Quum tamen omnes homines aequaliter egeant materia productionis, haec necessario cadit sub dominio communi Societatis a qua omnibus civibus aequaliter distribuenda est opportunitas super eam laborandi.

*b*) Valor usualis (seu ad usus humanos) rerum consistit in ipsis rebus prouti iacent in ipsa rerum natura ante accessum humani laboris, et pendet ex naturalibus cuiusque rei proprietatibus.

*c*) Valor rei commutativus (seu valor in commutatione dominii unius rei pro dominio alterius) consistit in sola perfectione addita materiae naturali ex accedente labore, et proinde mensurandus est secundum illum laborem (est enim ipse labor concretus in effectu suo permanens factus): totus igitur hic valor pertinet ad laborantem.

*d*) Impossibile est ut laborans totum illum valorem obtineat, si interveniat ulla persona privata, tanquam capitalista, dominus materiae, patronus conducens operarios, mercator vendens etc. etc. Unde tum labor tum res labore productae disponenda sunt ab ipso Statu, aestimando laborem secundum durationem in aliqua charactere normali, et aestimando valorem commutativum rerum labore productarum secundum durationem normalis laboris communiter in earum respectiva productione consumpti, et reddendo totum illum valorem civibus secundum mensuram laboris cuiuscunque, deductis aequaliter ab omni valore producto expensis publicis. Ergo ex exigentiis naturae rerum et humanae activitatis et iustitiae erga omnes servandae necessarium est systema Collectivismi.

℟. Negatur primum assertum *a*): probabimus enim in thesi sequente primigenium titulum dominii ad ipsam materiam esse occupationem rei. Unde negatur necessitas dominii publici super omnem materiam, quum opportunitas respectu materiae in quantum est ius congenitum omnium antecedit rationem societatis humanae, et in quantum civibus ex Societate debetur secundum iusti-

tiam distributivam, considerata humana natura in genere et complexa ratione societatis modernae, aliter est assecuranda.

Negatur secundum assertum *b*), si valor usualis vere sumatur tanquam valor ad usus humanos, quia hic consistit in aptitudine rei ad satisfaciendum connaturali appetitui humano, et pendet non tantum a materia, sed etiam ex qualitativa forma materiae communicata tum natura tum labore. Attamen si restringatur sensus ad valorem materiae essentialiter consideratae, transmittitur denominatio.

Negatur tertium assertum *c*); quia valor commutativus non sistit in sola perfectione materiae ex labore communicata, neque pendet ex sola laboris mensura; elementa eum valorem determinantia indicavimus supra in responso ad difficultatem praecedentem.

Negatur quartum assertum *d*): siquidem primo deficit fundamentum positum in prioribus assertis, et secundo supra probavimus iustitiam oeconomicam posse haberi sine Collectivismo.

7. Valor rei commutativus necessario mensurandus est secundum solum laborem productionis. Etenim mensura commutativa debet fieri secundum aliquod elementum valoris quod est commune rebus quae commutantur: atqui elementa valoris sunt solummodo valor usualis, qui non est specifice commune rebus commutandis (siquidem res diversarum proprietatum naturalium potiuntur) et labor, qui de facto commune est elementum in omni commutabili: ergo valor commutativus in solo labore consistit.

℟. Negatur assertum. Ad probationem, conceditur maior, et distinguitur minor; sumendo valorem usualem secundum conceptum adversarii, negatur minor; sumendo valorem usualem sensu aptitudinis ad satisfaciendum con-

naturali appetitui humano, concedo minorem, negando tamen suppositum nempe valorem usualem hoc sensu non esse elementum specifice commune rebus commutandis.

8. Valor permutativus rei pendet ex materia eius ex labore producentis, ex geographica distributione materiae, ex transportatione tum materiae ad locum productionis, tum rei productae ad locum commutationis, ex abundantia rei in communitate, et ex contingentibus desideriis rei inter cives. Iam vero transportatio et ordinatio abundantiae sunt functiones quae ob bonum commune exerceri debent a publica auctoritate, materia et eius geographica distributio, quum veniant ex ipsa natura physica terrae in aliqua natione, pertinent ad divitias nationales et non debent subiici dominio privato; fructus contingentium desideriorum inter cives non praestant ullum fundamentum privati lucri, sed redundare debent ad beneficium totius communitatis. Atqui assumendo dominium publicum super media productionis et administrando laborem privatum eiusque remunerationem, omnia illa elementa quae proprie ad communitatem qua talem pertinent ipsi reservantur, dum sub systemate dominii individualis, communitas iis privatur: ergo ad iustitiam et ordinatam administrationem habendam requiritur systema Collectivismi.

℟. Transmittitur primum assertum: quia omittitur in illo ratio peritiae et activitatis mentalis illius qui promovet et dirigit productionem et distributionem mercium, necnon pecuniae capitalis periclitatae in toto processu.

Ad subsumptum assertum per partes. Transportatio et ordinatio abundantiae per se debent exerceri a publica auctoritate, negatur; per accidens, in adiunctis specialis necessitatis, conceditur, sed negatur suppositum,

nempe adiuncta illa iam orta esse communiter in societate moderna. Materia mercium et eius geographica divisio pertinent ad divitias nationales, directe per dominium publicum, negatur; indirecte per dominium privatum, conceditur. Fructus desideriorum contingentium inter cives non habent fundamentum privati dominii in mercibus ipsis quae sunt iam in dominio privato et circa quas oriuntur illa desideria, negatur; praecisione habita a mercibus privatim possessis, conceditur: fructus illi debent redundare ad beneficium totius communitatis indirecte per exercitum dominium privatum super illos, conceditur: directe quasi augmentum valoris secundum talia desideria ex natura sua pertinet ad dominium publicum, negatur.

Contradistinguitur minor: sub systemate dominii individualis illa elementa non possunt ad communitatem reservari eo modo quo ad ipsam pertinent, indirecte nempe, negatur: non possunt directe reservari, concedo, licet etiam simul negare debeamus suppositum, ea nempe feliciter posse assecurari, etiamsi directe pertinuissent, per systema Collectivismi.

9. Pro Collectivismo Agrario arguitur. *a*) Historice per Collectivismum primitive agri possessi fuerunt, et per fraudem in societate sese a barbarismo ad complexam rationem evolvente in dominium privatum transierunt: ergo iniustum eorum dominium privatum, et naturale eorum dominium nationale. R. Negatur triplex assertum in antecedente. Etenim antiquitus inter Hebraeos, Assyrios, Aegyptios et (in quantum scire possimus) inter Sinenses, quorum omnes inter primos populos historice cognitos sunt, primitiva conditio agros possidendi per dominium privatum fuit. Non semper neque communiter fuit hoc agrorum dominium privatum per frau-

dem obtentum. Historia nullum serium praestat fundamentum censendi homines incepisse vitam in statu barbarismi et gradatim transiisse ad statum culturae humanae; sed evidentia in dies augetur nobis supremae culturae habitae antiquissime in nationibus vetustissimis.

*b*) (Ex Riccardo.) In agrorum cultu progressivo augentur fructus producti et dividuntur nonnisi inter agricolam laborantem per modum stipendii, proprietarium fundi per pretium locationis, et capitalistam per modum foeneris pro capitali accommodato pro instrumentis etc. productionis; unde mathematice sequitur, quo duae illorum fructuum partes diminuuntur aut immobiles manent, eo necessario crescit tertia crescentibus fructibus. Atqui foenus pro capitali manet magis minusve immobilis: stipendia item aut, quod peius est, diminuuntur: ergo totum incrementum sumitur a proprietario, quamquam ipse non est augmenti fructuum causa. Atqui haec iniustitia praeterita corrigi potest et futura evitari nonnisi per Collectivismum Agrarium. R. Conceditur primum assertum cum eius consequente mathematico. Minor prima distinguitur, communiter manet immobile foenus, transeat: item stipendium aut diminuitur, negatur: quod non augetur stipendium secundum exigentias iustitiae, pro multiplici loco concedi potest, Contradistinguitur consequens, totum simpliciter incrementum fructuum communiter sumitur a proprietario, negatur; quod in multiplici loco sumitur maior pars quam sit eius iusta proportio, concedi potest. Ad ultimam clausulam, conceditur vel transeat proprietarium nullo modo esse causam augmenti, sed negatur suppositum, nempe illam causalitatem esse solum titulum eius participationis in augmento; nam aliquid de suo cedit, quando omittit in favorem agrum occupantis suam opportunitatem bonum exinde obtinen-

di per suum proprium laborem. Ultimam autem minorem subsumptam simpliciter negamus: etenim iniustitia quae facta est agricolae potest bene corrigi et evitari per iustas et prudentes leges agrarias sine Collectivismo, qui insuper peiora sua mala et etiam iniustitias secum affert.

10. (Ex Henrico George). Considerando quotidianum augmentum valoris in situ aedium praesertim commercialium in amplioribus civitatibus videmus incrementum valoris provenire non ex activitate domini, neque occupantis, sed ex conditionibus socialibus, quae causantur non ab hoc vel illo individuo sed a communitate qua tali: unde incrementum valoris pertinet ad communitatem qua talem: quodsi solveretur communitati, nulla esset necessitas vectigalium, immo accumularentur communes divitiae quae distributionem postularent. Atqui aptissimus modus appropriandi illum valorem augmentativum communitati ita ut fiat redistributio distributive aequalis in communitate esset per systema quo totum terrenum reservatur dominio directo communitatis, ita ut dominium utile individuis permittatur per collocationem distributivam factam eo pacto quo pretium collocationis sit proportionatum tum accrescenti valori partis collocatae tum necessitati publicarum expensarum. Deinde individuus posset disponere de suo dominio utili, sicut nunc potest de dominio suo perfecto, et communitas posset solvere omnes expensas publicas ex pretio collocativo accepto.

℟. Negando primum assertum antecedens eiusque consequens. Etenim non solummodo ex conditionibus socialibus sed etiam ex prompta et activa intelligentia et industria domini privati oritur illud valoris augmentum, et proinde ad dominum partialiter pertinet: deinde po-

test dominus solvere, uti in multis civitatibus cogitur solvere, per directa vectigalia pro conditionibus quae in beneficium valoris terreni factae sunt a communitate qua tali, sicut pro constructione viarum, pro publico aquae ductu, pro cloaca, pro luce artificiali in viis etc.; unde facile potest civitas totam suam partem habere, etiam, si necesse sit, augendo gradatim vectigal ordinarium secundum incrementum valoris in terreno. Quod tale augmentum valoris, si communitati segregaretur, sufficeret pro omnibus expensis publicis non constat: immo in experimentis huius singularis vectigalis in aliquibus communitatibus de facto non sufficiebat. Ad ultimam minorem dicendum est primo, appropriare pro publicis expensis totum illud augmentum offenderet contra iustitiam distributivam, negligendo variationem in valore dependentem ab intelligenti activitate occupantis; et insuper non esset ceteroquin aptus modus distribuendi vectigalia, quia reprimeret initiativum individuale, et totaliter eximerent eos, qui terrenum non occupant, a vectigalibus proportionate debitis secundum iustitiam distributivam, et contradiceret illi aptitudini, tendentiae et per se exigentiae naturali, quam ex historia constat adesse in homine ut habeat locum habitationis sibi proprium secundum perfectam dominii rationem, licet limitatum sit illud dominium hinc et inde secundum veras exigentias boni communis.

Ad alias difficultates, cf. Cathrein, nos. 410, 411, 427 ad 432, et 455 ad 459.

**THESIS XLII. — Proprietatis dominii titulus naturalis et primigenius est occupatio effectiva: labor autem productivus est originalis titulus dominii in suos proprios fructus; in quantum vero effectivam rationem tribuit occupationi participat de hoc titulo primigenio ad res effective occupatas. Derivativi tituli naturales dominii sunt traditio et successio haereditaria.**

Cf. Vermeersch, Quaestiones De Iustitia, thes. 14; Costa-Rossetti, thes. 128; Ferretti, thes. CI.

*St. Qu.* — Statuto principio iuris' dominii in lege naturali, sequitur quaestio de facto illo quod secundum legem naturalem dominium in concreto huic vel alteri individuo de hac vel illa re individua determinat. Inter facta huiusmodi enumerantur occupatio, labor, contractus multiplicis generis, testamentum, accessio et praescriptio; opus est ut eorum valor discriminetur.

Titulus dominii est in genere factum quo ius dominii in concreto determinatur, seu cuius intuitu lex uni personae potestatem in re tribuit, simulque ceteris omnibus obligationem imponit eam potestatem agnoscendi.

Titulus naturalis est factum quod ex natura sua proportionatur ad determinandum ius aliquod uni prae aliis personis tanquam subiecto illius: opponitur titulo positivo, quod est factum quod lege positiva efficaciter declaratur ita determinare nexum inter ius aliquod et eius concretum subiectum. Titulus naturalis duplex est, originalis et derivativus.

Titulus originalis est titulus quo res quae antecedenter ad illum erat nullius, facta est alicuius, seu ponitur sub dominio determinatae personae.

Titulus derivativus est titulus quo recipiens potitur rei quae transit a dominio unius ad dominium alterius. Agitur in thesi de dominio humano. Homo autem ponitur in mundo ubi sunt innumerae res naturales quae pertinent ad Deum secundum dominium imparticipatum, sed negative communia sunt hominibus, quatenus ex natura sua non determinantur actu ad quamlibet personam, sed potentiam habent ut fiant propria cuilibet: qua ita negative communia sunt, dicuntur res nullius, siquidem non sunt adhuc actu sub dominio participato ullius hominis in concreto: factum quo determinatur haec aut illa res talis esse propria et sub dominio huius aut alterius personae, erit titulus originalis. Res quae nunquam fuerunt sub dominio participato ullius per se sunt nullius; sed per accidens etiam potest fieri res nullius, quae antea fuit alicuius, si nempe dominus vel sponte renuntiavit suum dominium quin alteri transferat, aut ob aliquam rationem iuridice perdidit vel titulum suum vel dominium quin simul res fiat proprietas alterius. Novus titulus ad dominium super rem talem erit etiam titulus originalis. Demum quando ens aliquod, quod antea non fuit in existentia et proinde nullius fuit, in dominium alicuius directe ingreditur statim ac producitur, huius dominii titulus pariter originalis est.

Absolute loquendo initialis titulus proprietatis est causalitas productiva: ita in Deo titulus ad suum dominium imparticipatum ad omnia creata est divina actio creativa; pariter etiam in dominio participato causa productiva habet in sua actione productiva titulum originalem ad praecisivum fructum suae actionis: sed quum causa creata nequeat producere quidquam nisi ex praesupposita materia, et quum praeterea in re non pure artificiali sed mixta, causalitas rei productae est partim naturae, quae-

stio movetur de titulo ad materiam praesuppositam et ad fructum activitatis naturae cooperantis. Quodsi materia iam pertineat ad hominem operantem super ipsam, nulla est difficultas de titulo respectu fructus activitatis naturae in quantum natura agit per illam materiam, siquidem dominus materiae, evidenter est dominus naturalis activitatis materiae illius. Manet vero quaestio de titulo ad materiam sine quo homo producere non potest quidquam; haec est quaestio de titulo primigenio.

Titulus igitur primigenius est titulus ad dominium participatum qui praesupponitur omni alio titulo sive originali sive derivativo. Constat quidem titulum derivativum supponere titulum aliquem originalem: titulus autem originalis qui sistit in productione creata nequit actuari sine determinato titulo ad materiam super quam aliquis productive operatur; unde non omnis titulus originalis est necessario primigenius, nisi forte dicatur titulus ad fructum esse simul titulus ad materiam et quidem sub eadem ratione; quod in thesi negamus. In concreto titulus primigenius est titulus originalis ad materiam humanae activitatis productivae, ad terrenum nempe et ad quamlibet rem naturalem quae producitur aut directe et sine materia per creationem divinam aut per activitatem solius naturae in materia aut ex materia quae adhuc est nullius.

Occupatio sensu vulgari significat apprehensionem rei, seu actionem qua res in propriam possessionem agentis assumitur. Sensu iuridico occupatio definitur apprehensio realis et permanens, cum animo dominii originalis acquirendi, rei ad tale dominium aptae. Res ita apta est res, quae, praeterquam quod sit in genere materia apta ad dominium, sit etiam nullius sive per se sive per accidens. Apprehensio est coniunctio aliqua physica inter

rem et hominem facta actione hominis. Realis est si coniunctio sit obiectiva, facta per actionem externam: intentionalis tantum est si coniunctio sit facta voluntatis intentione sola. Permanens est apprehensio, si non transeunter res sumitur et deinde statim rumpitur connexio, sed si talis sit connexio ut de se persistat per tempus aliquod continuum, licet forsan magis minusve indefinitum. Animus dominii acquirendi debet esse sincera intentio voluntatis acquirendi ex lege naturali veram potestatem moralem dominii illius cuius titulum ponere volumus per talem apprehensionem: praecipua quaestio nostra est de dominio stabili, ad quod igitur requiritur ut intendatur stabilis dominii acquisitio.

Significativa est occupatio quando ponitur in re occupata signum aliquod permanens et aliis cognoscibile, quod aperte significat non tantum nostram apprehensionem rei sed etiam nostrum animum dominii super eam acquirendi. Effectiva occupatio habetur quando occupatio illa significata talis sit ut res subiiciatur nostrae potestati physicae ad usum aliquem aut servitium proprium (Cf. Veermersch, loc. cit.). Admittimus nos occupationem mere significativam esse titulum iuridice inchoatum, sed ad perfectum titulum naturalem postulamus ut ea sit etiam effectiva. Non tamen excludimus potestatem auctoritatis civilis addendi alia requisita ut ius nostrum naturale, ita acquisitum intra civitatem, agnoscatur etiam ut ius civile, praesertim si quaestio sit de fundo communi seu nationali divisim distribuendo per talem occupationem.

Labor est exercitium activitatis sive corporis sive mentis; communiter connotat aliquam defatigationem consequentem, sed haec non est de essentia eius: inter Socialistas magis minusve restringitur ad exercitium activitatis corporalis et interdum nonnisi prout hoc diri-

gitur super res externas ad earum accommodationem in usus humanos; sed talis limitatio addi debet per attributum aliquod, siquidem labor simpliciter dictus neque unam neque alteram limitationem necessario includit. In thesi sumitur pro activitate sive mentis sive corporis exercita, et quando additur productivus restringitur ad laborem exercitum ad efficiendam mutationem sive substantialem sive accidentalem in re aliqua, quae ita magis adaptatur ad usus humanos. Effectus laboris talis stricte restringitur ad novam formam quae labore communicatur alicui materiae, seu ad specificationem materiae, quia quaestio nostra est de rebus materialibus, de quibus proprie praedicatur dominium: attamen haec specificatio includit quodlibet augmentum valoris non tantum usualis sed etiam commutativi, quod labore vere causatur. Quod labor productivus sit titulus originalis suorum stricte fructuum a nemine negatur nisi ab aliquibus extremis Communistis: sed controversia est utrum necne sit originalis titulus vel etiam primigenius ad ipsam materiam cui labore communicatur specificatio. In hac connectione considerari potest labor aut praecise prout producit specificationem, aut prout effectivam facit occupationem subiiciendo rem potestati hominis ad usum vel servitium eius privatum; priore sensu est iuridice formaliter labor productivus, sensu altero formaliter est de ratione occupationis, licet materialiter maneat labor. In thesi non admittimus laborem productivum formaliter talem esse titulum ad dominium materiae quae labore specificatur, et proinde neque esse titulum primigenium: sed defendendo occupationem effectivam esse perfectum titulum ad materiam et proinde primigenium, et tamen admittendo laborem aliquem interdum ingredi ut illa occupatio fiat effectiva,

eo usque admittimus laborem participare de ratione tituli primigenii.

Traditio est actio qua dominus rei voluntarie cedit suum dominium alteri: fit per varias formas contractus. Contractus est consensus mutuus duorum aut plurium ad eumdem effectum iuridicum. Iuridicus effectus in casu est effectus quo fit stricta obligatio ex iustitia commutativa in uno et ius pariter perfectum in altero respectu eiusdem rei (aut actionis): hoc autem ius potest esse vel ad rem vel in re; quando in re est, iam transfertur dominium. Mutuus consensus involvit ex una parte manifestum actum voluntatis subiicientis consentientem hominem strictae obligationi ad rem (vel actionem) tanquam alterius agnoscendam, et ex altera parte saltem manifestum actum voluntatis rem (vel actionem) ita obligatam acceptantis.

Successio haereditaria in genere definitur legitima successio in dominio rei occasione mortis domini prioris: sed in concreto, prout sumitur tanquam titulus, est factum quo quis alterius haeres constituitur. Haeres autem ille est qui ante mortem alterius habet ius aliquod ad rem, nempe ut sit futurus rei dominus, quod ius transit in ius in re occasione mortis alterius, quo transitu haeres factus est actualis dominus rei. Ipsa res transmissa dicitur haereditas: ius vero haeredis dicitur ius haereditatis. Factum, quo aliquis constituitur haeres, triplex esse potest, scilicet testamentum factum in eius favorem, consanguinitas vel propinquitas naturalis quaedam in eadem familia cum moriente intestato, aut civilis legis declaratio.

Testamentum est ultima dispositio suorum bonorum a domino facta (et sive scriptis sive alio modo efficaci

significata), quae efficax futura est morte testantis, et ad interim revocabilis est ad eius lubitum.

Huiusmodi ex testante transmissionis duplex datur explicatio. Prima est: actus voluntatis, quem formaliter habet dominus quando testamentum facit, virtualiter durat ad ultimum momentum vitae, in quo momento ille actus dominium transfert, et deinde effectus illius translationis post mortem persistit. Secunda explicatio, quae nobis magis arridet, est: homo, quando facit testamentum, actu voluntatis suae bonorum dominium tunc transfert sed conditionaliter; conditiones sunt duae, nempe non revocatio huius actus ante suam mortem, et ipsa mors; purificatis his conditionibus, dominium haeredis, quae antea fuit conditionale, fit absolutum. Duplex pariter datur explicatio transitus dominii ex intestato. Prima est: morientis voluntarius actus praesumptus (vel absolute in ultimo momento suae vitae vel antecedenter et habitualiter sed conditionate de morte sua) bonorum dominium transfert ad eos qui vinculo sanguinis sibi coniungantur et connaturaliter ipsimet cari sint: hic practice habetur testamentum praesumptum. Secunda est: consanguinei et praesertim uxor et progeniti morientis sunt quaedam quasi continuatio eius esse et personae et proinde ingrediuntur ex illa continuatione in dominium eorum quae acquisita erant a moriente non tantum pro se solo sed pro se et pro continuatione sui in familia. Haec secunda explicatio, limitata ad immediatam familiam cui providendi officium habet moriens, nobis magis placet.

Contra thesim sunt: A. De primigenio titulo. *a*) Hobbes, Bentham, Kant, Montesquieu eiusque sequaces multi recentiores, sicut Ferguson, Maine aliique, primigenium titulum dominii humani posuerunt in lege civili. *b*) Grotius et Puffendorf censuerunt eum esse pactum huma-

num. *c*) Locke, Riccardo, Henricus George aliique Socialistae laborem formaliter ut productivum defenderunt ut primigenium titulum non tantum ad fructus ipsos laboris sed etiam ad materiam super quam labor productivus exercetur.

B. Nemo nisi extremi Communistae negant laborem esse titulum dominii ad proprios praecisive suos fructus, neque quisquam negat laborem magis effectivam interdum reddere occupationem. Aliqui autem tenent sufficere ad adaequatum titulum occupationem significativam dummodo sit apprehensio realis et non ficta, permanens et non momentaria (cf. Cathrein et Ferretti, loc. cit.). Nos admittimus meram signationem sufficientem rei posse secundum legem civilem fieri adaequatum titulum, sed pro naturali titulo tenemus signationem tantum inchoare titulum qui futurus non sit adaequatus nisi realis apprehensio ita signata talis sit quae realiter subiiciat rem potestati physicae apprehendentis in ordine ad aliquem usum humanum de natura sua privatum.

C. De contractuali traditione nulla est controversia.

D. De successione haereditaria: *a*) Socialistae negant eam esse iustam secundum ullam legem.

*b*) Montesquieu negavit eam ex lege naturali procedere, et civili soli legi eam attribuit: quem sequuntur haud pauci recentiores.

*c*) Quidam canonistae (cf. Schmalzgruber, lib. 3, tit. 26, nn. 3 ad 9) admittentes ius haereditatis habere aliquod fundamentum in lege naturali, tenent illud esse in se nimis indeterminatum, et proinde formalem eius determinationem provenire ex lege civili, penes quam est assignare titulum, non tamen negligendo fundamentum naturale. Taparelli tenebat successionem haereditariam respectu familiae testatoris esse ex lege naturali,

sed nonnisi ex lege civili hominem ius accipere testamento alienandi sua bona extra familiam.

De hac re defendimus provenire ex lege naturali ius et titulum testamenti, et ius et titulum propinquitatis ad haereditatem ex intestato quoad immediatam suam familiam.

Probanda in thesi: A. Occupatio effectiva est naturalis et primigenius titulus dominii proprietatis.

B. Labor productivus est naturalis titulus originalis dominii super proprios praecisive fructus.

C. Labor productivus non est titulus dominii super materiam super quam operatur nisi in quantum participat de ratione occupationis effectivae.

D. Traditio est naturalis titulus derivativus dominii proprietatis.

E. Successio haereditaria sive per testamentum sive per propinquitatem in eadem familia ex moriente intestato est naturalis titulus derivativus dominii proprietatis.

Probatur A. — Occupatio effectiva est dominii titulus naturalis et primigenius.

Arg. — Illud factum contingens est titulus naturalis et primigenius dominii proprietatis, quod *a*) natura sua proportionatur ad dominium rei determinandum tanquam alicui subiecto proprium, et *b*) necessario praesupponitur cuivis alteri titulo naturali; atqui effectiva rei occupatio tale factum est: ergo effectiva rei occupatio est titulus naturalis et primigenius dominii proprietatis.

Ad Mai. — Factum quod ita proportionatur est ex definitione titulus naturalis, et factum quod est titulus naturalis et simul cuilibet alteri praesuppositus est ex definitione titulus primigenius.

Ad Min. — *a*) Illud factum contingens natura sua proportionatur ad dominium rei determinandum tanquam

alicui subiecto proprium, quod ad finem, propter quem lex naturalis dominia propria concedit, assumit rem effective individuo subiecto quin violetur ius alterius, et simul sufficienter aliis manifestat rem ita esse assumptam; atqui effectiva occupatio rem ita individuo subiecto assumit et assumptam esse manifestat: ergo effectiva rei occupatio natura sua proportionatur ad determinandum dominium rei tanquam alicui subiecto proprium

Ad Mai. — Quum dominium proprietatis sit ius naturale, datur aliquis titulus naturalis: quum dominium non sit actuale ius congenitum, hic titulus nequit esse ipsa natura hominis: ergo necessario existit aliquod factum contingens quod est titulus naturalis. Unde arguimus: illud factum contingens natura sua proportionatur ad determinandum subiecto individuo dominium proprium alicuius rei, quod connectit illam rem huic prae aliis individuis praecise secundum eam rationem propter quam lex naturalis intendit dominia distribuere ut propria, dummodo ex una parte illam potestatem lex non concesserit alteri, et dummodo ex altera parte factum illud adimpleat conditionem necessariam ut aliis applicetur legis obligatio huic potestati obsequendi; atqui factum quod individuo subiecto ob finem lege naturali intentum rem effective assumit quin ius alterius violetur, et simul aliis sufficienter manifestat talem assumptionem, ita individuo connectit rem cuius potestatem lex naturalis alteri non concessit, itemque implet conditionem necessariam respectu obligationis aliorum: ergo factum ita assumens, non violans, et simul ita manifestans, est factum contingens natura sua proportionatum ad dominium rei determinandum alicui subiecto tanquam proprium.

Ad Min. — Effectiva rei occupatio rem assumit, quia est realis apprehensio; effective ad finem lege na-

turali intentum, quia ita assumit ut res potestati physicae assumentis subiiciatur ad usum humanum proprium, et quidem cum animo dominium acquirendi; quin ius alterius violetur, quia res assumpta iam est nullius; cum sufficienti manifestatione, quia occupatio effectiva supponitur esse etiam significativa.

Confirmatur. Ex eo quod constanter, uniformiter et universaliter homines practice asseruerunt effectivam occupationem rei (praesertim terreni) nondum ullius esse sufficientem titulum naturalem ad dominium super eam.

Ad Min. — *b*) Omnis titulus naturalis est aut derivativus aut originalis: derivativo omni praesupponitur aliquis titulus originalis, quia derivativus supponit rem iam esse alicuius domini: solus naturalis titulus originalis praeter occupationem est labor productivus; sed labor productivus iam supponit materiam esse effective occupatam: ergo effectiva occupatio praesupponitur omni alii titulo naturali.

Probatur B. — Labor productivus est naturalis titulus dominii super suos proprios fructus.

Arg. — Illud factum contingens quod ex natura sua est titulus dominii imparticipati est analogico modo et mensura titulus naturalis dominii participati; atqui exercita activitas productiva est natura sua titulus dominii imparticipati super effectus productos: ergo activitas exercita productiva hominis, seu labor productivus, est naturalis titulus dominii super suos proprios fructus.

Ad Mai. — Si factum productionis habet talem relationem ad Deum producentem ut divina natura necessitet ut res producta sit sub dominio Dei producentis, tale factum habet relationem ad hominem producentem ut lex naturalis eius intuitu determinet dominium rei productae homini producenti prae ceteris hominibus.

Ad Min. — Activitas pertinet ad ipsum agentem et ratio eius existentiae est ut ad finem suum habeat ipse ea quae exercitio suae activitatis in esse ponuntur.

Confirmatur. — Lex naturalis dedit homini moralem potestatem super suam activitatem praecise ut per effectus eius exercitii se moveat ad finem suum naturalem; atqui non ita moveret se ad finem suum naturalem nisi haberet dominium super fructus suae activitatis exercitae tanquam super media ad illum finem: ergo lex naturalis dedit homini dominium super fructus suae activitatis, seu activitas illa exercita in productione naturalis titulus est dominii super fructus productos.

Probatur C. — Labor productivus non est titulus dominii super materiam super quam operatur nisi in quantum participat de ratione effectivae occupationis.

Arg. — Labor non incipit producere, prius quam rem iam aliquomodo occupet, et exercitium humanae activitatis facit occupationem illam effectivam prius quam fructum alium inseparabilem ab illa materia efficiat: atqui occupatio illa effectiva iam constituit titulum ad rem occupatam, et labor productivus formaliter qua talis non constitueret titulum ad materiam nisi in quantum fructum efficeret inseparabilem ab illa materia: ergo labor prout participans de ratione effectivae occupationis titulum constituit prius quam formaliter qua talis posset aliter titulum constituere ad ipsam materiam.

Probatur D. — Traditio est naturalis titulus derivativus dominii.

Arg. — Ille est titulus naturalis derivatus, sine quo ut tali impossibiles essent illae commutationes rerum inter homines quae ipsis necessariae sunt ut per res dominatas vitam suam connaturaliter evolvere possint; atqui sine traditione ut titulo derivativo naturali illae

commutationes necessariae impossibiles essent: ergo traditio est naturalis titulus derivativus dominii.

Ad Mai. — Dominium est ad finem humanae vitae, inter cuius ambitum est connaturalis vitae humanae evolutio: unde in dispositione legis naturalis omnia illa includuntur quae necessaria sunt ut dominium efficaciter inserviat ad talem evolutionem.

Ad Min. — Homo neque occupare neque producere ipse potest omnia quae necessaria sunt ipsi ad connaturalem suae vitae evolutionem: unde secundum ordinatam tendentiam naturae alii alias res occupant et producunt; ad has res inter se commutandas necessarium est ut unus possit voluntarie conferre alteri dominium super rem quam illi offert in commutatione, simulque ab illo obtinere dominium super rem quam ab altero velit in commutatione obtinere: hoc autem fieri nequit nisi traditione tanquam titulo derivato dominii; et quidem naturali, siquidem necessitas et ius huiusmodi commutationis antecedit natura sua societatem civilem eiusque dispositiones.

Probatur E. — Successio haereditaria, seu factum quo quis constituatur haeres est titulus naturalis derivativus dominii.

Arg. 1. (In genere). — Ille est titulus naturalis derivativus dominii sine quo aut pax inter homines aut prosperitas pessumdaretur; atque sine haereditaria successione tanquam titulo naturali derivativo dominii aut pax inter homines aut prosperitas pessumdaretur; ergo successio haereditaria est naturalis titulus derivativus dominii.

Ad Mai. — Lex enim naturalis intendit pacem inter homines tum extra societatem civilem tum intra ipsam itemque communem prosperitatem saltem per so-

cietatem civilem obtinendam: unde disponit omnia media necessaria, et proinde si aliquod factum ita necessarium est tanquam titulus derivativus dominii, lex naturalis determinat illud esse talem titulum.

Ad Min. — Sine tali titulo bona morientis aut facta essent nullius aut transirent in dominium sociale communitatis; atqui in primo supposito deficeret pax ex argutiis hominum iniustis et violentia tum ad maturandum mortem domini tum ad actuandam novam bonorum derelictorum occupationem; in secundo supposito post unam et alteram generationem vix non omnia bona externa essent in dominio sociali, quod supra probavimus non constare cum prosperitate omnium civium: ergo sine tali titulo aut pax inter homines aut prosperitas in communitate pessumdaretur.

Arg. 2. — *a*) Quoad familiam haeredem ex intestato. Ille est titulus naturalis derivativus dominii sine quo ut tali sat communiter deficeret paterfamilias ab officio suo naturali, et familia privaretur iis bonis quae connaturaliter magis minusve pro ipsa erant provisa; atqui sine successione haereditaria familiae ex intestato sat communiter paterfamilias deficeret a suo naturali officio, et familia privaretur iis bonis quae connaturaliter magis minusve pro ipsa erant provisa: ergo successio haereditaria familiae ex intestato est titulus naturalis derivativus dominii.

Ad Mai. — Lex naturalis necessario sancit ea quae communiter sunt necessaria ad impletionem officiorum naturalium; insuper finis proximus naturalis *cui* paterfamilias magis minusve cumulavit sua bona externa est ipsa sua familia; atqui sine successione haereditaria familiae ex patre intestato (et sat communiter moriuntur intestati)

talis provisio deficeret familiae, quae simul privaretur iis bonis quae ita pro ea erant provisa.

*b*) Quoad haeredes ex testamento. Ille est naturalis titulus derivativus dominii sine quo ut tali homo careret potente motivo connaturali quo moveret familiam ad officia sua implenda, et simul privaretur proprio stimulo connaturali ad industriam et oeconomiam materialem; atqui sine successione haereditaria mediante testamento tanquam titulo dominii derivativo careret homo tali motivo et privaretur tali stimulo; ergo haereditaria successio mediante testamento est titulus naturalis derivativus dominii.

Ad Mai. — Lex naturalis evidenter sancit naturale motivum quo familia ad sua officia implenda dirigi possit a patrefamilias, et simul proprium eius stimulum naturalem ad industriam et moderatam saltem ordinarie oeconomiam materialem.

Ad Min. — Nisi paterfamilias habeat ius per testamentum alienandi bona sua a membris familiae qui sua officia negligant, certo caret potente motivo naturali quo ipsa membra efficaciter dirigat ad sua officia praestanda. Insuper, nisi ipse liber sit ut disponat bona sua derelinquenda pro amicis suis aut pro beneficio pauperum aut religionis aut etiam civitatis, certo privatur proprio connaturali stimulo (praesertim si ipse familia careat) ad bona materialia industriose et oeconomice cumulanda.

*Scholion 1.* — Accessio est incrementum rei iam sub dominio positae. Accessio per originem dicitur si incrementum fit per actionem naturalium virium augmentativarum rei ipsius; accessio autem per unionem habetur quando incrementum rei fit actione alterius entis rem augmentantis: quod si incrementum fit per laborem hominis, dicitur accessio per specificationem; si autem per

actionem externi entis quod agit sine influxu humano, sicut in casu alluvionis, accessio nominatur per nomen genericum simpliciter accessio per unionem. Accessio per specificationem pertinet ad laborantem per naturalem titulum originalem sui laboris, uti constat ex thesi. Accessio per originem pertinet ad dominum rei, quia qui dominus est rei est dominus item eius activitatis et etiam fructus qui est exercita rei activitas in suo termino concreta facta; atque hic titulus naturalis est et originalis. Accessio simpliciter per unionem pertinet ad dominum rei cui fit illa unio, et videtur esse per titulum occupationis; sed quum possit esse dubium utrum res accedens semper sit naturaliter nullius in suo transitu unionis, titulus communiter perficitur lege civili; unde forsan melius dicatur titulus civilis.

*Scholion 2.* — Praescriptio est modus acquirendi dominium per possessionem rei (quae alterius erat aut est) bona fide habitam et per tantum temporis quantum rationem praestet sufficientem iudicandi dominum priorem ius suum cedisse. Prout titulus est, praescriptio sistit in istiusmodi possessione et assimilatur occupationi; sed opus est ut probetur verificari conditio ad iuridicam occupationem requisita, nempe quod res occupata sit nullius. Unde ad verum praescriptionis titulum requiruntur conditiones sequentes:

*a*) Quod res sit apta in genere dominii materia, et non munita lege civili contra praescriptionem.

*b*) Quod possessio sit actualis cum animo dominium acquirendi.

*c*) Quod res possideatur bona fide, i. e. quod possessio sit incepta et continuata sine rationabili fundamento dubii de iure alterius forsitan violato.

*d*) Quod adsit rationabile fundamentum censendi possidentem habere aliquem verum titulum.

*e*) Quod sufficiens transierit tempus pro iudicio prudenti de derelictione rei a priore domino facta; quum difficile sit quantum temporis huic sufficiat determinare, determinatio communiter fit lege civili secundum exigentias boni communis; attamen titulus ille non semper est civilis sed interdum pure naturalis, in quo casu tum requiri tum sufficere videtur tempus unius generationis hominum.

Quod tale factum contingens est etiam titulus naturalis probatur.

Illud factum contingens est naturalis titulus dominii sine quo ut tali aut bona innumera extra omne possibile commodum gentis humanae manerent, aut saepissime dominium incertum et insecurum esset et lites de ipso ultra omnem rationabilem mensuram multiplicarentur; atqui sine praescriptione tanquam titulo dominii haec sequerentur incommoda: ergo praescriptio est naturalis titulus dominii.

Ad Mai. — Lex naturalis necessario providet ut res externae possint esse media ad usum et commodum humanae gentis, et quidem cum sufficienti certitudine et securitate et evitatione litium inter homines irrationabiliter multiplicatarum.

Ad Min. — Plurima bona externa ab hominibus sive consulto sive per accidens deseruntur; nisi haec post tempus aliquod proportionatum fierent nullius et ita occupationi subiecta, ab usu et commodo gentis humanae removerentur. De facto quidem talia bona homines de novo occupant et saepissime bona fide; quod si post tempus proportionatum prioris domini ius non cesset, de novo occupans saepissime non potest scire utrum necne ces-

saverit; unde semper manebit dominium eius incertum et insecurum, atque aperta patebit via ad lites movendas ex parte eorum qui aut sibi vindicare velint possibile ius prioris domini, aut deturbare praesentem occupantem propter eius dominium possibiliter invalidum.

*Scholion 3.* — Titulus civilis habetur aut quando lex civilis ultimatim determinat titulum ex lege naturali adhuc obscurum vel minus determinatum; aut quando societas civilis distribuit civibus ea quae prius iam facta fuerint titulo naturali sub dominio proprietatis totius communitatis: aut quando de suis societas individuo transfert titulo traditionis; aut demum, quando societas in poenam delicti bona a domino aufert et alteri in praemium meriti publici confert vel omnibus distribuit.

*Scholion 4.* — Ex iure dominium privatum acquirendi et ex diversa activitate ab hominibus exercita, qua tale dominium determinatur, necessario sequitur inaequalitas bonorum in individuis, quae inaequalitas naturaliter et iuste augetur ex diversitate curae individualis et familiaris super bona acquisita et cumulanda. Sicut meritum variatur secundum activitatem moralem, ita et fructus oeconomici variantur secundum activitatem physicam animae et corporis. Aequalitatem oeconomicam coercere esset suprema violatio iurium naturalium, necnon mala illa contra pacem et prosperitatem produceret propter quae determinavimus Collectivismum esse illicitum.

Attamen negari non potest plures homines ingens aliquod dominium stabile obtinuisse mediis iniustis, sive ex deliberata malitia, sive mensurando ius naturale per solas leges civiles easque evitando, sive ex magis minusve obscuritate et indeterminatione in applicatione principiorum legis naturalis ad novas nostras conditiones

oeconomicas. Contra talem vero possessionem bonorum ex iniustitia habitam procedere non licet nisi per iustas et prudentes leges civiles earumque firmam et prudentem executionem, nisi totum ordinem iuridicum evertere vellemus simulque communitatis prosperitatem destruere, quod lege naturali prohibetur.

Naturales limites acquisitionis bonorum individualis sunt ex una parte activitas et cura individuorum et familiarum, et ex alia parte non violatio iuris aliorum, non tantum perfecti secundum iustitiam commutativam sed etiam imperfecti et legalis, quod quisque secundum generalem obligationem iustitiae legalis habet in civitate ad communem opportunitatem mediorum ad vitae suae evolutionem connaturalem. Vinculum enim sociale quo omnes in civitate ex lege naturali ligantur ad cooperandum ad communem omnium finem socialem continet obligationem ut quisque suam activitatem exerceat eo modulo quo inserviat ad communem opportunitatem omnium promovendam. Unde dominium privatum et eius exercitium subiacet restrictionibus legis civilis in ordine ad bonum illud commune cooperatione omnium efficiendum. Quod quisque debet ita cedere de exercitio sui iuris secundum exigentias essentiales boni communis satis per se constat: quod vero ultra tales exigentias restringi non debet, etiam constare videtur. Iudicium autem authenticum de illis exigentiis est penes ipsam auctoritatem civilem, cuius leges etiam in hac materia per se ligant in conscientia, nisi in casu certae et patentis iniustitiae: immo in casu talis iniustitiae interdum talibus legibus in foro externo obligamur, ne ordo socialis per nostram inobedientiam serio perturbetur, quod est peius malum quam iniusta limitatio in exercitio iuris individualis.

Unde lege civili prohibenda est non tantum iniusta

accumulatio bonorum privata, sed etiam talis acquisitio et acquisitorum usus quae frustrarent communem et essentialem opportunitatem civilem cuique in civitate debitam. Ita manebit tamen inaequalitas bonorum et quidem satis magna; sed restringetur illa extrema et socialiter fere exitialis disparitas, quae animos multitudinis hodie tantum irritat. Historia nos docet multitudinem irritatam ultra limites humanae patientiae per iniustitiam sive commutativam sive legalem, si iniustitia illa legibus non corrigatur, tandem aliquando per fas et nefas quaerere suam solutionem difficultatis, cum immani destructione omnis pacis et prosperitatis. Cui periculo ut obviatur, opus est perseverante cooperatione privata et publica ad ampliorem iustitiae observantiam promovendam.

## CAPUT III.

## De Officiis Hominis Socialibus.

### PROOEMIUM.

Societas in genere est stabilis unio moralis plurium ad bonum commune cooperatione attingendum. Plurium est, quia, licet per fictionem legalem interdum constituitur id quod denominatur legalis corporatio solius, i. e. elevatio unius individuae personae physicae in personam moralem cum specialibus iuribus et officiis in ordine ad bonum aliquod commune per suam activitatem legalem efficiendum, tamen ex communi sua notione societas relationem inter homines mutuam indicat, et proinde terminorum humanorum postulat pluralitatem. Unio est, quia societas notionem ordinis secum involvit, et pluralitas sine unione ordinem non dicit sed confusionem. Moralis unio requiritur, quia propinquitas vel coniunctio physica tantum efficit segregatam multitudinem sicut in pecore boum aut grege ovium; insuper societas non praedicatur de relatione animali sed de humana qua tali, et proinde unionem exigit quae hominibus propria est, scilicet moralem. Unio autem omnis subaudit vinculum, entitas nempe una aliqua in utroque termino unito radicata, et moralis unio igitur subaudit tale vinculum in voluntate libera hominum: physicum vero tale vinculum potest adesse in communi intentione voluntatum, sed tale vinculum non est iuridicum neque strictissimo sensu morale nisi sistit in aliqua obli-

gatione simul voluntates plurium ligante ad commune bonum cooperatione attingendum. Unio illa debet esse stabilis, quia vinculum mere transiens non efficit id quod homines intelligunt per societatem: unde licet illa unio non necessario debeat esse perpetua, opus est ut sit per se permanens et non mere obiter habita. Ad bonum commune est, quia secus non habetur unio in activitate voluntatis cuius obiectum nonnisi bonum est, neque communis obligatio, quae etiam nonnisi ad bonum esse potest: quod si commune intentum, licet sit bonum physicum. sit tamen malum morale, unio plurium non dicitur societas nisi per abusum vocis, siquidem verum vinculum requisitum est obligatio, obligatio autem ad malum morale terminari nequit. Bonum illud commune non sonat quod modo sit idem obiectum omnium voluntatum et obligationis, sed etiam quod sit pro omnibus communiter obtinendum: aliis verbis communitas boni afficit non tantum finem qui sed etiam finem cui. Cooperatione obtinendum additur, quia non sufficit ad notionem societatis ut omnes quaerant idem bonum et unusquisque pro se ipso, sed requiritur ut quisque illud quaerat non tantum pro se ipso sed etiam pro ceteris omnibus; unde bonum illud non tantum commune et mutuum est, sed etiam mutuo simul obtinendum; hoc autem non fit nisi cooperatione; cooperatio vero humana significat coniunctam activitatem intellectuum, voluntatum atque facultatum externarum ad bonum commune omnibus attingendum. Ex hac definitione constat quaenam sint quattuor societatis causae: materialis est ipsa pluralitas hominum, formalis vinculum sociale, finalis bonum commune, efficiens ipsi homines et lex unde provenit obligatio: unde species societatis determinatur extrinsece per bonum commune

quod quaeritur; et intrinsece per indolem vinculi moralis in ordine ad illud bonum attingendum.

In genere societas partitur multipliciter:

1. Ratione ipsius esse societatis habetur:

*a*) Societas in fieri, quae est multitudo prout transiens a statu iuridice discreto in ipsam societatem, seu prout induens illud vinculum iuridicum quo constituitur illa stabilis unio moralis quae est societas.

*b*) Societas in facto esse, quae est multitudo ita iuridice constituta in societatem.

II. Ratione materiae:

*a*) Societas simplex, quae est illa cuius materia sunt personae physicae qua tales.

*b*) Societas composita, quae illa est cuius materia sunt personae morales, seu aliae societates prius constitutae. Iam vero sicut in societate simplici personae physicae retinent suam propriam personalitatem cum suis iuribus et officiis individualibus licet cum modificatione secundum exigentias boni communis societatis simplicis, pariter in societate composita societates quibus illa constituitur suam personalitatem moralem seu socialem retinent cum suis iuribus et officiis propriis licet cum modificatione secundum exigentias boni communis societatis compositae.

III. Ratione originis:

*a*) Societas naturalis, quae est illa ad quam homo ordinatur praecepto legis naturalis ob adaequatum finem communem humanae vitae efficiendum: in huiusmodi igitur societate finis essentialis, media essentialia et indoles vinculi socialis, seu iura illa et officia quae essentialiter in illo vinculo continentur, determinantur lege naturali et non libera electione hominum. Notandum est, licet ex lege naturali detur homini praeceptum affirma-

tivum ut constituatur naturalis societas, determinationem eius iuridicam ad existentiam in concreto provenire ex facto aliquo contingenti, et de facto, uti videbimus infra, ex consensu constituentium: item, licet essentialia in illa societate determinentur lege naturali, et proinde ab hominibus immutari non possint, accidentalia autem relinqui hominum liberae determinationi.

*b*) Societas conventionalis, quae talis est cuius essentialia specifica non minus quam existentia liberae hominum electioni determinanda relinquuntur.

IV. Ratione auctoritatis:

*a*) Societas aequalis, ea scilicet in qua tota auctoritas simul et permanenter residet in toto coetu membrorum simul sumpto. Notandum est in huiusmodi societate exercitium auctoritatis postulare omnium volitionis imperativae unanimitatem aut actualem aut artificialem: prior habetur quando ad aliquam legem omnes directe consentiunt; altera, quando indirecte datur omnium consensus, quatenus omnes directe consentiunt considerare tanquam imperium omnium id cui directe consentit pars determinata omnium, communiter pluralitas, sed interdum etiam pars secundum determinatam mensuram maior.

*b*) Societas inaequalis, in qua auctoritas non in omnibus residet sed, exclusis ceteris, in una aut pluribus personis, quibus cetera omnia membra subiiciuntur.

V. Ratione mediorum:

*a*) Societas perfecta est quae media omnia sufficientia ad suum finem attingendum in se sive realiter sive virtualiter habet; huiusmodi societas igitur in aliam altiorem societatem non ordinatur tanquam in suum complementum et perfectionem, in qua sola scilicet suum integrum finem efficaciter adipisci potest. Realiter in se habet societas illud medium quod non ex alia societate

exigere debet sed tantum ex individuis suis membris ad suum finem sive electione propria sive secundum praeceptum legis naturalis cooperantibus: virtualiter habet medium aliquod quando non in se habens medium, ius tamen habet exigendi illud *per imperium* ex aliis societatibus quae sunt inferiores saltem in quantum ad hoc ut teneantur tale medium supplere.

*b*) Societas imperfecta est quae neque realiter neque virtualiter in se habet omnia media requisita ad suum finem integrum attingendum, et proinde ab alia societate superiore pendet quam ingredi debet ut ab ea obtineat media sibi deficientia. Huiusmodi ergo societas ad altiorem societatem tanquam ad complementum et perfectionem sui natura sua ordinatur: habet quidem ius exigendi (*sed non per imperium*) ex altiore societate ea media quae dum inserviunt ad bonum commune altioris simul sunt requisita ad sufficientiam in ordine ad suum proprium bonum commune; ius illud non dicit iurisdictionem, sicut dicit in casu ubi societas exigens habet ipsa virtualiter medium exactum, sed est ius connotans in altiore societate officium ex lege naturali vel positiva ut medium aliquod inferiori concedatur.

**THESIS XLIII. — Cuivis societati humanae necessarium est ut in ea sit auctoritas socialis.**

Cf. D. Thomas, De Regimine Principum, lib. 1, cap. 1; Suarez, De Legibus, lib. 3, cap. 1, nn. 4 et 5; Costa-Rossetti, thes. 137 et 138; Ferretti, thes. CXII.

*St. Qu.* — Agitur in thesi de societate in genere et secundum definitionem supra datam et explicatam ex sensu communi.

Auctoritas socialis est potestas iurisdictionis super multitudinem in societate ut cooperationem omnium efficaciter dirigat ad adeptionem boni communis seu finis societatis. Quum sit iurisdictio, dicit ius in aliqua persona sive physica sive morali super actiones liberas omnium sociorum et connotat proinde in his officium huic potestati praestandi obsequium: hoc officium in conscientia obligat, non tamen secundum iustitiam commutativam sed secundum iustitiam legalem; demum ius illud coactivitate gaudet cuius exercitium est penes ipsum subiectum iurisdictionis.

Probatur. — Arg. 1. Illud societati cuilibet necessarium est quod semper habitum est in omni morali hominum unione cui homines nomen tribuunt verae societatis; atqui auctoritas socialis ita habita est in omni tali unione: ergo auctoritas socialis cuilibet societati necessaria est.

Ad Mai. — Quod semper et ubique invenitur in aliquo ente morali certo exigitur ex natura illius entis: secus enim non datur ratio sufficiens eius existentiae universalis, siquidem non datur causa semper et ubique eodem modo operans nisi sit aliquid in ipsa natura rei. Confirmatur consideratione mutabilitatis in voluntate humana et praesertim communis hominum repugnantiae ut quidquam cedant de sua libertate et independentia.

Ad Min. — Constat ex historia praesenti et praeterita.

Arg. 2. — Illud est cuivis societati necessarium sine quo finis societatis effici nequit neque eius stabilitas conservari; atqui sine auctoritate sociali neque finis societatis effici neque eius stabilitas conservari potest: ergo auctoritas socialis cuivis societati necessaria est.

Ad Mai. — Natura omnis entis proportionatur ad

finem suum proprium efficiendum et proinde in illa natura datur exigentia cuiuslibet rei quae finis adeptioni necessaria est: insuper stabilitas est de definitione societatis ideoque natura societatis exigit omne illud quod necessarium est ad actuandam suam stabilitatem.

Ad Min. — Finis societatis nequit obtineri nisi cooperatione membrorum, neque stabilitas conservari nisi cooperatione permanenti; cooperatio autem permanens haberi nequit sine unitate ordinata (ad finem scilicet) in electione mediorum neque sine constantia in applicatione voluntatis et virium membrorum respectu usus illorum mediorum: atqui sine auctoritate sociali talis unitas et constantia haberi non potest: ergo sine auctoritate sociali neque finis societatis effici neque eius stabilitas conservari potest.

Ad Min. — In electione mediorum quaeque voluntas sibi relicta magis minusve sequitur suum iudicium aut suum arbitrium; iudicia autem membrorum de mediis sunt diversa, siquidem media plurima sunt disiunctive apta, et arbitria membrorum rarissime coincidunt; item voluntas sibi relicta est inconstans tum in volitione tum in applicatione hominis virium in usu mediorum: his positis, nequit haberi unitas electionis mediorum sine morali potestate determinandi media ordinate et cooperative adhibenda, neque constantia in volitione membrorum sine potestate obligandi voluntates omnium, neque constantia in applicatione virium sine potestate coercendi, ubi opus sit, applicationem virium; potestas autem determinandi media ab omnibus adhibenda, et obligandi voluntates ad ea adhibenda, et coercendi virium applicationem est auctoritas socialis: ergo sine auctoritate sociali haberi nequit in societate unitas ordinata in electione mediorum, neque constantia in applicatione voluntatum et virium membrorum in usu illorum mediorum.

Confirmatur ex analogia cum corpore physico hominis; est enim societas corpus morale hominum. Iam vero sicut in corpore physico necessaria est aliqua potestas physica per necessitatem physicam co-ordinans omnia membra ad unitatem activitatis in ordine ad specificam illam perfectionem hominis, quae ipsi competit qua ens per se unum et specificum est, quaeque merito exinde dici debet bonum commune ipsius corporis et omnium eius membrorum; ita etiam in corpore morali hominum opus est aliqua potestate morali per necessitatem moralem coordinante omnia membra ad unitatem activitatis in ordine ad bonum commune ipsius corporis, seu societatis: atqui illa potestas moralis est auctoritas socialis: ergo.

*Scholion.* — Auctoritatem socialem veteres Scholastici formam societatis esse voluerunt; recentiores autem eam dicere malunt proprietatem essentialem seu accidens proprium societatis. Re quidem vera termini materiae et formae a corpore physico ad ens aliquod morale transferuntur analogice tantum. Secundum hanc analogiam forma erit illud elementum quod superveniens materiae societatis seu pluralitati hominum ipsam determinat ut sit moraliter et iuridice societas. Iam vero auctoritas nulla est nisi vim obligandi membra habeat, non autem habet vim obligandi membra nisi in quantum sunt membra seu socii, non autem sunt socii nisi supponatur hominum pluralitas iam esse formaliter determinata in societatem: unde auctoritas socialis supervenit societati iam formaliter constitutae, et quidem necessario, uti in thesi probavimus; unde induit rationem accidentis proprii. Recentiores Scholastici magis minusve communiter assignant tanquam societatis formam unitatem voluntatum plurium in eumdem finem communem cooperatione obtinendum. Iam vero haec unitas in se est unitas potius

materialiter moralis quam formaliter, et considerata naturali inconstantia voluntatis humanae etiam quoad unitatem intentionis habendam non secure fundat illam stabilitatem quae societati essentialis est: unde nobis videtur — salvo meliore consilio — magis aptum ponere formam in illo vinculo sociali, quod proveniens ex lege aliqua in se continet omnia in genere illa officia et iura quae necessaria sunt ad habendum ens aliquod specificum morale *et iuridicum*, qualis societas est. Etenim positis omnibus praerequisitis ut hominum pluralitas discreta transeat in formalem societatem statim oritur super omnes ligamen permanens (ex lege illa sub qua efformatur societas) quo plures stabiliter obligantur ad cooperationem in genere ad bonum commune et quo communitati communicantur omnia in genere iura quae ipsi necessaria sunt ad illum bonum commune efficiendum.

## Articulus I.

### De Societate Domestica.

Societas domestica (quae etiam denominatur familia) in sua plena amplitudine definiri potest stabilis unio moralis coniugum, liberorum et famulorum ad bonum commune omnium: hoc autem bonum commune in genere erit evolutio vitae humanae in singulis secundum exigentiam respectivam singulorum membrorum et connaturalem potentiam familiae ad exigentiae illi respective satisfaciendum; proximus eius finis in genere erit prosperitas familiae privata seu rationabilis abundantia mediorum et opportunitatum singulis provisa quibus bonum commune prout respective singulis distribuendum obtineatur. Iam vero ad integralem rationem societatis domesticae habendam tria sunt stadia, in quibus habemus respective societatem coniugalem, societatem parentalem, et societatem herilem. Coniunctione coniugum habetur societas coniugalis, addita prole societas illa assumit rationem etiam parentalem, et adiunctis famulis induit etiam rationem herilem et facta est in sua adaequata integritate societas domestica seu familia. Imprimis igitur agere debemus de societate coniugali, quae actuatur in statu matrimonii.

Matrimonium dupliciter sumitur, vel pro permanenti quodam statu vitae humanae vel pro actu transeunte quo status ille initialem suam existentiam in concreto accipit: unde distinguitur matrimonium in facto esse et matrimonium in fieri.

Matrimonium in facto est stabilis unio moralis viri et mulieris ad prolem generandam eamque educandam et ad mutuam compensationem vitae communis. Quum generatio in genere sit productio viventis a vivente, coniuncto principio, in similitudinem speciei, generatio prolis humanae erit talis productio viventis in specie hominis: fit foecundatione ovi humani in muliere per seminationem seminis humani ab homine factam copula carnali inter utrumque; ovum foecundatum seu foetus humanus in utero mulieris per novem menses gestatur, quando ad vitam separatam maturus infans prodit in lucem. Educatio prolis est sollicita subministratio omnium mediorum necessariorum ut vita prolis physica, intellectualis et moralis ad congruentem perfectionem adultam evolvatur. Compensatio mutua vitae communis est redditio illarum auxiliarium activitatum, quarum exigentiam in ordine ad communem evolutionem vitae vir et mulier habent ut eas ab invicem suscipiant. Haec tria constituunt finem seu bonum commune in illa unione efficiendum cooperatione. Unio illa non intenditur esse solum materialiter moralis, nempe in consentientibus voluntatibus, sed etiam formaliter moralis, seu per vinculum iuridicum, obligationem nempe legis secundum determinata iura et officia ex utraque parte iuxta essentiales exigentias finis in illa unione. Stabilitas posita in definitione procedit etiam secundum exigentias non tantum ipsius finis unionis sed etiam communis finis humanae vitae. Vir et mulier supponuntur esse moraliter habiles seu capaces secundum legem (unde venit vinculum) iura suscipiendi et officia implendi quae in illo vinculo continentur. Hoc matrimonium in facto esse a Magistro Sententiarum ex codice Iustiniano definitur viri et mulieris coniunctio maritalis inter

personas legitimas individuam vitae consuetudinem servans, cuius definitionis sensus ex supra dictis constat.

Matrimonium in fieri est mutuus consensus viri et mulieris ad talia iura et officia mutua quae necessaria sunt ad generationem educationemque prolis et mutuam vitae communis compensationem. Est igitur contractus utpote consensus mutuus in determinatum effectum iuridicum. Consensus ille qua generice contractualis debet esse internus, externus et mutuus; qua specifice maritalis debet esse de praesenti et non de futuro, ut distinguatur a sponsalibus, et specifice deliberatus, i. e. vere apprehensis iuribus quae conferuntur et officiis quae contrahuntur. Hoc matrimonium in fieri breviter definitur ab Hugone Victorino duarum idonearum personarum legitimus de coniunctione consensus.

Si contractus matrimonialis inspiciatur historice invenimus eum fuisse semper consideratum tanquam ad relationem non mere transeuntem sed permanentem, non secundum conditiones pure conventionales sed secundum aliquas determinatas ab aliqua lege, et semper esse rem aliquomodo Deo sacram, propter quod communiter celebratum fuit sub auspiciis religiosis. Deinde Christus eum elevavit in sacramentum Novae Legis, ita quidem ut pro Christiano (i. e. persona valide baptizata) contractus et sacramentum sint inseparabilia: inde pro Christiano si quid officiat quominus sit vere contractus, neque ibi haberi potest sacramentum; et a converso, si quid interveniat quominus adesset sacramentum, neque contractus validus haberi potest. Porro, quum Ecclesia sola curam authenticam habeat sacramentorum, matrimonium, quin cessaverit esse contractus naturalis, factum est simul contractus ecclesiasticus. In plurimis locis ubi fides Catholica fuerit corrupta homines negaverunt matrimonium

esse sacramentum et deinde societas civilis illud assumpsit in contractum civilem. Supposito quod Christus non fecisset matrimonium sacramentum, sicut de facto etiam nunc non est inter non-Christianos, civitas ius habet faciendi matrimonium contractum civilem, quin tamen minuatur ulla ex essentialibus conditionibus contractus naturalis, qualis semper manet. Immo etiam ubi matrimonium est sacramentum, civitas ius habet determinandi effectus eius iuridicos *civiles*, sicut e. g. de conditionibus dominii particularis uxoris vel mariti, de iuribus civilibus prolis qua talis, de haereditate etc., sed neque Civitas neque Ecclesia ab hoc contractu requisita legis naturalis removere potest.

In Ethica naturali tractamus matrimonium prouti quid naturale est, praecisione habita a ratione sacramenti, et determinamus requisita legis naturalis.

**THESIS XLIV. — Lex naturalis hominem ad societatem coniugalem ordinavit; est igitur societas naturalis et non mere conventionalis: in concreto tamen venit in existentiam consensu coniugum mutuo ad vinculum matrimoniale.**

Cf. D. Thom., 3 in Supplem. q. 44, a. 1: q. 41, a. 1; 2, 2, q. 154, a. 2 in corp.; Costa-Rossetti, thes. 141; Ferretti, thes. CXIV.

*St. Qu.* — Per societatem coniugalem intendimus statum matrimonii in facto esse, ut supra definitum, stabilem scilicet unionem moralem viri et mulieris ad prolem generandam eamque educandam et ad mutuam vitae communis compensationem.

Ordinatio legis naturalis in genere potest sumi de dispositione hominis in ordine ad finem communem hu-

manae vitae efficiendum, sive illa dispositio sit per positivam permissionem sive per commendationem et suasionem sive per praeceptum, et si per praeceptum, sive per praeceptum distributive omnibus et singulis applicatum, sive toti genti in communi applicatum ita ut praecepto satisfiat, si tot ex gente humana rem faciant ut finis a lege intentus obtinendus ex actione gentis de facto obtineatur. In thesi sumimus ordinationem prout dicentem positivam permissionem singulis et praeceptum in genere genti humanae communicatum. Quando autem dicitur praeceptum non descendere super individuos hoc intendimus dicere per se: etenim per accidens in exordio mundi, quando pauci omnino sunt homines et a fortiori quando sunt tantum unus homo et una femina existentes, obligatio praecepti incidit in hos ipsos individuos, siquidem tota gens humana existens tunc temporis identificetur cum illis individuis, et praeceptum nequeat impleri a gente nisi mediantibus illis: item per accidens incidere potest individuo homini ut ad evitanda mala moralia, sicut peccata ex concupiscentia sexuali, matrimonium sit medium moraliter necessarium; in his adiunctis homo individuus praecepto legis naturalis tenetur ad societatem coniugalem.

Societas naturalis, ut supra definita, est societas cuius finis et media essentialia, i. e. iura et officia quae fini necessaria sunt, uno verbo natura vinculi, determinantur non conventione libera coniugum sed obligatione legis naturalis. Subaudit quidem societatem esse talem ad quam homo ordinatur lege naturali et ex hac ordinatione sequitur illa ratio naturalis. Exinde etiam sequitur hominem, licet sit in individuo liber ad constituendam cum comparte talem societatem vel non, liber tamen non est

ad mutandum quodlibet ex essentialibus iuribus aut officiis huic societati lege naturali determinatis.

In tertia parte thesis asserimus causam iuridicam quae dat existentiam huic societati in individuo, inter determinatam nempe virum et mulierem, esse matrimonium in fieri seu illum consensum quo vir et mulier interne, externe, mutuo, deliberate et de praesenti illa iura et officia ex lege naturali acceptant quae necessaria sunt ad generationem educationemque prolis et ad mutuam suae vitae communis compensationem, quae omnia complectimur dicendo consensum coniugum mutuum ad vinculum matrimoniale; vinculum enim illud est obligatio legis naturalis illa officia et per consequens et illa iura his consentientibus imponens.

Probatur A. — Arg. Lex naturalis hominem ordinat ad illam societatem sine qua finis lege naturali intentus (eo modo quo intenditur) effici nequit; atqui *a*) lex naturalis ut finem intendit generationem educationemque prolis humanae et mutuam compensationem vitae communis viri et mulieris, atque *b*) hic finis (eo modo quo lege naturali intenditur effici) sine societate coniugali effici nequit; ergo lex naturalis hominem ordinavit ad societatem coniugalem.

Ad Mai. — Agitur de fine aliquo proximo quem lex naturalis intendit in ordine ad integram effectionem communis finis humanae vitae.

Ad Min. — *a*) *De Fine Naturali.* Ille est finis lege naturali intentus ad quem per se datur in homine aptitudo, tendentia specifica, et exigentia; atqui in humana natura per se datur aptitudo, specifica tendentia et exigentia ad prolem generandam et educandam atque ad mutuam inter virum et mulierem compensationem vitae communis: ergo generatio et educatio prolis atque com-

pensatio illa vitae communis est finis lege naturali intentus.

Ad Mai. — Deus posuit in natura potentiam nonnisi ob actum per se proprium huic potentiae; unde quando est in homine aptitudo ad aliquid, si inveniatur illud ad quod per se et non per accidens illa aptitudo proportionatur, invenitur effectus a Deo tanquam finis intentus et lege naturali declaratus in illa natura. Pariter tendentia ponitur in hominis natura nonnisi quia Deus voluit hominem facere vel obtinere illud ad quod ponitur tendentia, dummodo illa tendentia sit specifica; etenim quaevis facultas in homine habet distinctam suam tendentiam sed in ente quod est unum per se, omnes tendentiae ponuntur in ordine ad specificam activitatem illius entis in ordine ad suum specificum finem: unde si tendentia quaevis in homine sit specifice ordinata, tunc scimus connaturalem terminum eius esse a Deo intentum. Demum ut Deus habeat ex natura humana eam gloriam obiectivam quam voluerit, debet illa natura attingere evolutam illam perfectionem quae ipsi connaturalis est; sicut ut habeat Deus formalem gloriam quam ex illa velit, opus est ut homo attingat illam perfectionem cognoscitivam et amativam creaturarum ob Deum et Dei per eas, quae perfectio ipsi connaturalis est. Ergo ubi datur in humana natura exigentia alicuius rei ut homo attingat ad supradictam connaturalem perfectionem evolutam, Deus intendit, tanquam aliquem finem proximum, ut homo illud efficiat vel obtineat.

Ad Min. — *a'*) Aptitudo ad prolem generandam constat ex correlativa viri et mulieris structura physiologica: ad prolem educandam in matre datur aptitudo ad lactandum et curandum infantem, in patre vigor voluntatis aptus ad regendum puberem; in utroque specialis

amor prolis qui est praepotens principium in prole instituenda, praesertim quum uterque sit simul terminus amoris specialis ex parte prolis: deinde datur in matre experientia vitae qua efformare potest puellam, et in patre parilis experientia qua puerum instituere potest. Ad compensationem vitae communis aptitudo constat ex correlativa viri et mulieris constitutione psychologica, secundum quam dotes et qualitates habent et virtutes connaturaliter acquirunt quae ad evolutionem vitae physicae, intellectualis et moralis in utroque sunt mutuo completivae.

*b'*) Tendentia ad prolem generandam constat ex vehementi incitamento animali tum in mari tum in femina ad actum copulativum generandi; hoc incitamentum in se est genericum, sed prout consequens ad permanentem amorem rationalem mutuum et cum rationali desiderio prolem habendi tanquam fructum mutui amoris et obiectum parentum amoris commune, atque habendi in prole solamen provectioris suae aetatis, haeredem sui sanguinis, nominis et bonorum, et aliquam continuationem quasi sui in existentia post propriam mortem, incitamentum illud est propensio prorsus rationalis et specifica. Ad prolem educandam tendentia apparet in connaturali amore et ambitione parentum ut sua proles iis mediis instruatur quibus commode possit vitam suam evolvere physice, intellectualiter et moraliter, non modo secundum mensuram quae exstabat in ipsis parentibus, sed, si fieri possit, etiam secundum ampliorem mensuram. Tendentia ad mutuam vitae communis compensationem in natura humana apparet in illo mutuo benevolentiae amore inter virum et mulierem quo ad invicem velint omnia quae habeant communicare, qui amor sicut non confunditur cum desiderio copulae sexualis, ita habet

connaturaliter unitatem obiecti, permanentiam durationis ad finem vitae et universalitatem communicationis omnium mutuo completivorum in ordine ad plenam perfectionem vitae evolvendae.

*c*) Historia constat unam generationem hominum non sufficere sed plures requiri ad perfectionem humanae naturae in cognitione speculativa et practica, in artibus tum mechanicis tum liberalibus harumque productis, atque in subiectione terrae eiusque materiae et productorum, mineralium, plantarum et animalium ad usus humanos: unde constat ad perfectionem humanae naturae dari exigentiam prolis generandae et educandae. Insuper ad evolutionem perfectionis, quae in indole et charactere viri connaturalis est, opus est ut habeat influxum qualitatum completivarum ex muliere, et vice versa; unde ad perfectionem humanam datur exigentia compensationis mutuae in vita communi.

Ad Min. — *b*) *De Necessitate Societatis.* Generatio prolis sine stabili unione morali parentum (quae est societas coniugalis) fieret consensu transeunte et concubitu vago seu promiscuo cum consequente sterilitate in muliere, cum degradatione mulieris infra aequalitatem dignitatis humanae naturae, sine amore rationali mutuo et constanti, atque cum augmento concupiscentiae in mare; atqui modus quo lex naturalis intendit prolis generationem fieri est cum amore rationali mutuo et constanti, sine sterilitate mulieris consequente et sine eius degradatione, et cum moderatione concupiscentiae: ergo sine societate coniugali prolis generatio fieri nequit eo modo quo lex naturalis eam fieri intendit. Educatio prolis secundum legem naturalem postulat influxum tum patris (et proinde cum certitudine veri patris) tum matris durantem magis minusve ad

adultam aetatem prolis et parilem subaudit educationem subsequentium liberorum qui connaturaliter nascentur durante educatione primae prolis; atqui sine stabili unione societatis coniugalis educatio prolis eo modo fieri nequit; ergo sine societate coniugali educatio prolis fieri nequit eo modo quo lex naturalis intendit. Sine stabili unione societatis coniugalis influxus mutuus completivarum qualitatum et activitatum carebit illa promptitudine, constantia et fortitudine necnon principio constantis amoris rationalis mutui sine quibus efficaciter effectum suum connaturalem producere nequit: ergo sine illa societate mutua compensatio vitae communis deficiet.

Probatur B. — Arg. Illa societas est naturalis cuius finis et iura et officia essentialia lege naturali determinantur; atqui societatis coniugalis tum finis tum iura et officia essentialia lege naturali determinantur: ergo societas coniugalis est societas naturalis.

Ad Min. — Quoad finem res constat ex argumento respectu prioris partis thesis. Quoad iura et officia essentialia res probatur. Etenim lex quae determinat (seu obligat) finem actibus hominis liberis efficiendum necessario concedit potestates morales et imponit obligationes ad illum finem efficiendum necessarias in illo statu qui est medium ad illum finem necessarium; atqui lex naturalis determinavit finem societatis coniugalis, determinavit hominem ad eam tanquam ad statum qui est medium necessarium ad illum finem, et potestates morales et obligationes in illo statu ad eumdem finem necessariae sunt iura et officia essentialia illi societati: ergo lex naturalis determinavit iura et officia societatis coniugalis essentialia.

Probatur C. — Arg. Societas coniugalis in concreto venit in existentiam per illud factum contingens quod

natura sua proportionatur ad determinandum inter quos in individuo illa societas constituitur, et quidem modo specifice proportionato naturae humanae; atqui tale factum est mutuus consensus coniugum ad vinculum matrimoniale; ergo in concreto societas coniugalis in existentiam venit mutuo coniugum consensu ad vinculum matrimoniale.

Ad Mai. — Homo non est natus coniugatus, neque quidquam est in natura humana determinans quemlibet hominem ad matrimonium, quum finis legis naturalis obtineatur sine matrimonio distributive universali; neque ullum factum necessarium datur quo vir ut mulier restringatur ad matrimonium ingrediendum cum hac prae illa comparte: unde determinatio in concreto venit ex aliquo facto contingente. Hoc insuper factum, quum per se determinet creaturas rationales ad propagationem prolis, debet habere suam specificam rationem qua differentiatur a determinatione brutorum animantium ad eamdem functionem; et demum quum factum illud determinet compartes ad effectum iuridicum secundum legem naturalem, debet habere ex natura suam proportionem ad talem effectum.

Ad Min. — Illud factum proportionatur ad effectum iuridicum quod natura sua sufficit ad illum producendum et ex natura rei requiritur; atqui consensu mutuus ad vinculum matrimoniale natura sua sufficit ad iuridicum societatis coniugalis effectum et, ut habeatur propagatio prolis modo specifice proprio humanae naturae, ex natura rei requiritur: ergo ille consensus natura sua proportionatur ad effectum iuridicum societatis coniugalis in concreto producendum.

Ad Min. — Sufficit nam in omni alia obligatione naturali contingenti et mutua contrahenda sufficit con-

sensus compartium: requiritur, quia secus fieri debet coniunctio aut per vim aut per metum, aut per imperium alterius; per vim autem vel metum non differentiatur a modo bestiali prolem propagandi, et mulier ita communiter arriperetur in servitutem sexualem; ad imperium autem quod attinet, nullum datur fundamentum naturale pro auctoritate sive patris sive principis ad effectum illum iuridicum inter determinatas personas actuandum; insuper neque per vim, neque per metum, neque per imperium assecuratur ille amor rationalis mutuus et constanter permanens qui connaturaliter antecedit et comitatur mutuam relationem societatis coniugalis.

Confirmatur. — Apud omnes gentes et ubique societas coniugalis cum eodem fine, iuribus et officiis essentialibus invenitur, et quidem in concreto veniens in existentiam mutuo consensu coniugum ad vinculum matrimoniale; ergo homo determinatur ad eam lege naturali tanquam ad societatem naturalem, cuius iuridica causa existentiae concretae est mutuus coniugum consensus.

*Scholion 1.* — Caelibatus in genere est stabilis status hominis sine matrimonii vinculo; quum susceptio vinculi matrimonii non sit singulis obligatoria, singulis caelibatus per se licitus est. Caelibatus in specie illum stabilem hominis statum significat in quo non modo immunis sit a vinculo matrimonii, sed etiam sibi sincere et efficaciter statuens immunitatem a voluptatibus carnalibus, intimam per bona et pia opera unionem cum Deo prosequatur: huiusmodi caelibatus praestare matrimonialem statum a Sancto Paulo clare enuntiatur (I Cor. VII, 7, 32, 34); neque res caret sua ratione naturali. Etenim in tali caelibatu homo carnalia sibi negat impedimenta ut ea quae animae sunt colat, eas virtutes et opera quae-

rendo quae de se et in individuo fructibus matrimonii altiora sunt, societati humanae ceteroquin necessaria et animae cum Deo intimius unitiva.

*Scholion 2.* - Fornicatio est in genere copula carnalis inter hominem et mulierem sine contractu matrimoniali. Lege naturali prohibetur; primo, quia tendit ad productionem prolis in conditione ubi carebit educatione connaturali ipsi debita et a Deo postulata ut illa nova creatura, ad cuius productionem etiam invocatur divina potentia creativa, apte disponetur tanquam instrumentum liberum ad formalem Dei gloriam et finem communem humanae naturae; secundo, quia si licita esset, talis licentia in concubitum promiscuum degeneraret cum omnibus illis effectibus malis quae supra in argumento thesis enumerantur. Quod si fiat fornicatio sine consensu compartis additur iniuria huic facta cui ius inhaeret reservandi usum sexualem sui corporis ad statum matrimonialem.

Adulterium est copula carnalis cum persona iam alteri ligata matrimonio. Praeter malitiam fornicationis addit iniuriam comparti alteri cui persona illa matrimonio ligatur, quoniam compars ad copulam cum illa persona ius exclusivum habet.

Pollutio est voluntaria productio orgasmi sexualis copulae sine ipsa copula. Haec pollutio, necnon quaevis copula innaturalis, lege naturali prohibetur, quia est usus medii naturalis cum frustratione eius finis operis, et insuper connotat humanae naturae degradationem et augmentum concupiscentiae quod per se tendit in tales excessus sexuales, qui sunt vitae physicae, intellectualis et moralis destructivi.

Immo quaevis delectatio venerea extra matrimonium deliberate quaesita aut voluntarie acceptata est contra legem naturalem, quia est initialiter usus medii naturalis

cum frustratione finis naturalis, est occasio per se proxima peioris abusus, et si permitteretur, in excessus vitae destructivos mox degeneraret.

De his omnibus peccatis venereis notandum est principia secundum quae constet malitia eorum obscurata fuisse in obfuscatione mentis hominum proveniente ex eorum vita perversa; deinde ad salutem hominum tales actus esse mala moralia clare denuntiantur in revelatione divina, prout in theologia morali ostendetur.

**THESIS XLV. — Lex naturalis parentibus prolem educandi officium imponit.**

Cf. Costa-Rossetti, thes. 144, 145; Cathrein, thes 71, 89; Castelein, thes. 28; Ferretti, thes. CXXII.

*St. Qu.* — Prole in matrimonio nata constat societatem domesticam, in societate coniugali inchoatam, induere ulteriorem rationem suae integritatis extendendo societatem coniugalem in societatem simul parentalem. De officio in societate ita integrata agimus in thesi.

Educatio dupliciter sumi potest, aut active aut passive. Active sumpta est subministratio auxiliorum proportionatorum quibus prolis facultates, tum physicae, tum intellectuales, tum morales, evolvantur ad perfectionem adultae aetati propriam. Triplex quidem distinguitur aetas in prole, aetas impubes, aetas pubertatis et aetas adulta. Impubes est proles dum per se incapax est procreandi: aetas pubertatis habetur quando proles capax iam est suam speciem procreandi, quae potentia communiter evolvitur inter annum quartum decimum et decimum sextum in puero, et inter annum duodecimum et decimum quartum in puella. Adultus dicitur homo quando per se capax est

independentem degendi vitam et iura exercendi et omnia officia implendi communia hominis, tum individualia, tum socialia tam familiae propriae quam civitatis; haec aetas adulta non semper cum praecisione determinatur anno numerico, sed in quantum ad capacitatem accipiendi iura civilia determinatur lege civili. Passive sumpta educatio significat istiusmodi evolutionem prolis facultatum ex subministratis auxiliis gradatim habitam. In thesi agitur de educatione activa.

Iam vero quum educatio passiva involvat, praeter cognitionem factorum et principiorum necessariam plenae vitae rationali, etiam habitus facultatum in applicatione factorum et principiorum, educatio activa necessario includit tum functionem docendi doctrinam tum functionem instituendi per medium exercitii facultates habitibus proportionatis. Huiusmodi autem magisterium tum docendi tum ita instituendi potest esse authenticum seu auctoritativum aut non auctoritativum. Magisterium per se dicit ius docendi et instituendi: magisterium auctoritativum est ius ita agendi connotans in altero officium acceptandi doctrinam et institutionem praestitam; unde tale magisterium potestatem habet obligandi et coercendi suum subditum ad talem acceptationem. Magisterium non auctoritativum est ius docendi et instituendi sine potestate obligandi ad acceptationem doctrinae et institutionis. In thesi quaestio est de officio connotante magisterium auctoritativum.

Officium educandi in thesi sonat moralem obligationem proli praestandi supradictam educationem activam et auctoritativam. Officium vero naturale aut positivum est prout procedit ex lege naturali aut positiva: quum autem in thesi asseramus legem naturalem imponere

officium educandi prolem, praedicamus de parentibus officium naturale.

Deinde praedicamus illum officium de parentibus ita ut sit utriusque simul parentis coordinate cooperantis, et ita ut, deficiente uno parente, compars sola teneatur, quo commode possit modo, officium implere: tale officium plurium dicitur officium in solidum. Quod officium illud sit utriusque simul parentis probabitur in argumento thesis; quod, deficiente una comparte, remanet officium in altera constat ex eo quod officium subsequatur ius in prole et terminus officii determinatur ex fundamento causalitatis in prolis procreatione.

Demum parentes non sunt restricti ad exercendum suum officium educandi per se ipsos solos, sed ipsis licitum est, quando ita magis commode fieri possit, exercitium magisterii sui etiam qua authentici committere aliis huic exercitio apprime aptis: sed officium ipsum semper manet in parentibus, et ipsi respondere debent pro eius impletione debita. « Hinc », ut bene notat Pater Brosnahan, S. I. in suo libro manuscripto ' Adversaria Ethica ', « etiam sedulo investigare parentes tenentur, num scholae ad quas mittunt filios sint tales ex magistri moribus et cultura, ex studiorum materia et methodo, ex condiscipulorum consortio, et ex aliis adiunctis, ut finis educationis rite promoveatur ». Quodsi deficiant parentibus media sufficientia ad debitam educationem, subsidia recipere debent ex Statu (loquimur de ordine naturali); etenim familia ingreditur societatem civilem praecise ob hanc rationem ut exinde obtineat ea media ad suum finem quae ipsi deficiant, et ceteroquin Status ob bonum commune ita adiuvare tenetur ad efformationem futurorum civium. Si vero ex culpa sua parentes suum officium negligant Status ob bonum commune potest eos

coercere ad officium adimplendum. Si tandem fiat impossibile ut debita habeatur educatio prolis ex auctoritativa directione parentum, per accidens officium Statui ob bonum commune incumbere potest, i. e. in ordine naturali: in ordine autem supernaturali in quo de facto vivimus alia sunt dicenda, quae in scholio infra ponemus.

Contra thesim sunt sequaces doctrinarum Liberalistarum qui volunt humanam prolem esse creaturam Civitatis sub pleno huius dominio iurisdictionis et fere proprietatis. Hi auctores desiderant non tantum excludere Ecclesiam Catholicam ab omni participatione in prole educanda, sed etiam volunt Statum per se assumere officium educandi et privare parentes omni iurisdictione super prolis educationem saltem post tempus eius infantiae. Immo his temporibus materialisticis, quando idea oeconomica finem societatis civilis dominatur, quidam liberos operariorum aestimant esse principaliter, si non exclusive, elementa productiva bonorum materialium in civitate, et proinde ad maximam istiusmodi productionis potentiam esse primario educandos. Extremi Communistae prolem volunt, statim ac nascuntur, tradi curae et iurisdictioni Status seu Communitatis.

Probatur. — Arg. 1. Lex naturalis super illos imponit officium prolem educandi, qui eam posuerunt in existentia; atqui parentes prolem in existentia posuerunt: ergo super parentes lex naturalis officium prolem educandi imponit.

Ad Mai. — Lex naturalis quum imposuerit omni homini nato officium cooperandi ad communem finem humanae vitae, dedit ipsi ius congenitum et perfectum ut ab aliis habeat ea quae pro se ipso per se facere nequeat et tamen sint ipsi necessaria ut sit creatura expe-

dita ad talem finem, seu ius dedit ad educationem activam usque ad rationem suam adultam: unde lex naturalis per fundamentum naturale determinavit terminum huius iuris seu subiectum officii naturalis prolem educandi, siquidem prolis habet necessitatem talis educationis et per se eam sibi pro se ipsa facere nequit. Fundamentum autem illud naturale est ipsa procreatio prolis. Etenim educatio est naturale complementum procreationis, et lex naturalis determinando hominem ad societatem coniugalem intendit habere exinde non novam creaturam rationalem inexpeditam ad eius finem connaturalem sed connaturaliter expeditam, et proinde ordinavit eos, qui prolem inexpeditam procrearent, ad reddendum eam connaturaliter expeditam. Quod confirmatur ex eo quod positio alterius in conditione extremae necessitatis est fundamentum naturale cur prae ceteris omnibus ponens huic necessitate succurrat: necessitas autem prolis procreatae ad educationem proportionatam habendam extrema est.

Arg. 2. — Lex naturalis officium auctoritative educandi prolem super illos imponit qui naturaliter prae ceteris omnibus aptitudinem, tendentiam et exigentiam praestant talem auctoritatem habendi; atqui prae ceteris omnibus parentes naturalem aptitudinem, tendentiam et exigentiam praestant ad talem auctoritatem habendam: ergo lex naturalis officium auctoritative educandi prolem super parentes imponit.

Ad Mai. — Iterum quaerimus fundamentum naturale in aliquo subiecto illius officii naturalis quod lex naturalis in aliquo subiecto ponit quando concedit homini nato ius congenitum ad educationem habendam: ex natura rei supponimus eam educationem esse auctoritative tribuendam. Deus autem aptitudines naturales et tenden-

tias simul cum proximis exigentiis posuit in homine praecise propter fines proximos quos per legem naturalem determinavit hominem ut efficeret: unde ex illis merito iudicamus subiectum officii naturalis respectu eiusmodi finium.

Ad Min. — Specialis aptitudo ad auctoritativam educationem alterius est amor benevolentiae constans, patiens et vix non insuperabilis erga prolem in eo qui simul est terminus amoris benevolentiae, reverentiae et docilitatis ex parte prolis; haec autem prae ceteris omnibus inveniuntur in parentibus respectu suae prolis: maior etiam est tendentia ubi talis amor praesens sit simulque coniunctus cum ambitione pro prolis promotione; haec ambitio etiam connaturaliter est in parentibus prae ceteris: demum in parentibus est exigentia profectus prolis pro bono familiae, pro senectute parentum, pro successione haereditaria; quae exigentia connaturaliter non invenitur in quovis alio. (Cf. Castelein, loc. cit.).

Arg. 3. — Lex naturalis imponit officium prolem educandi super subiecta auctoritatis illius societatis cuius connaturaliter proles directe membrum est; atqui in ordine naturali proles directe est membrum naturaliter solius societatis domesticae, cuius auctoritatis subiecta sunt parentes: ergo super parentes illud officium lege naturali imponitur.

Ad Mai. — In omni naturali societate lex naturalis tribuit membra ius ad suam connaturalem participationem boni communis et officium imponit illud providendi, in quantum auctoritative providendum est, super subiectum auctoritatis in illa societate. Connaturalis participatio quam natura sua exigit proles ex bono communi familiari est primario sua propria educatio ad capacitatem adultam.

Ad Min. — In familia sicut in omni societate requiritur auctoritas, et eadem ratio aptitudinis et tendentias connaturalis, quae demonstrat virum habere supremam familiae auctoritatem, ostendit etiam matrem habere subordinatam auctoritatem super prolem.

*Corollarium.* — Ergo parentes ius naturale habent suam prolem educandi; officium enim connotat ius ad eius impletionem.

*Scholion.* — In statu supernaturali, in quo sumus, Ecclesia est societas supernaturalis lege positiva a Christo constituta. Secundum illam constitutionem proles humana, simul ac baptizatur, fit directe membrum Ecclesiae; deinde aucta est Ecclesia authentico magisterio directe respectu fidei et morum et indirecte de omni re quae necessario involvitur cum illis. Unde quando parentes Catholici tradunt proli educationem in fide et moribus Catholicis, agunt tanquam mandatarii Ecclesiae, quae potest directe intervenire, si commodum esse censet; et dum subsidia spiritualia tenetur Ecclesia parentibus supplere pro sua functione necessaria, simul potest eos coercere ad officium suum adimplendum, et ius habet determinandi quales scholae non sint pro prole eligendae. Immo et ius habet suas statuendi scholas, quando commodum esse iudicaverit. Parentes igitur officium habent prolem educandi non tantum ut membra familiae, sed etiam officium tanquam connaturales mandatarii Ecclesiae prolem educandi ut membra Ecclesiae, et etiam officium (non tanquam mandatarii Status sed proprio nomine et auctoritate) parandi prolem pro initialibus suis officiis civilibus futuris: si conflictus in diversis respectibus huius officii educativi oriatur, dominatur officium respectu Ecclesiae, siquidem ius Ecclesiae potius est ex fine et principio. Quando autem proles to-

taliter negligitur a parentibus qui effective cogi non possunt ad officium implendum, Ecclesia et Status possunt concorditer rem ita componere ut Status impleat officium quod per accidens nunc directum est succurrendi proli ipsique subsidia materialia necessaria supplendi et educationem providendi quoad ea quae vitam respiciunt civilem, atque Ecclesia impleat suum officium (non per accidens sed per se directum) prolem educandi in fide et moribus. Igitur in praesenti ordine supernaturali officium prolem educandi non fit per accidens Status simpliciter sicut fit in ordine naturali, sed secundum quid: manet enim per se officium Ecclesiae ut prolem in fide et moribus educet, neque est ullum fundamentum naturale cur Ecclesia adhibeat Statum tanquam suum mandatarium ad illud officium adimplendum, sicut est fundamentum naturale respectu parentum.

Hisce temporibus quando plures Status iura Ecclesiae non admittant, magis necessarium est ut parentes insistant super sua iura naturalia respectu suae prolis educandae, ita ut ad illas scholas prolem mittere possint ubi sub approbatione Ecclesiae securi essent possint de Catholica prolis educatione et de impletione sui proprii officii versus Ecclesiam.

*Difficultates.* — 1. Civitas ius naturale habet ad omne medium necessarium ad suum finem; atqui prolis educatio est medium necessarium ad finem civitatis: ergo civitas habet ius naturale prolem educandi.

R. Dist. Mai. — Ius aut faciendi aut exigendi ex subditis, concedo; necessario faciendi, subdist., ubi non datur in alio ius natura sua prius, concedo; ubi datur tale ius natura sua prius, iterum disting,, faciendi ius habet per accidens ubi totaliter deficit subditus suus, concedo; per se negatur. Concessa Minore, pariter distingui-

tur Consequens: ius habet exigendi a subdito, concedo; ius faciendi, subdist., per se, negatur; per accidens ubi totaliter deficit alter in quo sit ius natura sua prius, concedo. Ad explicationem dicendum est Civitatem per se non habere ius educandi prolem (nam natura prius est ius in parentibus), sed habere ius per imperium exigendi ex parentibus ut proles educatur; ius etiam coercendi, si parentes recusant; si parentes incapaces fiant, moriantur aut prolem educare recusent et non possint coerceri, civitas in ordine naturali habet per accidens ius educandi prolem; in ordine autem supernaturali Civitas ius habet prolem educandi quoad ea quae pertinent ad vitam civilem, non autem quoad ea quae pertinent ad religionem: ius enim ad religiosam educationem praestandam manet in Ecclesia.

2. Civitas auctoritatem (et officium eam exercendi secundum suas exigentias) habet super omnia membra sua; atqui proles est membrum societatis (et datur exigentia ut educetur): ergo Civitas habet potestatem prolem educandi et officium illa potestatem exercendi.

℟. Dist. Mai.: super membra in facto esse, concedo; super membra in fieri, subdist., in quantum hi sunt subditi, concedo; aliter nego. Contradist. Min.; proles est membrum in facto esse, negatur; in fieri, subdist., et subditus immediatus, negatur; et subditus mediatus, i. e. mediante familia, concedo. Completur contradistinctio in Consequente. Potestatem Civitas habet mediatam, mediante familia, ex qua exigere potest prolis educationem, concedo; immediatam, subdistinguo, per se, negatur; per accidens, totaliter deficientibus parentibus, iterum distinguitur, in ordine naturali, concedo; in ordine supernaturali, iterum dist., quoad civilia, concedo; quoad religiosa negatur.

3. Civitas ius habet ad educationem efficacem; parentes autem sunt inefficaces. R. Parentes sunt per se inefficaces, negatur; per accidens, conceditur.

4. Per se sunt inefficaces parentes, nam ubicunque communiter tales sunt. R. Ubicumque et communiter inefficaces sunt ex defectu capacitatis exercendi iurisdictionem super educationem prolis et iudicandi de scholis ad quae prolem mittant, negatur; ex defectu adminiculorum necessariorum ad dandam (sive per se ipsos sive per scholas suae electionis) educationem proportionatam exigentiis societatis modernae, subdistinguo; et hoc probat Civitatem debere ipsis subsidia necessaria, concedo: et hoc probat eos carere iurisdictione seu authentico magisterio super suam prolem, negatur.

5. Ubi Status tenetur expensas rei faciendae solvere, iurisdictionem habere debet super rem faciendam, R. Iurisdictionem habere debet determinandi ea quae in re facienda exigantur secundum bonum commune propter quod solvit expensas, et exigendi a subditis ut solutis expensis ea omnia habeat, concedo: debet habere iurisdictionem adaequatam, unicam aut supremam, subdistinguo; si res sit facienda solummodo aut primario propter bonum civile, conceditur; si res facienda sit primario ob bonum individuale aut familiare, negatur.

6. Status ad suum bonum commune debet habere idem ius super prolis educationem quoad elementa civilia educationis, quod Ecclesia ad suum finem habet quoad elementa religiosa; atqui Ecclesia ius adaequatum habet et directum, ita ut parentes sint nonnisi Ecclesia mandatarii: ergo Status ius habere debet adaequatum et directum ita ut parentes sint tantum mandatarii Status.

R. Negatur Maior. Status debet habere aliquod ius, nempe exigendi ex parentibus, sed non idem ius. Ratio

est quia proles est Ecclesiae membrum in facto esse et subditus directe, et Ecclesia insuper essentialiter habet speciale magisterium authenticum implendum respectu omnium membrorum; dum proles Status membrum est nonnisi in fieri, et subditus tantum indirecte, neque Status induitur authentico magisterio speciali respectu omnium suorum membrorum..

**THESIS XLVI. — Lex naturalis polyandriam et polygamiam prohibet.**

Cf. D. Thom., Cont. Gent. lib. 3, c. 124; Supplem. q. 65, a. 1: Ferretti, thes. CXIX.

*St. Qu.* — Agitur de proprietate unitatis in matrimonio: unitas autem matrimonii significat contractum et statum coniugalem consequentem esse solius unius viri cum una femina sola. Attributum illud matrimonio imponitur lege naturali eo quod, uti probabimus, contrarium lege naturali excluditur: quum vero lex naturalis tantum praescribat essentialia illius contractus, sequitur attributum unitatis esse essentiale seu esse proprietatem. Iam vero quum ens nequeat stare sine suo attributo essentiali, consequitur legem naturalem non modo efficere matrimonium plurale esse illicitum sed etiam invalidum: unde post contractum matrimonialem valide factum cum una persona, invalidus seu nullus ex prohibitione legis naturalis est quivis contractus matrimonialis attentatus cum alia persona, manente priore contractu.

Unitati matrimonii opponitur polyandria simultanea, necnon polygamia simultanea. Polyandria est coniunctio maritalis unius feminae cum duobus vel pluribus viris: successiva est, si secundus contractus factus sit nonnisi

evacuato priore, et ita deinceps; simultanea est, si femina sit simul cum duobus aut pluribus viris coniuncta contractu matrimoniali. Polygamia est coniunctio maritalis unius viri cum duabus vel pluribus mulieribus: successiva est, si dempto priore contractu initur alter; simultanea, si cum duabus aut pluribus feminis vir sit simul coniunctus maritaliter. In thesi quaestio non est de successiva polyandria aut polygamia, sed de simultanea, siquidem haec sola prohibetur lege naturali, proindeque sola opponitur illi unitati quae est matrimonii proprietas.

Contra primam partem thesis Backofen et postea Gumplowicz statuerunt hypothesim matriarchicam, secundum quam societas tum domestica tum civilis primitus erat matriarchica et polyandrica. Contra secundam partem stat non modo praxis inter plures nationes paganas, sed etiam tum praxis tum theoria recentioris sectae Mormonum.

Probatur A. — Arg. Lex naturalis prohibet id in re matrimonii quod adeptionem finis matrimonii sive absolute sive per se impossibilem reddit; atqui polyandria reddit finem matrimonii impossibilem partim per se, partim absolute: ergo lex naturalis polyandriam prohibet.

Ad Mai. — Intendens finem excludit omne illud quod reddit finis adeptionem per se impossibilem, et a fortiori si reddit eam absolute impossibilem.

Ad Min. — Finis matrimonii duplex est, viz. generatio educatioque prolis, et compensatio mutua vitae communis: prior finis secundum suam genericam rationem aliquomodo communis est homini cum ceteris animalibus; alter autem est specificus et proprius et ut talis specialiter necessarius homini. Iam vero polyandria reddit ulteriorem prolis procreationem per se impossibilem, quia ex experientia constat eam reddere feminam sterilem:

reddit prolis educationem, qualem ut finem intendit lex naturalis, absolute impossibilem, quia reddit incertam paternitatem, et lex naturalis prolem educari intendit simul fieri a prolis patre et matre; qualis in casu propter incertitudinem patris fieri nequit. Compensatio mutua vitae communis subaudit amorem mutuum et praeferentialem et permanentem in cooperatione ad evolutionem vitae perfectivae, qui amor propter rivalitatem (praesertim respectu copulae carnalis) in statu polyandriae est simpliciter et absolute impossibilis.

Probatur B. — Arg. Lex naturalis statum matrimonialem prohibetur qui finem matrimonii per se impossibilem reddit; atqui polygamia finem matrimonii per se impossibilem reddit: ergo lex naturalis polygamiam prohibet.

Ad Min. — Polygamia, licet procreationi prolis non officiat, et educationem eius non per se impossibilem reddit, quamvis difficilem, tamen per se frustrat compensationem mutuam vitae communis, siquidem mutuus amor ad eam necessarius subaudit rationem mutuam, praeferentialem et constantem quae in statu polgamiae, propter inaequalitatem in iure corporis et amoris ad invicem concesso, propter invidiam ac zelotypiam coniugis simul multiplicatae, est per se impossibilis. De facto in statu polygamiae mulier reducitur ad ancillam et magis minusve ad merum instrumentum satisfaciendi libidini animali in marito.

*Corollarium.* — Statim ex unitate matrimonii consequitur ut in contractu matrimoniali ad invicem transferantur a compartibus ius exclusivum ad usum corporis in ordine ad copulam sexualem et ad ea quae cum illa connectuntur.

*Scholion.* — Si paganorum polygamia obiiciatur tanquam praestans rationem legis naturalis, praecisione

habita ab influxu legis Christianae, respondetur primo, effectus polygamiae inter paganos probare frustrationem finis matrimonii; secundo, praxim illam non habere illam constantiam, uniformitatem et universalitatem testimonii, quae requiritur ad criterion de veritate praecepti aut permissionis legis naturalis. Si urgeatur res ex dispensatione Patriarchis Veteris Testamenti facta a Deo, qui dispensationem dare non potest de re prohibita lege naturali, respondetur Deum non proprie dispensasse, sed authentice declarasse materiam legis mutatam esse, quam mutationem et Ipse partim fecisset. Enimvero materia prohibitionis in casu non est formaliter actus habendi plures uxores, sed talis pluralitas prout frustrat communem finem humanae vitae, quae frustratio non immediate habetur per pluralitatem uxorem sed per effectum eius in frustratione secundarii finis matrimonii qui medium est ad communem finem. Attamen Deus potest per speciales gratias et dispositiones supernaturales ita mutare adiuncta familiae ut non amplius sit impossibilis compensatio mutua vitae communis cum aliquali pluralitate uxorum, quamvis semper maneat aliquomodo difficilis: insuper adiuncta oriri possunt in quo matrimonium singulare magis minusve generaliter deficeret a propagatione prolis, sine qua absolute frustraretur finis communis vitae humanae, dum in matrimonio plurali respectu uxorum haberetur prolis propagata et compensatio vitae non impossibilis; in tali casu actus habendi plures uxores promoveret communem finem quo meliore posset modo in talibus adiunctis; non igitur esset formaliter idem actus respectu illius finis communis a quo habeat intrinsecam seu fundamentalem moralitatem; proinde non amplius cadit sub prohibitione legis naturalis. Deus igitur interne monendo Patriarchas ut ineant matrimo-

nium plurale, authentice declaravit generalem conditionem necessitatis de propagatione prolis et implicite promisit auxilia supernaturaliter requisita; deinde per tale monitum improprie dicitur in re illa dispensasse. Solius Dei est authentice declarare illam conditionem, quia quando res per se frustraret finem lex naturalis universaliter prohibet, et nonnisi legislator ius habet declarandi adesse illum per accidens casum ubi lex non applicetur, praesertim quando ex eius solo interventu producuntur adiuncta in quibus actus per accidens finem non frustret.

**THESIS XLVII. — Lex naturalis divortium a matrimonii vinculo homini prohibet.**

Cf. D. Thom., Suppl. q. 62, a. 5; Cont. Gent. lib. 3, c. 123; Cathrein, thes. 70; Ferretti, thes. CXX.

*St. Qu.* — Agitur de altera matrimonii proprietate, nempe de eius indissolubilitate. Supra probavimus statum matrimonii seu societatem coniugalem esse de se stabilem: nunc autem demonstrare volumus eam stabilitatem ad mortem alterutrius compartis iuridice durare, seu iure naturae matrimonium esse indissolubile.

Indissolubilitas dicit negationem potentiae ad solutionem: solutio autem matrimonii denominatur divortium. Divortium vero duplex est, imperfectum seu a mensa et a toro, atque perfectum seu a vinculo. Divortium imperfectum est iuridica separatio coniugum quoad cohabitationem, seu suspensio obligationis ad congressum sexualem et ad individuam vitae consuetudinem, manente autem ceteroquin vinculo maritali; in tali divortio manet in utraque comparte ius ad vitam communem matrimonia-

lem sed suspenditur iuridice eius exercitium, simul suspensa obligationis urgentia ex utraque parte. De hoc divortio non agitur in thesi, siquidem ex consensu mutuo ob altiorem finem, sive ex amissione exercitii iuris ex una parte aut in poenam delicti aut propter impedimentum proportionatum deficere potest urgentia obligationis mutuae. Divortium vero a vinculo seu perfectum significat extinctionem omnis iuris et obligationis mutuae maritalis, unde utraque compars libera est ad novum matrimonium cum alio ineundum: de potentia ad huiusmodi solutionem in thesi agitur.

Haec potentia ad solutionem iterum duplex esse potest, intrinseca aut extrinseca. Intrinseca est si solutio fieri potest sola voluntate unius aut utriusque simul compartis, quatenus vel una vel altera pars posset sua potestate iuridica dimittere suam compartem, aut utraque pars mutuo suo consensu vinculum totaliter exstinguere posset. Extrinseca est si non sua potestate sed auctoritate aliena solvi potest matrimonium: naturalis est illa potentia extrinseca, si auctoritas aliena communicatur lege naturali; supernaturalis est si auctoritas est divina positiva, sive immediate a Deo exercita, sive ab homine cui supernaturaliter communicatur. In thesi excludimus a matrimonio potentia solutionis intrinseca itemque extrinseca naturalis. Non negamus Deum posse solvere vinculum matrimonii in adiunctis ubi frustratio finis communis humanae vitae, quae frustratio est per se effectus illius solutionis et est illa fundamentalis malitia propter quam lex naturalis solutionem prohibet, per accidens non inveniatur. Hoc igitur sensu asserimus matrimonium esse naturaliter insolubile, et legem naturalem prohibuisse *homini* divortium perfectum.

Contra thesim sunt hodie omnes acatholici qui vel ob

solum adulterium vel ob multiplicem aliam rationem divortium perfectum auctoritate civili concedunt.

Probatur. — Arg. Lex naturalis homini prohibet quidquid (sive in se sive in sua possibilitate) per se frustraret sive totaliter sive partialiter finem adaequatum matrimonii; atqui divortium perfectum tum in se tum in sua possibilitate per se frustraret partialiter adaequatum finem matrimonii: ergo lex naturalis divortium perfectum homini prohibet.

Ad Mai. — Lex naturalis praecipit finem matrimonii et prohibet eius frustrationem, quia finis matrimonii est necessarius ad communem finem humanae vitae et frustratio illius involveret huius frustrationem. Lex naturalis prohibet id quod per se frustrat, quia lex facta est pro communitate et proinde pro ordinariis adiunctis ei communiter contingentibus; igitur ut lex prohibeat aliquid, non est necessarium illud esse in omnibus et singulis casibus contra bonum commune, sed sufficit ut sit natura sua proportionatum ut in ordinariis adiunctis et communiter contingentibus esset contra bonum commune, licet forsan in extraordinariis adiunctis et exceptionaliter contingentibus per accidens non esset, et etiam si in his adiunctis prohibitio operetur in damnum individuale. Ita constat nobis in lege humana, ubi tamen interdum liceat individuo in casu, in quo legis applicatio non necessaria est ad bonum commune et simul operetur in damnum individuale, recursum sumere ad aliquod tribunal aequitatis: iam vero respectu legis naturalis non habetur tribunal aequitatis nisi penes ipsum Deum, qui quidem per legem positivam interdum interveniat ad talem aequitatem, quamvis non necessitetur ita intervenire. Demum interdum factum aliquod potest in sua mera possibilitate frustrare aliquid in facultate intentio-

nali, sicut in intellectu aut praesertim in voluntate, et proinde lex efficaciter intendens exclusionem talis frustrationis necessario prohibet tale factum; finis autem matrimonii multipliciter dependet ex effectibus in intellectu et voluntate coniugum.

Ad Min. — Divortium perfectum in suo facto esse frustrat per se connaturalem educationem prolis, si detur talis educanda; et per se datur. Item in sua possibilitate instabilem per se reddit illum amorem mutuum, sine quo non habetur connaturalis cooperatio evolvens utriusque vitae perfectionem: immo possibilitas divortii enervat illud remedium concupiscentiae quod in adaequato conceptu compensationis mutuae includitur.

*Confirmatur.* — Divortium perfectum non operatur aequaliter respectu utriusque compartis, quum vir novam coniugem obtinere multo facilius possit quam mulier novum maritum. Item operatur ad destructionem familiarum quae sunt fundamentum necessarium societatis civilis, et discordiam seminat inter familias exstantes, quarum amicitia tam necessaria est ad socialem unitatem in civitate. Ex his effectibus, necnon ex accrescente morum corruptione, quae divortii praxim comitatur et consequitur, turbantur prudentiores politici de futura salute nationum, in quibus iniqua illa praxis hisce diebus grassatur.

*Difficultates.* — 1. Lex naturalis non urget quando finis naturalis est impossibilis; atqui interdum finis naturalis in casu divortii est impossibilis: ergo interdum lex naturalis in casu divortii non urget.

R. Dist. Mai., quando finis praecepti deficit, concedo; quando finis matrimonii deficit, subdist., ubi finis partialiter deficit, negatur: ubi finis matrimonii totaliter deficit, iterum disting., ubi in communi deficit, concedo;

ubi in particulari tantum deficit, negatur. Explicatur. Finis praecepti est in genere bonum generis humani: quando finis matrimonii partialiter tantum est impossibilis, manet secundum alteram partem possibilis, et proinde, secundum aliquid, bonum commune possibile est et urget praeceptum. Quodsi totaliter impossibilis est finis matrimonii et quidem in communi (et proinde per se), certe per se deficit ratio boni communis, et non amplius urgeret praeceptum: si vero non in communi, sed tantum in hoc vel illo casu particulari (et proinde per accidens), quum possibilis sit finis in ceteris seu per se, manet ratio boni communis et urget praeceptum. Iam vero interdum impossibilis est generatio prolis, at non per se et in communi, sed per accidens et in casibus particularibus, manente etiam tunc possibilitate alterius rationis finalis in compensatione specifica vitae communis: interdum autem et compensatio illa simul impossibilis est, sed etiam tunc est in particulari casu, et adhuc bonum commune obtinetur in aliis casibus, in quibus periclitaretur nisi divortium generali lege prohiberetur, et ab omni particulari casu secundum eamdem legem excluderetur.

2. Atqui plura mala sequuntur contra bonum commune ex indissolubilitate generali matrimonii: ergo. R. Plura quam consequerentur ex dissolubilitate etiam particulari, negatur: plura, i. e. multa, subdistinguo, per se et sine remedio aut compensatione, negatur; per accidens et cum remedio vel saltem compensatione, concedo. Explicatur. Defectus prolis est certo contra bonum commune, et immoralitas, quae saepe consequitur amissionem amoris mutui aut supervenientem impossibilitatem commercii sexualis, etiam operari potest contra bonum commune: sed utrumque illud malum oritur per accidens et

immoralitati, quum oriatur ex humana voluntate, mederi potest virtus moralis, dum carentia prolis in casu particulari compensationem habet in generali securitate matrimonii.

3. Infidelitas carnalis ex una parte demit ius illius compartis et fundamentum officii compartis alterius: atqui dempto iure ex una parte et officio ex altera, iam cessat matrimonium: ergo per infidelitatem carnalem habetur divortium.

℟. Distinguo Mai., demit ius et omne fundamentum officii, negatur; fundamentum commutativum, conceditur. Contradist. Min., dempto iure et omni fundamento officii, concedo; dempto solo fundamento commutativo, subdistinguo, iam cessat matrimonio quoad urgentiam communis tori et mensae, conceditur; quoad commune vinculum, negatur. Explicatur. Fundamentum officii vinculi indissolubilis est praecipue bonum commune, quod non demitur actu iniusto compartis: fundamentum autem officii ad communem torum et mensam est concessio ex utraque comparte facta et fideliter observata: infidelitate unius demitur hoc fundamentum et haberi potest divortium imperfectum, sed manet officium legale ad vinculum perpetuum propter fundamentum boni communi persistens.

4. Matrimonium est contractus et fit consensu: atqui quod fit consensu, consensu solvi potest: ergo matrimonium consensu solvi potest.

℟. Distinguo Mai. Contractus conventionalis est, negatur: naturalis, subdistinguo et fit consensu, quoad concretam existentiam matrimonii, concedo, quoad naturam vinculi ita positi in existentia, negatur. Contradisting. Min. Quod fit consensu tum quoad existentiam concretam vinculi tum quoad eius naturam, sicut in contractu con-

ventionali, consensu solvi potest, concedo: quod fit consensu quoad concretam existentiam sed non quoad naturam vinculi, sicut in contractu naturali, iterum disting., si natura vinculi non sit talis ut exigat perpetuitatem, consensu solvi potest, concedo; si natura vinculi exigit perpetuitatem, sicut in matrimonio, negatur.

5. Publica auctoritas potestatem habet solvendi contractum inter suos subditos qui est contra bonum commune societatis; atqui interdum concretus aliquis contractus matrimonialis potest esse contra bonum commune societatis: ergo publica auctoritas matrimonium interdum solvere potest.

℟. Distinguo Mai. — Contractum qui per se est contra bonum commune, concedo: quod per accidens est contra bonum commune, subdist., si admissio possibilitatis solutionis non operaretur peius malum contra bonum commune humani generis quam toleratio contractuum qui per accidens operantur contra bonum commune civitatis, transeat: si talis admissio peius operaretur malum contra bonum commune generis humani, negatur. Explicatur. Quod lex naturalis ob bonum commune humani generis facit insolubile, auctoritas publica ob bonum communitatis suae nequit solvere. Quod si contractus aliquis sit per se contra bonum commune civitatis, tunc certo eius persistentia nequit per se operari ad bonum commune generis humani, et ideo eius solutio non prohibetur lege naturali sed permittitur auctoritati publicae. Attamen quando per accidens tantum contractus est contra bonum particularis civitatis, eius insolubilitas potest esse ad bonum commune generis humani et proinde lex naturalis eum servat insolubilem et auctoritas publica eum solvere non potest. Quod si dicatur interdum malum quod operatur vinculi persistentia contra bonum

communitatis particularis peius est quam malum proveniens ex solubilitate contra bonum humani generis, in quo casu videtur lex naturalis cedere solutionem publicae auctoritati: huic respondemus rem transmittendo, quia impossibile nobis videtur suppositum verificari: dato supposito, concederemus consequens, sed negamus suppositum inveniri verificatum in casu matrimonii. Unde:

Contradistinguitur Min. — Contractus matrimonialis interdum potest esse contra bonum commune civitatis, per se, negatur: per accidens, subdistinguitur, et simul admissio eius solubilitatis peius esset malum contra bonum humani generis, conceditur; ita ut malum ex contractu contra civitatem esset peius quam malum contra bonum humani generis ex admissa solubilitate, negatur: —

6. Quod solvi potest auctoritate divina positiva non est insolubile lege naturali; atqui auctoritate divina positiva solutum fuit matrimonium in Vetere Lege et quotidie est in Nova Lege; ergo matrimonium non est lege naturali insolubile.

℟. Dist. Mai. — Quod solvi potest divina auctoritate positiva sine mutatione materiae in solutione qua prohibita, nequit esse insolubile lege naturali, conceditur; quod ita divinitus solvi potest nonnisi mutata materiae solutionis qua prohibitae, nequit esse insolubile lege naturali, negatur. Contradist. Min. Matrimonium fuit in Vetere Lege et est in Nova solutum divina auctoritate positiva, cum mutatione facta in materia solutionis qua prohibitae, conceditur: sine tali mutatione, negatur. Explicatur. Verum est actum humanum eumdem formaliter manentem in proportione ad frustrationem communis finis humanae vitae non posse a Deo permitti, quia ita Deus mutaret legem naturalem: unde sequitur conclusio ut si actus, idem formaliter manens in sua proportione ad commu-

nem humanae vitae finem, a Deo positive permittitur, nequeat non permitti etiam lege naturali. Quod si actus idem materialiter manens est tamen formaliter mutatus in sua proportione ad communem finem ut dum ante mutationem frustrasset illum finem, sed post mutationem non frustrat, tunc non sequitur ex eo quod Deus positive faciens talem mutationem in proportione actus qua erat antea frustrans finem (et ideo prohibitus lege naturali), deinde illum actum ita mutatum permittit, ut lex naturalis eumdem non ita mutatum permittere possit. Iam vero actus materialis qui in divortio prohibetur lege naturali est solutio vinculi; sed actus ille, formaliter qua prohibitus, solutio vinculi est quae et quatenus vel in se vel in sua possibilitate damnum facit bono proli, bono coniugum, aut bono generis humani. Consideremus igitur materiam in casibus divinitus exceptis.

A. In Nova Lege. — *α*) Privilegium Paulinum. Matrimonium factum inter infideles potest auctoritate divina positiva (Cf. I Ad Corinth. VII, 12-16) solvi ab una comparte facta fideli, si altera compars maneat in infidelitate et cum comparte fideli amplius cohabitare recuset aut absoluto aut non sine contumelia Creatoris (i. e. non sine periculo fidei aut morum pro comparte fideli). In hoc casu iniuria non est facta comparti infideli, quia ius eius demitur supremo Dei dominio: damnum eius ipsi imputabile est quia in conflictu iuris alterius compartis ad bonum altius fidei cum iure ipsius matrimoniali, damnum illud necessarium est ex culpa aggressionis in illa comparte cuius damnum est. Comparti fideli nullum factum est damnum solutione, sed ipsi minitatur damnum ex contumelia quam compars Creatori exhibet; et per solutionem ab hoc periculo aufugit et bonum melius protegit. Pariter de prole, quia iuridice proles vocatur cum

matre ad fidem, qua bonum altius habebunt, et damnum privationis patris est minus quam damnum ex contumelia eius proveniens; quod si per accidens et contra ius retineatur proles a patre, damnum privationis matris est multo minus quam damnum matris in periculo fidei subeundo, si maneat cum comparte infideli, et in tali conflictu, ubi damnum prolis provenit ex malitia patris, non tenetur mater subire damnum ita ultra proportionem. In quantum ad bonum generis humani, maius bonum est ut in novo matrimonio propagentur fideles cum securitate fidei, et evolutio perfectiva fiat fidelium in novo matrimonio, quae in casu fieri non posset in veteri; ac possibilitas huiusmodi solutionis, non turbat ordinatum amorem coniugum, quum fundetur in amore praeferentiali Dei. Uno verbo fundamentum solutionis est ex una parte bonum altius servandum et Deo obsequium praestandum et ex altera parte iniquitas illius compartis qui causat per suam iniquitatem damna quae sibi et aliis in casu oriantur. Itemque dici potest: statuto ordine supernaturali, mutatur communis finis humanae vitae, et baptizmo elevatur humana natura per additamentum gratiae supernaturalis, atque actus qui ex pura natura proveniens esset proportionatus contra communem finem in ordine naturali, positus a natura elevata proportionatur ad promovendum communem finem in ordine supernaturali.

*b*) Per solemnem professionem religiosam unius compartis solvitur matrimonium ratum sed non consummatum. Matrimonium ratum est quando consensu proportionato fit contractus matrimonii: consummatur quando post contractum legitime factum fit perfecta copula carnalis inter coniuges. Solemnis professio religiosa est emissio votorum solemnium paupertatis, castitatis et obedien-

tiae facta in aliquo Ordine ab Ecclesia approbato tanquam stricte Religioso. In tali solutione damnum nullum prolis habetur, quia non habetur proles. Neque iniuria neque damnum comparti profitenti fit, quia illa libere profitetur, et bonum aliquod bonis naturalibus multo altius obtinet. Iniuria non fit comparti relictae, quia demitur eius ius supremo Dei dominio; neque ullum damnum illi fit nisi privatio huius determinatae compartis, quam tamen cedere tenetur ob bonum commune generis humani in novo ordine supernaturali. Ipsum genus humanum non patitur damnum in solutione ipsa, sed maius aliquod acquirit bonum: neque in sua possibilitate, quia primo non tam frequens est ut turbet amorem neo-maritati, neque potest turbare amorem ordinatum, siquidem solutio fundatur in praeferentiali amore Dei.

*c*) Matrimonium ratum sed non consummatum divinitus solvi potest auctoritate supernaturali concessa Supremo Pontifici, posita proportionate gravi ratione boni communis in ordine supernaturali. In hoc casu, nulla est proles: compartes nihil perdunt nisi matrimonii cum determinata sua praecedente comparte, quod bonum cedere tenentur in bonum commune in ordine supernaturali; immo haud raro solutio ipsa est bonum aut uni aut utrique comparti. Bono generis humani consulitur, quia solutio non fit nisi ob bonum eius commune in ordine supernaturali.

B. In Vetere Lege. Lege Mosaica permissum fuit divortium a vinculo, quando uxor propter aliquam foeditatem non amplius invenerit gratiam ante oculos mariti (Deut. XXIV, 1). Huic facto duplex datur responsio. Primo negant multi auctores bonae notae divortium a vinculo fuisse concessum: asserunt enim legem tolerasse sine poena, ad evitandum maius malum uxoricidii ad quod

proni erant Iudaei, ut maritus faciat minus malum repudii. S. Thomas, quamvis in 3, Suppl., q. 67, a. 3, utrumque responsum sine praeiudicio tradit, tamen in Cont. Gent., lib. 3. c. 123 ad calcem expresse dicit de illo repudio « Permissum ergo fuit minus malum ad excludendum maius malum ». Quam plurimi tamen auctores concedunt verum divortium a vinculo in tali repudio fuisse concessum divina lege positiva. In hoc casu ius mulieris tollitur divino dominio supremo, et damnum patitur ob suam culpam: maritus nullum damnum vel iniuriam patitur. Melius inservitur bono prolis per educationem factam per patrem solam quam per patrem simul cum foeda matre quam odit pater: bono generis humani consulitur quia ita non periclitatur amor mutuus nisi ob foeditatem uxoris quae deinde ex possibilitate repudii refrenaretur a foeditate (morali nempe de qua sola quaestio est); insuper Deus in ordine supernaturali posset providere gratiis supernaturalibus ne possibilitas illa serio minitetur bono aut prolis aut generis humani. Haec autem provisio, quum auctoritas humana eam facere in ordine naturali nequeat, est ratio sufficiens cur in casu solutio reservetur positivae auctoritati divinae.

## ADDENDUM.

In societate domestica opus est ut suprema aliqua auctoritas sit in aliquo membro tanquam in capite. Per se subiectum huius auctoritatis est vir, seu paterfamilias. Ratio est quia paterfamilias ex ipsa natura per se proportionatur ad talem auctoritatem exercendam. Etenim exercitium illius potestatis postulat vigorem in intellectu,

fortitudinem in voluntate, tendentiam ad iudicandum ex ratione potius quam ex emotione sensibili, vires physicas ad coactivitatem iurium familiae exercendam contra iniustos aggressores; haec autem omnia per se inveniuntur posita ex natura in viro prae muliere. Unde per se vir est caput familiae; per accidens, mortuo viro, materfamilias familiam iure regit.

ARTICULUS II.

**De Societate Civili.**

Societas in genere iam definita est stabilis unio moralis plurium ad bonum commune cooperatione omnium attingendum. Haec idea generica verificanda est in quavis societate specifica, sive sit domestica, civilis, religiosa, vel aliqua societas conventionalis. Elementum differentiale extrinsecum est finis, et proportionate ad hunc finem differentia intrinseca invenienda est in forma, seu in vinculo formaliter morali quo uniuntur membra, et quod proinde diversa continebit iura et officia, prout diversus finis est societati proprius, et quidem etiam secundum rationem perfectionis, si societas dicenda sit perfecta in ordine ad illum finem. De facto potest etiam esse aliqua differentia in ipsa materia, sed de hac dicemus infra respectu societatis civilis.

Societas igitur civilis in genere potest definiri stabilis unio plurium (familiarum) ad perfectam omnium felicitatem temporalem cum pleno iure exigendi ex cooperatione omnium media omnia necessaria ad illum finem. Stabilis unio moralis plurium dicitur, quia secus nullo modo esset societas: sed subauditur pluralitas illa esse sufficienter ampla, ut sit proportionata ad finem proprium; in societate coniugali constat duos constituere pluralitatem sufficientem, sed aeque constabit infra ex argumento duos non sufficere ad perfectam felicitatem temporalem attingendam. Immo postea statuemus plures illos per se non esse mere individuos sed per se et proxime familias,

licet hoc ab initio in argumentatione non assumatur. Felicitas perfecta temporalis ponitur ut finis attingendus in societate civili, ex communi sensu et usu termini « civilis »; sed de facto sub hac ratione finis probabimus necessariam existentiam societatis civilis. Additur demum plenum ius exigendi media, quia de facto societas civilis est societas perfecta, uti constat ex facto quod ad finem eius homines non universaliter constituunt societatem diversam, neque unquam aliam superiorem in ordine ad illum finem, quin secundum communem intelligentiam rei demant ab inferiore rationem distinctae societatis civilis: immo quum finis eius sit simpliciter humanus, seu omnibus hominibus communis, et relative ultimus, societas cuius talis finis est proprius necessario est eodem sensu relative ultima et proinde sibi sufficiens, cum iure exigendi ab iis societatibus, quorum finis non est relative ultimus et proinde habens rationem medii ad finem ultimum, ea quae necessaria sunt per modum talis medii ad suum finem ulteriorem.

**THESIS XLVIII. — Homo lege naturali ordinatur ad societatem civilem.**

Cf. D. Thom., De Reg. Princ., lib. 1, c. 1; Suarez, De Leg., lib. 3, c. 1, n. 3; Costa-Rossetti, thes. 135 et 138; Ferretti, thes. CXIII et CXIV.

*St. Qu.* — Societas civilis in thesi sumitur prout supra explicata tanquam societas cuius bonum commune in genere est felicitas temporalis sociorum, et proinde definiri in praesenti stadio demonstrationis potest stabilis unio moralis plurium ad felicitatem temporalem.

Ordinatio legis naturalis hic sumitur eodem sensu ac

supra in thesi XLIV de societate coniugali. Deus intendendo determinatam speciem et gradum suae gloriae in hac vita naturam humanam proportionavit ad talem gloriam, cuius effectio simul erit perfectio humanae naturae ita Deum glorificantis. In quantum haec gloria est efficienda, haec perfectio attingenda, per liberam hominum activitatem, Creator praeceptum legis naturalis posuit super genus humanum non tantum respectu huius boni tanquam finis, sed etiam respectu cuiuscunque medii necessarii ad illum, in quantum hoc medium requiratur et subiaceat activitati hominum liberae. De medio huiusmodi in thesi agitur.

Homo ubique et semper, in quantum potuerit, vixit et vivit in aliqua forma societatis civilis. Quaeritur unde venerit determinatio illius facti in genere. Triplex excogitari potest responsio. Prima est: evenit per contingentem electionem humanae voluntatis; ita respondent Hobbes et Rousseau qui docent homines per accidens vivere in societate civili per pactum propter rationes contingentes libere factum libertate non tantum physica sed etiam morali, ita ut societas civilis sit undequaque societas conventionalis. Secunda est: evenit per necessitatem naturae et quidem physicam, i. e. physice determinantem; ita respondent Evolutionalistae, qui docent homines in societatem civilem coerceri per ineluctabilem determinationem naturae humanae sese evolventis. Tertia est: evenit per determinationem moralem naturae humanae seu secundum ordinationem legis naturalis quae praeceptum posuit super genus humanum nobis manifestatum in aptitudine, tendentia et exigentia naturae humanae; unde societas civilis est societas naturalis: ita respondent Scholastici omnes.

Contra Hobbes, Rousseau et Evolutionistas defendimus

doctrinam Scholasticam et Catholicam (Cf. Leonem XIII, « Immortale Dei »).

Probatur. — Arg. Homo lege naturali ordinatur ad illud ad quod habet aptitudinem naturalem, tendentiam specificam, et in ordine ad communem finem humanae vitae exigentiam: atqui in humana natura datur ad societatem civilem aptitudo, tendentia specifica et in ordine ad communem humanae vitae finem exigentia: ergo homo lege naturali ad societatem civilem ordinatur.

Ad Mai. — Saepius indicavimus ordinationes legis naturalis manifestari nobis in rationali natura hominis secundum aptitudines quae vere naturales sunt, secundum tendentias quae vere specificae sunt seu ordinatae ad specificam unitatem tendentiae in illa natura, et secundum eius exigentias ultimatim ad finem vitae humanae communem atque ad ea media quae, siquidem ad illum ulteriorem finem necessaria, fines sunt hominis naturales proximi. Insistendum tandem est praeceptum descendere qua tale solummodo secundum exigentiam communis finis, et quum huius effectio non requirat ut singuli medium illud adhibeant, sed tantum homines in genere, et quum ceteroquin homines in genere ex vi naturalis tendentiae de facto illud medium adhiberent sine praecepto distributive posito super singulos, ordinatio hic statuta per se non descendit super singulos distributive sed super genus humanum, seu super homines in genere.

Ad Min. — *a*) Ad aptitudinem in homine naturalem respectu societatis civilis sufficit ut ex natura homines habeant idem bonum specificum quaerendum in perfecta felicitate temporali, facultatem se invicem amandi mutuo benevolentiae amore quo bonum illud pro omnibus velle possint, activitates proportionatas ad mutuum iuvamen in eiusdem illius boni prosecutione et subordina-

tas intelligenti imperativo in unoquoque, facultatem qua possint ad invicem suas intentiones et desideria communicare, necnon facultatem obediendi auctoritativae directioni activitatum suarum in stabilem unitatem cooperationis, et demum facultatem ut aliquis sit proportionatum subiectum huius auctoritatis exercendae: atqui haec omnia ex natura sua inveniuntur in hominibus: ergo datur in homine aptitudo naturalis ad societatem civilem.

*b*) Tendentiae specificae ad societatem civilem demonstrandae sufficit ut ex natura humana qua specifica per se inveniatur in homine commune desiderium eiusdem perfectae felicitatis temporalis, amor benevolentiae mutuae practicus respectu eiusdem, propensio ad convivendum cooperative in ordine ad eum et quidem sub auctoritate qua omnium activitas ad stabilem unitatem rationabilem ordinetur; atqui consulendo nostram experientiam secundum desideria et propensiones, quae apparent in nobis tanquam specifice propriae et subordinatae ad nostram tendentiam ad finem nostrum specifice ultimum, constat in nobis inveniri per se omnia illa super enumerata: ergo est in homine tendentia specifica ad societatem civilem.

*c*) Intra ambitum communis finis humanae vitae includitur evolutio humanae vitae physicae, intellectualis et moralis ad perfectionem facultatibus naturae humanae proportionatam: atqui in ordine ad illam evolutionem per se datur in homine exigentia (tanquam medii necessarii) societatis civilis: ergo per se in homine datur in ordine ad communem finem humanae vitae exigentia societatis civilis.

Ad Min. — *a'*) Per se constat neque hominem solum neque separatas familias sine societate civili posse ea omnia ex materia et viribus naturae irrationalis me-

tere aut producere aut ad usus humanos specificare quae nobis necessaria sunt ut sustentetur, conservetur et amelioretur vita nostra physica in statu illius perfectionis cui evidentissime proportionatur: et supra omnia non posse sese defendere a violentia aliorum et ab omnibus illis iniuriis quibus securitas, comitas et commercium vitae nostrae physicae minitantur.

*b'*) Profectio nostrae vitae intellectualis attingere non potest ad supremam illam excellentiam cuius capax humana natura est, sine constanti commercio intellectuali, sine distributa et coordinata observatione, experimentatione, studio et ratiocinio plurium generationum successivarum, quae omnia prorsus impossibilia sunt extra societatem civilem.

*c'*) Plenitudo vitae moralis humanae haberi nequit sine divulgata notitia principiorum secundariorum moralitatis, eorumque applicationis variatae, sine constanti exemplo et hortamine et incitamento aliorum, sine opportunitate exercendi virtutes sociales humanae naturae connaturales; atqui sine societate civili caret homo, carent separatae familiae, omnibus his adiumentis: ergo sine societate civili etiam plenitudo vitae moralis, cuius natura humana capax est, evolvi non potest.

*Confirmatur.* — Ex constanti, uniformi et universali facto quod homines ubique et semper in diversas societates civiles coaluerunt, et quod profectus in perfectione communi vitae physicae, intellectualis et moralis extra tales societates nunquam invenitur. Hoc factum non tantum praestat testimonium gentis humanae ad veritatem thesis, sed etiam nequit explicari nisi admittetur dari in humana natura illa aptitudo, tendentia specifica et exigentia quae demonstrat legis naturalis mandatum super genus humanum in genere ad societatem civilem.

*Coroll.* — Ergo societas civilis non est societas mere conventionalis, sed societas naturalis, ea nempe cuius essentialia, videlicet finis, materia, forma (cum iuribus et officiis fundamentaliter necessariis) et causa efficiens lege naturali determinantur; solummodo accidentalia societatis civilis determinationi liberae hominum subiacent.

*Scholion 1.* — In genere arguitur contra naturalem ordinationem societatis civilis eo quod plurima sunt pro generalitate hominum mala in illa, et quidem ita contravenientia communi fini humanae vitae, ut lex naturalis ad illam ordinare nequeat. Cui respondetur omnia illa mala adesse per accidens ex errore et culpa quae aut subditis aut rectoribus aut communius utrisque simul imputanda sunt; insuper plura et peiora esse mala pro generalitate hominum extra societatem civilem quam intra eam: et demum quam plurima et quam maxima adesse homini intra societatem civilem bona quae extra ipsam adesse non possent.

*Scholion 2.* — Hobbes statuit naturalem statum hominum fuisse statum belli quod quivis homo contra quemlibet alium indesinenter gereret, et homines, ut ex illo statu exirent, societatem civilem libere constituisse. En processus argumentationis ad originem societatis explicandam!

*a*) Natura humana de se prava est: in hac prava natura tres sunt praecipuae passiones, videlicet, aemulatio infensa, timiditas ignava, et gloriae cupido, quibus homo ad lucrum, securitatem et famam sibi obtinendam ita movetur ut in statu indesinentis conflictus cum ceteris omnibus necessario ponatur, seu habeatur status belli inter homines mutui et distributive universalis: talis igitur est hominis status naturalis.

*b*) In illo statu homo, ob propriam impotentiam

sese defendendi, ad pactum pacis cum aliis quibusdam recurrit: pactum autem vanum esset sine visibili aliqua potestate absoluta et fortissima quae homines omnes ad pactum pacis servandum et ad naturalem proclivitatem in bellum restringendam metu poenarum cogere valeat: hinc necessitas auctoritatis. Solus modus, quo haec potestas absoluta et universalis et efficax haberi possit, invenitur in pacto specifico quo quivis homo uni alteri homini aut coetui hominum omne ius proprium ad sui regimen reddat ea tamen conditione ut ceteri omnes idem simul faciant. Ita orta est civilis potestas, quam Hobbes denominat Leviathan, et ex qua sola statuit omnem in terris legem provenire.

*c*) Sine illa lege seu potius antecedenter ad eius mandatum discrimen nullum fuit inter iustum et iniustum nisi ratione vis physicae, neque ullum pariter discrimen inter bonum et malum morale. In statu igitur hominis naturali vis physica praepotens est ius, et nisi natura hominis fuisset prava, non fuisset ulla auctoritatis necessitas in terris neque ulla civilis societas.

*d*) Pariter quoad societatem domesticam concipit Hobbes auctoritatem patris super prolem provenire ex illius praepotenti potestate physica, et super uxorem et famulos vel ex praepotenti vi vel ex eorum consensu gratia pacis habendae dato. (Cf. Hobbes « Leviathan »)

Huic gratuitae theoriae tot propositionibus falsis fulcitae respondemus.

*a*) Natura humana non est de se prava; neque hominis passiones eum necessitant, et proinde effectus ex passionibus provenientes ab homine libere sunt causati. Unde status indesinentis conflictus mutui inter homines non est naturaliter necessaria, licet verum sit homines, eo quod libere sint, posse iura naturalia aliorum violare,

et exinde exigentiam efficere ut ceteri contra tales violatores ad sese defendendos coalescant.

*b*) Homo movetur in societatem civilem constituendam (secundum tendentiam supra indicatam in argumento theseos) ex multiplici motivo et licet inter alia intendat ita melius assecurare sua iura contra iniuriam et violentiam, eius motivum ex impotentia propriae defensionis non est solum neque praecipuum. Ad societatem requiritur auctoritas et quidem cum efficaci coactivitate, sed auctoritas non est summa omnium iurium individualium in uno homine vel coetu hominum per liberam collationem simultaneam congestorum, sed est, ut infra in subsequenti aliqua thesi probabitur, potestas moralis immediate a Deo per legem naturalem concessa.

*c*) Iustum et iniustum, morale bonum et malum non ex lege civili ortum suum habent; neque desunt homini vera iura (i. e. potestates morales connotantes obligationem in aliis) naturalia distincta a praepotenti potestate physica et independenter a lege civili; quorum utrumque iam in praeeuntibus thesibus probatum est.

*d*) Vera auctoritas seu dominium iurisdictionis requiritur in quavis societate humana, uti iam probavimus, et proinde in societate domestica, utpote naturali, invenitur lege naturali concessa; eius autem per se subiectum, in quantum ad supremam iurisdictionem, non ex praepotente vi physica neque ex consensu aliorum, sed ex naturali proportione et aptitudine invenitur in patrefamilias.

*Scholion 3.* — Rousseau societatem domesticam naturalem esse admisit sed tantum tamdiu quamdiu proles ad suam protectionem ea indigeat, sicut in casu animalium irrationalium; quamlibet autem aliam societatem censuit esse pure conventionalem, et societatem civilem originem sumpsisse tenuit per pactum aliquod hominum

liberum et universale. Ecce processus ratiocinandi ad illam conclusionem!

*a*) Homo naturaliter bonus et moraliter integer est, sibi sufficiens et ita essentialiter liber ut sit ab omni obligatione immunis, nulli subordinatus, et omnibus unusquisque fruens iuribus quibus gaudent in omnimoda aequalitate ceteri omnes. Naturaliter vitam silvestrem degebat solitarius in perfecta felicitate otii sine turbatione idearum, desideriorum vel legum moralium. Huiusmodi fuit status homini naturalis.

*b*) Datur tamen homini donum exitiale, facultas nempe sese perficiendi. Ratione huius incepit homo paulatim novas invenire occupationes et artes addiscere, usurpare tanquam permanenter proprias res quae olim transitorie suis necessitatibus inserviebant, atque inire cum aliis hominibus associationes, quamvis huc usque transitorias. Deinde cum his aliis in disceptationes incidit, in fraudes et lites innumeras ita ut vita eius naturaliter tranquilla et innocens destructa fuerit. Tandem tanquam malum aliquod ad pacem necessarium constituerunt homines societatem civilem.

*c*) Iam vero ut societas civilis debito modo constituatur, modo scilicet conformi ad dignitatem hominis libertate praediti, auctoritas constituenda est ita ut homo nulli nisi sibi obediat, a nullo nisi a se ipso coerceatur, ita nempe ut suae libertatis plenitudinem retineat. Quod efficitur pacto sociali quo quivis homo simul cum ceteris hominibus idem facientibus omnia sua iura, suam personam, omnemque sui regiminis potestatem conferat in universalem aliquam personam, universalem voluntatem, ita ut quaevis persona individua sit inseparabilis pars huius novae personae moralis, et auctoritas sit nihil aliud nisi cumulus artificialis omnium iurium et volun-

tatum in unum aliquid coadunatorum. (Cf. Rousseau, Contrat Social).

Huic phantasiae respondemus:

*a*) Homo non est naturaliter sibi sufficiens neque ad suam protectionem neque multo magis ad suam vitam physicam, intellectualem et moralem evolvendam in eius perfectione connaturali: non est liber ab omni obligatione sed lege naturali ligatus, neque nulli subordinatus sed Deo Auctori naturae subiectus. Vitam silvestrem in otio naturaliter non degebat, sed multiplici opere naturali, ut suam vitam sustentaret et protegeret, fuisset in ordine naturali ab initio occupatus.

*b*) Natura sua non exitialiter sed feliciter ad sese perficiendum tendit homo et ex connaturali sua indigentia respectu mediorum ad talem perfectionem necessariorum societatem constituit primo domesticam et deinde civilem. Dominium proprietatis non ex fraude incepit sed ex individuali necessitate ad hominis finem connaturalem efficiendum, et societas civilis homini necessaria fuit, non tanquam malum necessitatum consequenter ad fraudes, disceptationes et lites, sed natura sua prius quam illa omnia fuit civitas ipsi necessaria tanquam bonum aliquod in ordine ad vitae perfectionem connaturalem evolvendam.

*c*) Dignitati humanae non repugnat ut homo alteri obediat et libertatem suam physicam ligamine auctoritatis restringi patiatur, praesertim quum, quaecunque auctoritas iuste exerceatur, tota sit, uti suo loco probabimus, a Deo Deique nomine exerceatur. Immo, supposito contractu matrimonii uxor naturaliter marito subiicitur, et supposito facto generationis proles naturaliter parentibus subiacet, et demum supposita iuridica constitutione civitatis, cives rectoribus civitatis naturaliter

subiiciuntur. Neque dissonum est ab humana dignitate ut hominis subiectio fiat sine eius consensu, siquidem natura sua Deo subiicitur et sine illo subiici pariter potest Dei ministro: re quidem vera, data et non concessa civitatis constitutione per pactum Rousseauanum, successores fundatorum civitatis sine suo consensu auctoritati civitatis subderentur. Neque sub istiusmodi pacto verum esset cives nonnisi sibi subiici sibique solis obedire, utpote secundum theoriam propositam ceteris simul omnibus civibus subduntur et obediunt: neque illa fictione suam servant libertatem, sed eam prorsus abdicant ceteris simul civibus. Demum societati civili omnia sua iura tradere non debet homo, neque si omnia tribueret, sufficerent ea ad illam auctoritatis plenitudinem quae civitati necessaria est, uti probatum erit, quando infra agetur de primo auctoritatis civilis principio.

*Scholion 4.* — Theoria Evolutionistica praestat quattuor dogmata:

*a*) Phenomena socialia iisdem reguntur legibus quibus physica specierum evolutio producitur: etenim leges sociologicae funditus non differunt a legibus biologicis, et sicut vivens producitur ex plurimis cellulis necessario ad invicem se aggregantibus, pariter et ens sociale producitur necessaria aggregatione viventium, et sicut vivens est societas cellularum, ita civitas est societas viventium.

*b*) Ex timore egoistico et propter suam propriam protectionem homines in unum aggregantur; ex vita eorum communi oritur sensus vitae socialis et ita egoismus gradatim mutatur in altruismum atque habetur sensus boni communis cuius desiderium tanquam motivum agendi in locum prioris timoris substituitur: exinde

ortum habet mutua sympathia necnon sensus unitatis, quo orto habetur societas civilis.

*c*) In hac societate statim exsurgit capacitas generalem exprimendi voluntatem quae est auctoritas civilis.

*d*) Praesens societas civilis ulteriorem evolutionis processum his diebus subit versus suum stadium finale universalis democratiae. (Cf. Comte, Les Principes du Positivisme ; Schoeffle, Bau und Leben des Socialen Korpers; Spencer, Principles of Sociology).

Quibus respondemus : *a*) In processu mutationum sociologicarum ingreditur tum libera hominum voluntas, tum lex naturalis hominem ad eius finem ordinans modo diverso a tendentia qua leges physicae entia irrationalia movent, et proinde progressus hominis non est necessarius physice, sed tantum moraliter.

*b*) Non ex solo metu neque solius suae propriae protectionis causa, sed ex exigentia mediorum vitae suae physicae, intellectualis et moralis perficiendae homo movetur ad constituendam societatem.

*c*) Voluntas omnium membrorum generalis societati regendae non sufficit, neque auctoritatem socialem constituit, praesertim in societate naturali, quales sunt familia et civitas.

*d*) Quamvis existat inter homines hodie tendentia ad ampliorem participationem popularem in regimine civitatis, nulla exstat necessitas neque physica neque moralis ut evolvatur civitas ubicunque ad formam regiminis democraticam, multo minus ad unitatem democratiae universalis in mundo toto.

(Plura quae in his scholiis dicuntur desumpsimus ex « Adversaria Ethica », libro manuscripto P. Timothei Brosnahan, S. I.).

**THESIS XLIX. — Naturalis causa iuridica societatem civilem in concreta existentia ponens est consensus constituentium.**

Cf. D. Thom., 2. 2. q. 42, a. 2, in corpore articuli; Suarez, De Opere Sex Dierum, lib. 5, c. 7, n. 3; Costa-Rossetti, thes. 160.

*St. Qu.* — Agitur in thesi de origine diversarum societatum civilium in concreto secundum communem causalitatem earum iuridicam: distinguimus enim societatem civilem in abstracto et in concreto.

Societas civilis in abstracto est societas considerata secundum suam essentiam, secundum ea nempe iura et officia quae necessaria et sufficientia sunt ut habeatur verus conceptus illius stabilis unionis moralis plurium quae specifice est societas civilis, et sine quibus nulla unio hominum in terris iure dici potest societas civilis. Ex praecedenti thesi constat Deum solum per legem naturalem esse Auctorem societatis civilis in abstracto; est enim Civitas societas naturalis ad quam lex naturalis hominem ordinavit.

Societas civilis in concreto est societas civilis existens in terris, pluralitas nempe humana actu existens cum iis iuribus et officiis quibus per modum vinculi iuridici unitur in illam stabilem unionem moralem quae essentialiter est societas civilis. In thesim quaerimus causam, non quidem eam quae determinavit naturam essentialem huius unionis, sed quae determinavit eius actualem existentiam inter homines determinatos existentes. Similem quaestionem iam movimus et solvimus de dominio proprietatis. Probavimus enim dominium proprietatis in genere provenire ex lege naturali, sed in existentia concreta poni,

seu huic vel alteri individuo in concreto determinari, diversis titulis et quidem naturaliter et primitive occupatione. Pariter demonstravimus matrimonii statum seu societatem coniugalem in genere esse ex lege naturali, cuius autem existentia concreta, inter determinatas nempe compartes, provenit ex consensu contrahentium.

Causa iuridica et effectus iuridicus sunt causa et effectus in ordine iuridico, in complexu nempe aliquo iurium et officiorum et legis unde proveniunt. Unde effectus iuridicus est ius aliquod aut officium aut complexus utriusque, quod ponitur, demitur, suspenditur aut modificatur. Principium autem iuris et officii est lex: unde lex est primaria causa efficiens iuridica; sed omne ius et officium subaudit fundamentum, factum nempe aliquod quo ius aut officium huic vel alteri concreto subiecto prae ceteris determinatur: unde hoc factum est etiam suo sensu causa efficiens iuridica, causa nempe concretae existentiae effectus iuridici. Talis causa iuridica est in genere causa quae secundum legem determinat ut huic vel alteri personae existenti aut personis existentibus lex ius aliquod tribuat aut officium aliquod imponat. De huiusmodi causa secundaria agitur in thesi.

Causa talis iuridica *naturalis* est quando secundum legem naturalem habet efficientiam qua determinat subiectum cui lex naturalis tribuit ius aut imponit officium.

Societas civilis inspici potest materialiter, videlicet secundum pluralitatem hominum qui in ea sunt uniti, aut formaliter, nempe secundum hoc quod vinculo civiliter sociali uniuntur cum essentialibus societatis civilis iuribus et officiis in illa hominum pluralitate tanquam in subiecto. Accessu huius formae habetur effectus iuridicus, ad quem cooperantur duae causae iuridice efficientes, lex naturalis quae tribuit iura et imponit officia,

atque factum aliquod contingens quod determinat ut haec hominum pluralitas sit subiectum cui necessario lex nanaturalis illa iura et officia affigat. De illo facto tanquam causa huius determinationis agitur in thesi.

Unde per naturalem causam iuridicam societatem civilem in concreta existentia ponentem in thesi intendimus illud factum quod secundum ordinationem legis naturalis determinat aliquam concretam pluralitatem hominum in terris existentium ut sit ligata vinculo civiliter sociali, seu ut de facto fiat subiectum illorum essentialium iurium et officiorum quorum praesentiam in proportionata hominum pluralitate lex naturalis ordinavit constituere in genere societatem civilem. Ex lege naturali venit obligatio vinculi civiliter socialis etiam in concreto; sed quaerimus causam quae ex lege naturali vim iuridicam habet affigendi illud vinculum determinatae multitudini.

Non desunt aliae causae quae disponunt homines ut sint materia apta ex qua fiat societas civilis; opus enim est pluralitate seu multitudine hominum, ad quam requiritur propagatio: opus est ut adsit capacitas ad cooperandum, quae supponit aggregationem multitudis in eodem loco seu vicinia; opus est ut adsint motiva cooperandi quae inveniuntur in communibus bonis quaerendis, atque in communibus necessitatibus obviandis. Quae omnes causae merito dicuntur causae dispositivae, et distinguuntur a causa iuridica in eo quod, quamvis quaedam causae tales praerequirantur ad societatem efformandam, nulla tamen est factum illud quod ex lege naturali efficientiam habet ut eius intuitu lex naturalis coalescenti hominum pluralitati iura illa et officia tribuat quibus constituatur iuridice et essentialiter societas civilis. Controversia autem nostra cum illis est qui unam aut alte-

ram aut plures ex illis causis dispositivis statuere volunt tanquam causam etiam iuridicam civitatis in concreto.

Historice praecipuae causae dispositivae diversae sunt pro diversis civitatibus et inter eas enumerari possunt:

*a*) Plurium familiarum ex eadem stirpe propagatio.

*b*) Plurium familiarum communiter cognatarum habitationis vicinia, praesertim quando totum territorium occupatum pertinet ad dominium proprietatis unius proprietarii.

*c*) Praepotens vis physica aut moralis alicuius individui qui multitudinem sive individuorum sive familiarum in unum collegerit et regimen supra eos sibi assumpserit.

*d*) Plurium familiarum sive cognatarum sive non cognatarum communes necessitates, praesertim contra persecutionem aut aliorum violentiam.

Ut intelligatur quid in thesi intendamus per « constituentes » societatem civilem, distinguere debemus diversa stadia in quibus multitudo, prout materia est societatis, inveniri potest:

*a*) Multitudo potest esse mera collectio individuorum vel familiarum solum locali coexistentia coniunctarum.

*b*) Eadem multitudo potest esse coniuncta variis caritatis vel etiam iustitiae commutativae vinculis.

*c*) Multitudo illa potest esse in actu primo proximo ad societatem civilem seu ad induendum illud vinculum iustitiae legalis quo constituitur stabilis unio moralis plurium ad communem felicitatem perfectam temporalem cooperatione quaerendam, seu quo constituitur iuridice societas. Qui multitudinem constituunt in hoc stadio suae

existentiae sunt ii quos in thesi denominamus constituentes societatem; constituunt tamen societatem in fieri, et accepto vinculo civiliter sociali eam constituunt in facto esse.

*d*) Multitudo eadem considerari potest in actu secundo societatis civilis et ita qui multitudinem constituunt sunt constituentes societatem in facto esse, sed in hoc sensu non adhibemus terminos in thesi, sed denominamus eos membra societatis, vel summatim ipsam societatem.

Hominum societatem in fieri constituentium consensus est liber actus voluntatis acceptans omnia in genere iura et officia necessaria quibus multitudo iure constituatur stabilis unio moralis plurium ad felicitatem temporalem perfectam cooperatione omnium omnibus obtinendam. Consensus ille semper supponitur esse physice liber, sed non semper moraliter, quia admittimus adiuncta accidere posse in quibus lege naturali tenentur hic et nunc dare illum consensum physice liberum, sicut etiam admittimus eos semper esse sub mandato generali legis naturalis ad societatem civilem habendam. Non tamen intendimus illum consensum necessario esse verbis explicitum aut scriptis expressum, sed interdum esse consensum tacitum, positum nempe talibus hominum actibus aut tali actuum omissione, quae iure accipi possit tanquam moralis consensus. Item admittimus eum posse dari indirecte ad societatem constituendam eo quod directe datur ad auctoritatem civilem alicuius super ipsos acceptandam. Non tamen est ille consensus pactum Rousseauanum, pactum nempe pure conventionale, quod esset fundamentum omnis iuris et officii humani, neque pactum ulterius quo omnia iura privata in unum congeruntur ut exinde creetur auctoritas civilis; sed est consensus (vel si quis

ita velit, contractus) naturalis ad quem homo in genere lege naturali tenetur ponendum et quidem secundum essentialia iura et officia determinata lege naturali, quibus habetur illa unio moralis quae est naturalis societas civilis. Neque est consensus ille tale pactum quale Pufendorf vult, quo constituentes non naturaliter sub mandato legis naturalis, sed lubito suo conventionaliter ponunt duplicem simul contractum, unum nempe ad constituendum unum perpetuum corpus morale sub forma regiminis a constituentibus hic et nunc determinata, alterum vero quo ceteri cedunt rectoribus obedientiam suam et quo rectores ex sua parte simul sese ligant ut totius corporis securitati et prosperitati provideant; sed est consensus quo acceptant iura et officia tum obedientiae tum provisionis determinata lege naturali. Supponimus igitur in praesenti thesi tanquam probatum in priore civilem societatem esse societatem naturalem.

Probandum igitur in thesi est consensum multitudinis ad habendam hic et nunc societatem civilem constitutam esse factum natura sua proportionatum (et proinde ex lege naturali virtutem habens) ad determinandum transitum hominum a statu multitudinis in societatem civilem nondum iuridice unitae ad statum illius unionis moralis et stabilis quae est societas civilis.

De origine iuridica societatis civilis in concreto duplex defenditur sententia inter Catholicos.

Prima sententia est communis sententia Scholastica, quae propter eius egregiam defensionem a Suarezio datam denominatur sententia Suareziana. Haec sententia admittit diversas fuisse causas quae interdum per fas, interdum per nefas, multitudinem posuerunt in proxima dispositione et exigentia societatem civilem habendi constitutam; sed negat societatem illam habere iuridicam

existentiam, seu habere iura illa et officia quae ex lege naturali constituunt vinculum civiliter sociale quo multitudo iuridice unitur in societatem civilem, nisi habitu multitudinis consensu sive expresso sive tacito, sive directo sive indirecto, sive sub obligatione proxima urgente sive sine ulla obligatione in concreto; et docet societatem non haberi nisi vi illius consensus tanquam facti cui lex naturalis tribuit efficientiam moralem determinandi multitudinem iuridice discretam in multitudinem iuridice unitam in societatem civilem.

Altera sententia, licet admittat civitatem interdum posse oriri ex consensu libero plurium familiarum non cognatarum in eundem locum convenientium, statuit societatem civilem posse iuridice in concreto ortum habere ex multiplici diverso facto historico sine consensu multitudinis; itemque originale et maxime naturale tale factum esse propagationem familiarum plurium ex eadem stirpe sub auctoritate primi genitoris qui ex patre unius familiae gradatim factus est patriarcha plurium, ita ut quando pluralitas illa sufficiat ut habeatur societas civilis, ipse dominator naturalis eius sit, et sub eius dominio facta sit civitas seu societas iuridice civilis independenter ab ullo consensu familiarum aut individuorum qui eam constituunt. Generatim haec sententia subaudit auctoritatem esse formam societatis civilis et proinde coincidere docet accessum auctoritatis et initium existentiae iuridicae societatis; auctoritatem autem accedere tenet quando determinatur subiectum eius. Unde factum quod determinat subiectum auctoritatis, determinat simul societatem ad iuridicam existentiam.

Demum titulus auctoritatis potest esse unum aut alterum ex diversis factis, sed primigenius titulus naturalis est titulus genitoris patriarchalis supra familias ex sua

stirpe propagatas. Ita De Haller et deinde Taparelli, quem sequuntur Tongiorgi, Liberatore, Schiffini, Ferretti, Meyer et Cathrein. Contra hos priorem sententiam tanquam magis probabilem defendimus.

Probatur. — Arg. Illud factum est naturalis causa iuridica existentiae societatis in concreto quod solum natura sua proportionatur ut per ipsum multitudo iuridice discreta contrahat illud vinculum sociale quo fit iuridice unita in societatem civilem; atqui solus consensus constituentium est factum ita natura sua proportionatum: ergo consensus constituentium est naturalis causa iuridica existentiae societatis civilis in concreto.

Ad Mai. — Societas tanquam effectus iuridicus stat in eo quod multitudini iuridice discretae adveniat illud vinculum sociale quo fit multitudo iuridice unita in societatem civilem. Natura et obligatio illius vinculi venit ex lege naturali: existentia vinculi in hac determinata multitudine hominum existentium venit ex illo facto cuius intuitu lex imponit vinculum illud specificum super hanc multitudinem: huiusmodi factum, uti constat ex dictis in statu quaestionis, est illa iuridica societatis causa quam quaerimus. Iam vero quum factum illud requisitum suam efficientiam iuridicam a lege naturali suscipiat, debet natura sua esse proportionatum ad talem effectum producendum: quod si solum unum factum est natura sua ita proportionatum certo certius est hoc factum esse causam iuridicam illius effectus.

Ad Min. — *a*) Quod consensus proportionatur. Ut vinculum morale, communicatum lege naturali praecise quia exigitur ad constituendum medium necessarium (et hominibus in genere sed non distributive obligatorium) ad communem finem proximum humanum, contrahatur mutuo a quibusdam determinatis hominibus, qui (cetero-

quin habiles) nondum eo vinculo ligantur, natura sua proportionatur factum quod illi homines videntes necessitatem finis et medii et intendentes finem eligant illud medium; atqui vinculum sociale quo multitudo iuridice discreta fit iuridice unita in societatem civilem est tale vinculum, constituentes illam multitudinem discretam sunt homines ad illud vinculum habiles sed nondum ipso ligati, et electio societatis civilis est consensus eorum in societatem habendam et proinde in vinculum subeundum: ergo consensus constituentium est factum natura sua proportionatum ut per ipsum multitudo iuridice discreta contrahat illud vinculum sociale quo fit iuridice unita in societatem civilem.

*Confirmatur.* — Ex analogia cum societate coniugali. Propter communem finem proximum humanum lex naturalis ordinat hominem ad societatem coniugalem: vir et mulier iuridice discreti sunt facti iuridice uniti in societatem coniugalem vinculo matrimoniali, cuius obligatio venit ex lege naturali et cuius essentialia omnia eadem lege determinantur. Attamen ut contrahatur illud vinculum inter duas personas determinatas, quae ceteroquin habiles sunt sed nondum eo vinculo ligatae, factum quod natura sua proportionatur est consensus utriusque ad illud vinculum sociale acceptandum; viderunt enim finem, finem intenderunt, vident insuper finem non posse obtineri nisi per illud medium; medium eligant et per consensum in sua electione concreta habetur concreta societas coniugalis in existentia. Unde in casu alterius societatis naturalis (civilis nempe) in concreto actuandae nulla est ratio cur parilis consensus non sit natura sua proportionatus ad vinculum contrahendum, ad societatem civilem in existentia habendam.

Ceterum consensum constituentium interdum esse

proportionatum ad iuridice determinandum existentiam societatis civilis in concreto adversarii generatim admittunt, quamvis aliqui consensum proportionem talem per accidens tantum habere velint, dum alii consensum per se esse proportionatum concedant: omnes tamen negant consensum esse solum factum ita proportionatum, neque quidem primitivum esse tale factum.

*b*) Quod consensus ille est solum factum proportionatum.

*a'*) Ex analogia. — Societas coniugalis non minus necessaria est ad finem humanae vitae, quam societas civilis, sed si non magis, saltem per prius necessaria est; et tamen semper et ubique, etiam in iis adiunctis in quibus cetera omnia elementa urgent ad determinatum matrimonium, immo etiam quando obligatio generalis constituendi societatem coniugalem actuetur in individuo, sicut in casu quando quis matrimonium promiserit et sub illa promissione prolem genuerit, aut quando duo tantum, vir et mulier, inter vivos superstites essent, societas illa ad concretam existentiam non determinatur nisi consensu libero constituentium. Unde concludere licet legem naturalem respectu societatis civilis vim efficientem concrete determinativam non dare nisi consensui eam constituentium. Quod confirmatur si consideratur ratio fundamentalis cur requiratur consensus in priore casu, nempe quia sine ipso deficeret securitas amoris mutui permanentis qui matrimonii fini necessarius est; siquidem pariter sine consensu periclitaretur stabilis illa voluntas (amoris mutuae benevolentiae) cooperandi ad finem societatis civilis.

*b'*) Per exclusionem. Primo, in genere adversarii vim tribuunt aliis factis determinandi societatis existentiam, quatenus illa sunt veri et sufficientes tituli ut quis

sit subiectum auctoritatis civilis, qua habita habetur necessario societas civilis: at infra in alia thesi demonstrabimus nullum constitui subiectum expeditum auctoritatis civilis nisi consensu societatis iam iuridice constitutae. Secundo, facta alia praeter consensum quae excogitari possunt tanquam iuridice determinativa existentiae societatis civilis sunt aut coexistentia sufficienter plurium familiarum, aut eadem cum addita ratione viciniae loci vel forsan occupationis eiusdem territorii sub dominio proprietatis alicuius individui; aut cognatio illarum familiarum; aut earum propagatio ex eodem patre superstite, aut demum coactio. Iam vero illa facta vere quidem influunt ad disponendam materiam aptam ad societatem habendam, sed nullum ex illis sine consensu constituentium sufficit ad multitudinem faciendam iuridice unitam in societatem civilem. Sola coexistentia familiarum, si sufficeret, efficeret totam gentem humanam in unam universalem societatem civilem, qualem ita non effici per se constat. Neque addita ratio viciniae rem evincit; quia talis vicinia per se non sufficienter determinat membra unius eiusdemque societatis; neque officia caritatis quae in tali vicinia magis proxime actuantur, neque officia ex iustitia commutativa quae exinde per contractus forte oriantur per se exigunt ut familiae illae in unam eamdemque societatem coalescant ne illa officia violentur. Neque dominium proprietatis in uno individuo super totum territorium occupatum determinationem tribuit; quia tale dominium non est ad bonum commune sed ad bonum domini proprium, non actuat ullam obligationem legalem, neque demit a ceteris hominibus natura sua aequales respectu communis finis humanae vitae aequale ius cum illo domino determinandi modum quo ad illum finem proxime cooperentur. Cognatio vero familiarum po-

nit vinculum pietatis inter familias augendo actuationem vinculi caritatis, sed haec officia respiciunt distributive bona privata et non exigunt tanquam solum medium quo impleri possint ut omnes illae familiae in unam et eamdem societatem civilem coalescant. Propagatio familiarum ex eodem patre generatas familias non coarctat ad societatem civilem sub patre superstite, quia unusquisque paterfamilias est ipso facto emancipatus a iurisdictione sui patris et aequale ius cum illo habet determinandi modum quo quaerat alia media perfectiva necessaria ad evolutionem suae vitae individuae et familiaris in ordine ad communem finem humanae vitae; neque dominium territoriale maius quidquam efficit pro patre multorum patrumfamilias quam pro alio individuo proprietario. Demum coactio familiarum plurium ceteroquin iuridice discretarum in unam societatem cooperativam sine earum consensu in se non proportionatur ad talem unionem voluntatum habendam quae requiritur in societate, et si coactio illa iniusta est nequit fundare aliud ius neque ex iustitia legali obedientiam aliorum exigere: quod si iusta sit illa coactio ad societatem efformandam, iam subaudit ius cuius fundamentum iterum quaerimus: si tandem ius sit ad aliquid aliud et coactio fit ad societatem in ordine ad illud, hoc ostenderet tantum homines in ordine ad illud aliud solvendum obligari ad societatem efformandam, non tamen ostenderet societatem efformari sine constituentium consensu: tandem aliquando si obligatio haec esset submittendi sese potestati cogentis, haec subiectio esset ob bonum cogentis proprium, et non ob bonum commune, qualis debet esse finis societatis constituendae.

*Ad Difficultates.* — 1. Quod fit consensu libero contingens est; societas autem civilis est necessaria.

℟. D. Mai., physice contingens, concedo; moraliter, subdist., si detur praeceptum iubens illum consensum et tendentia naturalis hominem urgens ad consentiendum, negatur: sine tali praecepto et tendentia, concedo.

2. Subsumitur: atqui societas civilis necessaria est non solum sensu quod praecipitur; sed etiam sensu quod de facto veniet certissime in existentiam; quod cum consensu libero consistere non potest.

℟. D. Subsum. Veniet certissime eo quod tendentia naturalis, et bona ab homine obtinenda in societate talia sunt ut de facto homo in genere consensurus sit, concedo; veniet ex tendentia quae hominem vere cogit seu quae efficax est sine libero consensu, negatur. Contrad. consequens. Prius factum non consistit cum libero consensu, negatur: alterum factum, conceditur.

3. Quod consensu fit, rescindibile est; atqui rescindibilitas est contra essentialem stabilitatem societatis civilis: ergo societas civilis, utpote essentialiter stabilis, consensu oriri nequit.

℟. D. Mai. — Unio conventionalis, quae fit consensu, rescindibilis est, concedo; unio naturalis, subdist., si lex naturalis praecipit stabilitatem, negatur; sine tali praecepto, conceditur. Concessa Minore, negatur consequens propter falsum suppositum quod unio facta consensu civiliter sociali sit unio conventionalis; est enim naturalis et quidem talis ut in ea lex naturalis stabilitatem praecipiat.

4. Consensus constituentium ligare nequit eorum successores; atqui in societate civili succedentes generationes ligantur: ergo consensus constituentium non efficit illam societatem.

℟. D. Mai. — Non ligat successores, quasi includeret successorum consensum, concedo: non ponit in exi-

stentia societatem civilem, cuius vinculo sociali quotquot deinceps in illa societate ex subditis illius nati sunt ipso facto ligantur, negatur. Contrad. Min. Ligantur quasi suo consensu incluso in consensu constituentium, negatur; ipso vinculo sociali societatis in qua et ex cuius subditis nascuntur, et quam constituentes suo consensu in existentia posuerunt, conceditur. Explicatur. Consensum postulamus ut ortum habeat societas civilis; non tamen quasi eo solo modo aliquis membrum eius fieri possit. Etenim societas domestica ortum suum sumit ex consensu coniugum; attamen proles non suo consensu sed suo natu est familiae membrum; et si familia illa iam sit pars societatis civilis, proles est indirecte subditus et in fieri membrum societatis; adepta aetate adulta ipso facto fit emancipata proles a familia et directe subditus civitatis et membrum in facto esse, vel etiam civis: quod si ultra fundat suam propriam familiam in illa societate ipso facto haec nova familia est pars illius societatis.

5. Consensus contractualis vinculum iustitiae commutativae constituit; atqui vinculum societatis civilis non est iustitiae commutativae sed legalis; ergo consensus non constituit vinculum societatis civilis.

℟. Contractus qui directe respicit tantum bonum personarum contrahentium qua talium, transeat: contractus qui directe et formaliter respicit bonum etiam naturae et consideratus qua talis, negatur. Concessa Minore, negatur consequens propter falsum suppositum quod consensus constituentium societatem civilem non respicit directe et formaliter bonum naturae. Explicatur. Contractus sensu generico est consensus in effectum iuridicum et proinde subaudit aliquod ius traditum aut officium susceptum aut utrumque: quando ius et officium directe respicit nonnisi bonum contrahentium qua talium, certe

procedit secundum aequalitatem iustitiae commutativae (i. e. si ceterae conditiones iustitiae commutativae verificentur); quod si consensus directe respicit bonum commune naturae humanae, effectus iuridicus continet ea iura et officia quae lex naturalis determinavit, et obligatio venit ex lege naturali directe respectu boni communis humanae naturae, et proinde procedit secundum iustitiam legalem.

6. Si consensus constituentium posuisset diversas societates civiles in existentia, factum illud historia annuntiaret; atqui de facto pro vix non omnibus societatibus civilibus ortis historia silet de tali consensu: ergo de facto fere omnes societates civiles in existentia positae sunt sine tali consensu.

℟. Dist. Mai. — Si consensus requisitus esset formalis, expressus, solemnis simul omnium, et praesertim si contra naturalem statum hominis, uti voluit Rousseau, concedo: si detur virtualiter, tacite, gradatim, et praesertim secundum naturalem tendentiam hominis, subdist., historia expresse annuntiaret, negatur: aliquas indicationes praestaret, concedo. Contrad. Min. Historia ita silet ut nulla prorsus indicia praestet, negatur; ut non expresse annuntiet, subdistinguo, et hoc probat consensum non fuisse formalem, expressum, solemnem simul omnium. et contra naturalem statum hominis, concedo; et probat consensum virtualem, tacitum, gradatim, et secundum naturalem hominis tendentiam non fuisse datam, negatur.

7. Habetur in existentia societas civilis quando in multitudine familiarum ceteroquin ad societatem civilem proxime disposita oritur obligatio alicui *determinatae* personae in ordine ad bonum commune parendi; atqui oriri potest talis obligatio sine consensu constituentium:

ergo sine consensu constituentium haberi potest in existentia societas civilis.

Probatur Minor. In multitudine familiarum ex eadem stirpe propagatarum et viventium stabiliter simul in territorio seu pago, cuius dominus est patriarcha superstes omnium illarum familiarum, oritur sine consensu constituentium obligatio alicui personae in ordine ad bonum commune parendi; atqui fieri potest patriarcha per ipsas circumstantias, eo quod sit solus idoneus quia solus sufficientem potestatem physicam et praevalentiam moralem (propter suam aetatem, prudentiam, divitias, auctoritatem paternam etc.) habeat ad obedientiam sibi procurandum, *determinatus* sine consensu constituentium tanquam illa persona cui in ordine ad bonum commune parendi adstat obligatio: ergo sine consensu constituentium in multitudine familiarum ceteroquin ad societatem civilem proxime disposita oriri potest obligatio alicui personae *determinatae* in ordine ad bonum commune parendi. (Cf. Cathrein, thes. 80, pars. I, prob.).

℟. Concessa Maiore, negatur Minor. Ad Probationem Minoris, disting. Mai.; in tali multitudine sine eius consensu oritur (seu proxime urget) super illas familias obligatio ponendi in existentia societatem civilem cum determinato subiecto auctoritatis civilis, cui deinceps civiliter obedire teneantur, concedo: sine consensu oritur immediate obligatio civiliter obediendi alicui personae determinatae tanquam subiecto auctoritatis civilis, negatur. Transmissa Minore, pariter disting. Consequens: sine consensu constituentium oriri (seu proxime urgere) potest obligatio ponendi in existentia societatem civilem cum subiecto auctoritatis cui deinceps civiliter obedire teneantur, concedo; sine consensu immediate oritur obligatio civiliter obediendi alicui personae determinatae, negatur.

Explicatur. Distinguere oportet inter obligationem legis naturalis, etiam proxime urgentem, ponendi societatem naturalem in existentia cum suo capite atque obligationem socialiter obediendi alicui determinatae personae tanquam capiti. Si darentur solum duae personae in terris, mas et femina, obligatio legis naturalis proxime urgeret super has duas ut ponant in existentia societatem coniugalem: sed non immediate oritur obligatio in femina obediendi viro tanquam suo marito. Solo posito consensu libero utriusque habetur in existentia societas coniugalis in qua deinceps mulier auctoritati viri subiicitur. Pariter in casu patriarchali proposito proxime urget praeceptum societatem civilem ponendi in existentia, sed sine constituentium consensu non ponitur, et ea non posita nequit oriri in ulla persona auctoritas civilis, siquidem prius est existere societatem quam existere auctoritatem, quae eius proprietas est. Transmisimus sine concessione Minorem, quia infra in alia thesi statuemus patriarcham sine consensu communitatis non fieri determinatum subiectum auctoritatis civilis.

8. Ex propagatione familiae fratres suas proprias familias condentes, « quum amor et mutui auxilii necessitas fratres omnino separari vetet, domus suas in eadem vicinia constituerunt, unde vicus exsurgit, et ex vico civitas et natio ». (Cf. Tongiorgi, n. 436).

℟. Dist. ultima clausula, ita ut civitas seu societas iuridice civilis orta fuerit ex mera illa vicinia aut amore et mutui auxilii necessitate sine consensu constituentium, negatur: ita ut historice taliter orta multitudine proxime disposita ad esse civile (et ideo urgente praecepto societatem civilem hic et nunc et ex his condendi), constituentes consensu suo posuit in existentia iuridicam rationem societatis iuridice civilis, conceditur.

9. Multitudo prius iuridice discreta quae per bellum iustum cogitur in ordinatam communitatem ligatur obligatione obediendi victori aut principi super eam statuto a victore sine multitudinis consensu: atqui in talibus adiunctis habetur societas iuridice civilis: ergo in illis adiunctis haberi potest societas civilis in existentia posita sine consensu constituentium.

℟. Victa talis multitudo potest obligari ad faciendam reparationem et ad dandam securitatem contra futuras iniurias, et in casu in quo aut unum aut alterum fieri nequit sine statuta societate civili potest proxime obligari ad societatem constituendam; at si permanenter recusant consensum, licet obligationem suam violant, de facto non habetur societas, quia obligatio illa non est vinculum civiliter sociale neque est ius et potestas victoris multitudinem ad reparationem cogendi auctoritas civilis in nova quasi societate ita sine consensu statuta. Quod si victor iam sit princeps et vult eam novam multitudinem aggregare sub sua auctoritate civili in suam societatem, potest in quibusdam adiunctis exigere obedientiam et servitium eius, et potest pariter eius territorium sibi assumere, sed de facto, licet teneantur illius multitudinis membra consentire, de facto non sunt membra nova huius societatis sine suo consensu, quamvis per accidens possint esse subditi auctoritatis victoris extendentis iuste suam iurisdictionem super illud territorium.

**THESIS L. — Materia proxima societatis civilis per se sunt familiae ex quibus exsurgit societas.**

Cf. Ferretti, thes. CXXX.

*St. Qu.* — Ut societatem civilem philosophice comprehendamus, opus est ut eam per causas cognoscamus. Supra iam visum est causam efficientem iuridicam duplicem esse, Deum per legem naturalem qui naturam societatis civilis in genere determinavit et vim obligativam tribuit vinculo civiliter sociali, atque consensum constituentium, qui actualem existentiam concretae civitatis causat. In praesenti thesi agitur de causa materiali.

Materia in genere societatis est pluralitas quae unitur, seu personae plures ex quibus societas coalescit; sunt igitur personae illae quae simul uniuntur illo vinculo iuridico quod est principium intrinsecum unionis socialis; tales personae constituunt subiectum cui inhaeret illud vinculum tanquam forma. In societate simplici personae illae physicae sunt, in societate composita morales.

Materia in genere civilis societatis sunt illae personae quae ligantur vinculo civiliter sociali quo societas civilis in suo esse iuridico constituitur. Remota potest esse illa materia aut proxima, et si proxima, vel per se talis, vel per accidens.

Materia remota societatis civilis erunt personae quae ligantur vinculo illo non ratione suae propriae personalitatis, sed ratione alterius personalitatis (moralis nempe) cuius partes sunt seu ratione alterius societatis cuius sunt materia proxima; unde talibus personis per prius inhaeret vinculum alterius societatis cui sua vice inhaeret vin-

culum civiliter sociale, et ratione prioris vinculi etiam ligantur vinculo altero.

Materia proxima societatis civilis sunt personae quae ratione suae propriae personalitatis vinculo civiliter sociali ligantur; unde his inhaeret vinculum civiliter sociale sine alio intercedente sociali vinculo.

Materia per se proxima societatis civilis sunt personae quae connaturali ordine proximorum finium naturalium ad finem relative ultimum seu communem finem humanae vitae ordinantur ad induendum vinculum civiliter sociale prius quam ad induendum vinculum sociale cuiuscunque alterius societatis naturalis in ordine ad societatem civilem.

Materia per accidens proxima sunt personae quae extra ordinem illum connaturalem, prius quam vinculum cuiuscunque alterius societatis naturalis induant cuius ratione induerent vinculum civile, directe ratione suae propriae personalitatis vinculum civile de facto induunt.

Ad claritatem in praesenti re opus est distinguere inter subditum, membrum et civem. Subditus dicitur non praecise respectu vinculi civiliter socialis, sed respectu auctoritatis supremae in aliqua societate civili; unde definiri potest subditus quivis qui per se subiacet determinatae auctoritati supremae civili; per se ita subiacet homo qui pertinet ad materiam illius societatis cuius, est illa suprema auctoritas, et proinde ratione vinculi socialis auctoritati subiacet; per accidens subiacet quivis qui dum non pertineat ad materiam illius societatis tamen vitam degit intra limites territorii eius ubi necessario valet eius iurisdictio, ut e. g. qui subditus est unius nationis potest per accidens subiacere auctoritati alterius nationis in cuius territorio vivit vel negotia sua operatur. Subditus autem potest esse subditus immediatus, quando

nempe est proxima materia (sive per se sive per accidens) societatis civilis; etenim ratione vinculi socialis directe ipsi inhaerentis auctoritati illius societatis immediate subiacet. Subditus mediatus est quando est materia remota civitatis, siquidem ratione vinculi inferioris societatis immediate huius auctoritati subiacet, et deinde quia haec societas est proxima materia civitatis et immediate subiacet civitatis auctoritati, illa altera persona mediante auctoritate inferioris societatis subiacet auctoritati civili; ita proles in familia est subditus mediatus societatis civilis.

Membrum societatis civilis distinguimus in membrum in facto esse et membrum in fieri. Membrum in facto esse quivis est qui directe ligatur (sive per se sive per accidens) vinculo civiliter sociali, quivis igitur qui est materia proxima societatis civilis. Membrum in fieri est quivis qui pertinens ad materiam remotam civitatis in via naturali tamen est ut pertineat postea ad materiam proximam, sive per accidens, sicut individuus adultus extra familiam, sive per se sicut paterfamilias tanquam repraesentativus familiae: unde proles in sinu familiae est membrum in facto esse familiae sed civitatis membrum tantum in fieri.

Civis est omnis ille qui omnibus gaudet iuribus civilibus quae ceteris per se communia sunt in civitate, licet communiter non praedicatur ratio civis nisi in iis societatibus civilibus in quibus inter iura per se communia includitur ius participandi (quantumvis remote) in societatis regimine.

Ex his constat subditum dicere subiectionem auctoritati civili; membrum dicere ligamen vinculi civiliter socialis, et praeter officia etiam iura aliqua tamquam sibi civiliter debita; civem autem addere rationem omnium

iurium per se communium in illa societate. Omnis civis est membrum et subditus, sed non omne membrum est civis, neque omnis subditus membrum.

Contra thesim sunt Liberales Politici Continentales, qui tenent materiam per se proximam societatis civilis esse omnes individuos sui iuris et inter se civiliter aequales qui eam societatem constituunt. Cf. Caesarem Beccariam, « Dei Delitti e delle Pene », citatum apud Ferretti.

Probatur. — Arg. Illae personae (physicae vel morales) per se sunt materia proxima societatis civilis quas lex naturalis in connaturali ordine evolutionis perfectivae hominis *directe* ad illam societatem ordinat, et non mere ordinando eas prius ad aliam societatem naturalem quam deinceps ordinat ad civilem; atqui solas familias lex naturalis ita ad societatem civilem directe ordinat: ergo solae familiae per se sunt materia proxima societatis civilis.

Ad Mai. — Societas civilis est societas naturalis: ergo lex naturalis determinat eius materiam. Materia societatis sunt personae quae ligantur vinculo sociali: unde personae quas lex naturalis ordinat ad subeundum illud vinculum respectu societatis naturalis sunt materia illius societatis. Insuper personae quas lex ordinat ad vinculum civiliter sociale subeundum directe, (i. e. sine mediante altera persona morali quam lex ordinat ad societatem civilem et cuius personae moralis priores personae sunt partes), illae sunt materia proxima societatis civilis. Demum si lex eas ita directe ordinat secundum connaturalem sequentiam evolutionis perfectivae hominis, quae quidem est connaturalis ordo proximorum finium naturalium ad finem relative ultimum seu communem

finem humanae vitae, tales personae per se sunt materia proxima societatis civilis.

Ad Min. — Lex naturalis hominem ordinat tum ad familiam seu societatem domesticam, tum ad societatem civilem; sed ordinatio ad familiam per se est quid prius quam ordinatio ad civitatem, quia non tantum per se nascitur homo in familia sed praerequiruntur familiae multiplicatae priusquam haberi possit pluralitas sufficiens ad societatem civilem constituendam. Deinde lex naturalis ordinat familiam ad societatem civilem, quod constat ex eodem argumento quo probatur ordinatio hominis: directe ordinat, quia inter familiam et societatem civilem non datur alia societas naturalis. Insuper in ordine connaturalis evolutionis perfectivae hominis sola familia ita directe ordinatur, quoniam individuus homo in tali evolutione prius ordinatur ad familiam et quum familia directe ordinetur ad civitatem, homo in tali evolutione ad civitatem ordinatur mediante familia. Quod si individuus homo extra familiam sit et deinde directe cadat sub vinculo civiliter sociali, hoc per accidens est, utpote extra connaturalem ordinem eius evolutionis perfectivae.

*Coroll. 1.* — Individui homines extra familiam possunt esse materia proxima societatis civilis, sed nonnisi per accidens.

*Coroll. 2.* — Ipsa familia, cuius repraesentativus authenticus est paterfamilias, est membrum in facto esse societatis, sicut etiam est quivis iudividuus independens pertinens ad materiam proximam civitatis; proles autem est membrum tale tantum in fieri. Item familia et talis individuus sunt immediati subditi auctoritatis civilis; proles autem est subditus eius tantum mediatus. Civis autem est primario paterfamilias et secundario individuus ille independens.

*Coroll. 3.* — Societas civilis est per se societas composita.

*Ad Difficultates.* — 1. Materia societatis sunt necessario personae. Ꝛ. Familia est persona, moralis nempe.

2. Persona moralis non est persona nisi in quantum identificatur cum personis physicis: atqui qui identificantur cum materia proxima sunt ipsi proxima materia. Ꝛ. Identitas illa est materialis, non formalis, et proinde non secundum materialem rationem personarum physicarum, sed secundum formalem rationem personae moralis familia est materia proxima civitatis.

3. Si familiae solae essent materia proxima civitatis, civitas non posset constitui sine illis, quod falsum est. Ꝛ. Familiae sunt per se materia proxima, et per accidens civitas constitui potest sine illis, siquidem ex adultis individuis qui per accidens sunt materia eius proxima.

4. Si solae familiae sunt materia proxima, auctoritas civilis non extenditur super inferiora membra familiae, quod absonum est. Ꝛ. Extenditur indirecte, mediante capite familiae, quod sufficit ad exigentias civitatis.

5. In tali supposito civitas debet petere a familiis ea quae ex inferioribus membris eget et ita dependeret a familia, quod detrahit a ratione perfectae societatis in civitate. Ꝛ. Societas physice pendet a familiis, sed non iuridice, quum possit auctoritative exigere a familiis ea quae ex iis egeat; quod sufficit ad salvandam rationem societatis perfectae.

6. In sententia thesis inferiora membra familiae essent sine iuribus civilibus et proinde essent servi patrisfamilias qui solus ex familia civis esset. Ꝛ. Essent sine directis iuribus civilibus, sed non sine iure familiari ad suam participationem in omnibus illis ad quae familia

habet iura civilia; ita quidem sunt subditi patris familias, sed nequaquam servi.

7. Individui subiiciuntur in familia ex libero consensu et utilitatis gratia, et subiiciuntur in civitate vel sine consensu vel si cum consensu, gratia amplioris utilitatis suae, et proinde in individuo potior est ratio membri civitatis quam membri familiae. Ꝛ. Homo nascitur in familia sine suo consensu et sine illo subiicitur eius auctoritati; quod si consideretur prout constituens familiam natura sua prius constituit familiam quam civitatem, et quidem non gratia solius suae propriae utilitatis sed etiam ob utilitatem gentis humanae, ob quem lex naturalis eum ordinat tum in familiam tum in civitatem, sed per prius in familiam.

9. Si familia (in qua de facto forma regiminis necessario est monarchica) esset materia proxima civitatis homo induceretur ad constituendam formam regiminis monarchicam in civitate, quod esset inconveniens. Ꝛ. Induceretur semper et necessario, negatur; interdum et in adiunctis ubi illa forma conveniens esset, conceditur.

10. Si homo per prius est iuridice membrum familiae quam membrum civitatis, amor familiae esset potentior quam amor patriae, quod esset maxime inconveniens. Ꝛ. Amor inordinatus familiae potest esse potentior amore patriae, sed amor ordinatus, licet magis intimus est et sensibiliter intensior communiter quam amor patriae, tamen in sensu quod in vera necessitate boni communis homo non implebit officium suum respectu civitatis etiam cum sacrificio bonorum familiae, non est potentior amor familiae quam patriae. De facto, tempore periculi, patresfamilias sunt maxime omnium prompti ad patriae serviendum, et quidem tendentia naturali eo quod et ipsa

familia servatur nonnisi salva patria, et nonnisi per patriam potest familia adaequatum bonum humanae naturae attingere.

**THESIS LI. — Finis cui proprius et proximus societatis civilis sunt omnia et singula eius membra qua talia: finis autem qui proprius et proximus bonum publicum est pacis et prosperitatis.**

Cf. D. Thom., 1, 2, q. 90, a. 2; De Reg. Princ., lib. 1, cc. 1 et 15; Suarez, De Leg., lib. 3, c. 11, n. 6; Costa-Rossetti, thes. 149; Cathrein, thes. 84; Ferretti, thes. CXXXI.

*St. Qu.* — In praesenti thesi a causa materiali civitatis ad causam finalem transimus. Quum autem civitas sit societas naturalis, finem quaerimus quem Deus per legem naturalem huic enti affixit et hoc sensu agitur de fine operantis Dei in societatem civilem determinando tanquam inter homines habendam in terris: quum vero ad suum finem Deus semper proportionaverit naturam sui operis, inveniemus eius finem operantis in fine operis manifestato nobis per naturalem aptitudinem, tendentiam et exigentiam (respectu communis finis humanae vitae) societatis civilis. Agitur igitur, tanquam de realiter identico, de fine operis societatis et de fine operantis Auctoris Divini, sed rem investigabimus secundum rationem finis operis.

Finis igitur qui societatis civilis est bonum illud ad quod efficiendum societas illa qua talis naturaliter ordinatur, et finis cui est subiectum cui secundum eamdem ordinationem naturalem fruendus est finis ille qui.

Communis finis cui omnis activitatis humanae super terram est primario Deus et secundario homo ipse; com-

munis finis qui est primario gloria Dei externa, secundario perfectio seu felicitas hominis: in thesi autem agitur de fine civitatis proprio.

Proprius finis qui civitatis est bonum illud ad quod producendum societas civilis ita proportionatur ut ad idipsum efficiendum nullum aliud ens creatum proportionatur: finis cui proprius est subiectum cui bonum illud proprium fruendum ex naturali proportione societatis oritur.

Proprium vero finem qui civitatis distinguimus in remotum et proximum. Remotum (seu in suo ambitu proprio relative ultimum) esse felicitatem temporalem perfectam assumimus ex sensu communi et eo quod homo tendens in talem felicitatem (et inveniens se impotentem ad eam solum aut in sola societate domestica) societatem civilem eius gratia constituit et ob eam non ultra progreditur ad ulteriorem societatem naturalem.

Proximus autem finis proprius qui civitatis definitur bonum illud ad quod naturaliter ordinatur societas civilis tanquam ad medium adaequatum ad finem suum remotum seu relative ultimum. Finis autem proprius et proximus cui definitur subiectum cui fruendum est secundum naturalem ordinationem civitatis illud medium adaequatum. De his duobus finibus agitur in thesi: de fine proprio et proximo quo, seu de modo quo bonum illud est a membris societatis fruendum, de fruitione scilicet, in scholio aliquid dicemus.

Membrum civilis societatis iuxta definitionem in praecedenti thesi datam est quivis qui directe ligatur vinculo civiliter sociali alicuius determinatae societatis existentis. Membrum qua tale est illa persona quae est membrum praecise secundum quod subiectum est illorum iurium et officiorum essentialium quae continentur in vinculo civiliter sociali quo ligatur; in civitate enim possunt esse

quaedam iura civilia accidentalia quae lege civili tribuuntur uni et non alteri membro, sicut et possunt esse quaedam officia civilia quae supra unum membrum lege civili ponuntur et non supra alterum; sed ea iura quae continentur in ipso vinculo sociali essentialia sunt et quivis qui eo vinculo ligatur talium iurium et officiorum subiectum est. In concreto membra sunt, uti iam visum est, familiae et individui adulti extra familiam, et quidem indirecte etiam membra familiae participant de iuribus familiae et suo modulo etiam de officiis; unde etiam haec membra familiae indirectum ius habent ad participandum de illo bono cuius ipsa familia est finis cui, et in thesi ab hac participatione etiam in ratione finis cui non excluduntur.

Per omnia et singula membra intendimus membra tum collective tum distributive frui debere fine qui societatis (pace nempe et prosperitate prout bonum publicum sunt) secundum proportionatam participationem, ita ut nullum prorsus membrum excludatur: unumquodque enim membrum tenetur cooperari ad bonum commune, et proinde volumus unumquodque membrum ius habere ad participationem eius; qualis tamen sit proportio dicemus in scholio.

Pax in genere a S. Augustino (De Civ. Dei, lib. 19, c. 13, n. 1) definitur tranquillitas ordinis: distinguitur in pacem internam et externam; pax *hominis* interna est tranquillitas ordinis respectu internorum hominis actuum, pax *hominis* externa est ordinis tranquillitas respectu actionum hominum externarum. In thesi agitur de pace hominis externa in societate civili.

Pax hominis externa in societate civili est tranquillitas ordinis iuridici respectu externarum hominum actionum, seu ordinis iuridici civilis; hic autem ordo iuridicus civilis est complexus omnium iurium et officiorum quae

respiciunt externam activitatem hominum in civitate; tranquillus ille ordo est, quando illaesus servatur sive per defensionem sive per reparationem. In activa conservatione illius ordinis illaesi includitur primo, quod iura membrorum omnia tum naturalia tum civilia inviolabilia servantur contra quamlibet aggressionem sive ab intra societatem sive ab extra eam; secundo, quod omnia membrorum officia tum civilia, tum naturalia in quantum vitam communem et cooperationem respiciunt, adimplentur; tertio quod auctoritas civilis est vere efficax ad duo priora efficienda, et secundum talem efficacitatem exercetur.

Prosperitas est abundantia mediorum opportunorum quibus homo vitam suam physicam, intellectualem et moralem connaturaliter evolvere possit. Felicitas hominis temporalis habetur in tali evolutione effecta: connaturalis evolutio vitae hominis habetur per eius propriam activitatem libere exercitam et specificatam, consortio, commercio et cooperatione aliorum adiutam atque non sine quadam aemulatione comiter exhibita. Opportunum dicitur medium, si in promptu est ad usum hominis qui eo uti velit, et proportionatum est exstanti eius exigentiae: abundantia sunt media vitae evolvendae, si tot, tanta et talia sunt quae non mere sufficiant ad vitae sustentationem, sed quibus per diligens suae activitatis exercitium omnes suas facultates vitales connaturalibus actionis perfectivae virtutibus gradatim ditare homo possit. Hanc prosperitatem Suarez perfectam vitae sufficientiam denominat: distinguitur a mera prosperitate oeconomica, quia haec consistit in abundantia bonorum tantum materialium externorum (quorum augmentum in communitate per abusum vocis hisce diebus materialisticis nuncupatur progressus); distinguitur etiam a civilizatione,

quia haec respicit modo perfectionis gradum in vita intellectuali, dum prosperitas vera includat media vitae tum physicae tum intellectualis tum moralis, ideoque connotat aliquam mensuram proportionatam tum prosperitatis oeconomicae tum civilizationis.

Pax et prosperitas sumuntur tanquam bonum publicum quando considerantur tanquam productae communi cooperatione proportionata omnium sub directione efficaci auctoritatis civilis in beneficium communitatis: publicum enim in genere dicit aliquid effectum a communitate aut aliquid effectum pro communitate aut aliquid iure pertinens ad communitatem: in praesenti casu intendimus bonum pacis et prosperitatis esse publicum triplici simul illo sensu.

Interdum additur declarationi finis proximi civitatis probitas morum necessaria: quod si non addatur in praesenti thesi, ratio est quia subauditur in bono publico pacis et prosperitatis, utpote improbi mores, prout ad externos se extendant actus, stare non possint cum illa conservatione ordinis iuridici, quae constituit pacem, neque cum opportunitate omnibus expedita vitae humanae evolvendae, quae vera est prosperitas.

Contra primam partem thesis enumerari possunt:

*a*) Graeci antiqui qui, sicut speculative Plato et partialiter etiam Aristoteles, practice vero Lacedaemones sub Lycurgo, subordinaverunt cives ipsi civitati tanquam fini cui, ita ut homo factus civis non amplius est ens sibi existens sed civitati, tanquam simpliciter medium ad obtinendum bonum civitatis: in hoc conceptu civitas sumitur tanquam persona moralis cuius personae physicae civium sunt membra prout manus, pedes etc. sunt membra corporis humani, quorum sola ratio existendi et perfectionis est propter totum. Contra illum conceptum nos

tenemus homines esse creaturas Deo glorificando et sibi perficiendis existentes et secundum talem rationem cooperantes cum aliis ad communem gloriam Dei et ad propriam tum collectivam tum distributivam perfectionem: unde unus homo non est simpliciter medium alteri aut ceteris hominibus ad communem finem humanae vitae, neque proinde ad communem finem societatis civilis, sed est principalis causa, natura sua aequalis in ordine ad communem finem vitae et ad communem finem societatis naturalis, cooperans cum ceteris ad gloriam Dei atque ad perfectionem suam et aliorum tum ultimam tum proximam naturaliter cooperativam. Unde quidquid efficientiae aut boni non personalis connaturaliter resultat ex unione eius cum aliis in societate naturali illud est medium eius et ceterorum ad felicitatem suam actuandam, sicut et est etiam ipsa formalitas unionis seu societatis.

*b*) Absolutistae qui distinguendo inter Statum prout significantem subiectum dominii regiminis (sive hoc subiectum sit persona una, sive coetus aristocraticus plurium) et reliquam communitatem in societate, tenuerunt solum finem cui societatis esse statum seu hoc subiectum dominii, et ceteros in societate esse nonnisi media domini ad suum bonum obtinendum et simul forsan ad Deum glorificandum.

*c*) Hegel, Ahrens, Bluntschle et recentiores alii non pauci qui infecti sunt idololatria Status. Eorum sententia quaerens distinctionem non tantum formalem sed etiam obiective entitativam inter societatem civilem et membra quae eam constituunt, statuit societatem civilem seu statum eo modo distinctum a membris esse finem cui et membra esse nonnisi media ad bonum status efficiendum. De facto huius sententiae fautores identificare volunt humanam naturam cum statu, et arguere homines

esse propter humanam naturam ideoque propter statum. Errant autem tum in antecedente tum in consequente. Humana natura obiective invenitur in serie progressiva omnium hominum, et homines non sunt medium ad bonum naturae, sed se ipsos, suamque prolem perficiendo et provisiones pro posteritate faciendo bonum operantur humanae naturae tum prout est in ipsis tum prout in aliis.

Contra alteram thesis partem stant:

*a*) De Haller qui docet nullum esse finem omnibus societatibus civilibus generice communem, sed quamlibet suum habere proprium.

*b*) Montesquieu qui tenet solum societatis civilis finem genericum esse propriam sui conservationem; quemlibet autem alium finem a civitate quaesitum esse huic vel alteri societati individuae specificum.

*c*) Kant eiusque imitatores qui contendunt solum finem relative ultimum civitatis esse conservationem harmonicam libertatis omnium civium, et proinde finem proximum esse solam pacem, conservationem nempe ordinis iuridici socialis.

*d*) Schola Manchesteriana quae sentit unumquemque hominem debere sibi comparare quae sibi necessaria sunt et solum finem societatis civilis esse ut omnes protegat in possessione et fruitione suorum acquisitorum, seu ut conservet ordinem iuridicum praesertim respectu dominii proprietatis privati.

*e*) Evolutionistae qui sibi fingunt finem naturae esse permanentiam aptissimorum et proinde finem societatis civilis esse ita disponere campum humani certaminis aut proelii ut aptissimi soli homines fiant superstites.

Probatur A. — De Fine civitatis Cui.

Arg. — Ille est proprius et proximus finis cui so cietatis civilis in cuius beneficium proprie et proxime dantur illa aptitudo naturalis, tendentia specifica et per se exigentia ad societatem civilem quibus patet ordinatio legis naturalis; atqui in beneficium membrorum omnium et singulorum qua talium proprie et proxime dantur aptitudo, tendentia et exigentia quibus patet ordinatio legis naturalis super hominem ad societatem civilem: ergo membra omnia et singula qua talia sunt finis proprius et proximus cui societatis civilis.

Ad Mai. — Quum societas civilis sit societas naturalis, finis eius est lege naturali determinatus: in ordine ad illum finem Deus posuit in homine aptitudinem, tendentiam et exigentiam: in subiecto igitur in cuius beneficium proprie et proxime existunt aptitudo illa, tendentiaque et exigentia invenitur subiectum cui bonum proprie et proxime societate civili efficiendum determinatur lege naturali.

Ad Min. — In probatione thesis qua statuitur hominem lege naturali ordinari ad societatem civilem constat hominem exhibere aptitudinem, tendentiam et exigentiam societatis civilis in bonum suum proprium simul et aliorum, — scilicet ut ipse et alii, qua simul in societatem ligati seu praecise qua societatis membra, ultimo vitam suam connaturaliter evolvant, et proxime media ad eam evolutionem necessaria obtineant.

Probatur B. — De Fine civitatis Qui.

Arg. — Proprius et proximus finis qui societatis civilis nihil aliud est nisi medium adaequate proportionatum quo possunt membra omnia et singula sibi felicitatem temporalem obtinere; atqui medium illud constat bono publico pacis et prosperitatis: ergo bonum publicum

pacis et prosperitatis est proprius et proximus finis qui societatis civilis.

Ad Mai. — Naturalis aptitudo, tendentia et exigentia societatis civilis quae ab homine exhibentur sunt ad comparandam sibi felicitatem temporalem quam in vitae suae evolutione homo inveniat, quam evolutionem sua vice producat utendo propria sua activitate super medium adaequatum quod est cooperatione omnium civili efficiendum: unde constat legem naturalem determinasse illam felicitatem tamquam finem remotum, medium autem illud adaequatum tanquam finem proximum qui societatis civilis.

Ad Min. — Illud est medium adaequatum felicitatis temporalis quo possesso homo possit gradatim activitate sua evolvere connaturaliter suam vitam ita ut, si deficiat illa evolutio, defectus attribuendus sit deficientiae connaturalis activitatis propriae rationabiliter exercendae in individuo; atqui possesso bono publico pacis et prosperitatis membra omnia et singula civitatis possunt suam vitam connaturaliter evolvere, et si evolutio deficiat, defectus non est attribuendus nisi deficientiae in propria activitate individui: ergo bonum publicum pacis et prosperitatis est medium adaequatum felicitatis temporalis.

Ad Min. — Si conservatur quodvis ius individui, si actuatur omne officium iuridicum aliorum respectu ipsius, et si adstat in promptu ad eius usum abundantia mediorum quibus vita eius connaturaliter evolvi possit, certo homo activitate propria potest suam vitam connaturaliter evolvere nisi sit defectus aliquis in illa activitate aut eius exercitio; in illa autem conservatione iurium et officiorum iuridicorum constat pax, et in supra dicta abundantia mediorum opportunorum constat prosperitas, et, si omnibus et singulis membris qua talibus

in promptu haec duo stent, habetur bonum publicum pacis et prosperitatis.

*Corollarium.* — Ergo datur praeceptum legis naturalis ut societas civilis procuret et sustineat pacem et prosperitatem in communitate tanquam bonum publicum pro omnibus et singulis membris civitatis qua talibus.

*Scholion 1.* — Unumquodque membrum ius habet (et societas simul officium) ut omnia et singula sua iura protegantur et omnia officia aliorum iuridica, quorum terminus illud membrum est, actuentur: hoc ius specifice idem et aequale est omnibus. Prosperitas tanquam bonum publicum in concreto constat organizatione omnium mediorum communi cooperatione producibilium quibus singuli sua activitate possint bona sua propria et commoda producere in ordine ad illam vitae evolitionem in qua felicitas temporalis consistit. In hoc complexu quaedam media sunt ad usum collectivum, sicut viae publicae, aquaeductus et similia: ad participandum in tali usu unumquodque membrum communitatis aequale ius habet: quaedam sunt ad usum distributivum, sicut venditio, emptio, collocatio, conductio, labor, occupatio terreni nondum occupati etc., atque respectu talium omne membrum ius habet ad aequalem opportunitatem, in quantum illa opportunitas producibilis est cooperatione omnium tanquam bonum publicum: quaedam sunt ad modum praemii pro merito apud societatem, et haec distribuenda sunt secundum iustitiam distributivam: quaedam sunt ad administrationem rerum publicarum, et haec danda sunt iis quibus secundum legem fundamentalem Status iuridice pertineant, sed praecise prout hi sunt ministri negotii publici et ita ut adhibeantur illa ad bonum commune civitatis.

*Scholion 2.* — Unumquodque membrum societatis ci.

vilis, dum propriam activitatem exerceat et bona sua propria adhibeat in suae vitae evolutione, tenetur qua membrum ita illam exercere et haec adhibere ut satisfaciat exigentiis pacis et prosperitatis efficiendae pro omnibus et singulis membris civitatis, quae exigentiae suam generalem obligationem habent in vinculo civiliter sociali sed specialem in legibus civilibus.

*Ad Difficultates.* — Contra A. 1. Proprius et proximus finis cui entis alicuius est ipsum ens; atqui ipsa natio, status, civitas est ens cuius finis hic quaeritur: ergo ipsa natio, status, civitas est finis proprius et proximus cui societatis civilis.

℟. Dist. Mai.: entis quod est physice unum per se, transeat: quod est physice unum per accidens, subd.: si distincta elementa non sunt aequaliter natura sua ad finem ultimum ordinata, transeat: si aequaliter ordinantur, iterum disting., finis cui est ipsum ens prout includens omnia elementa constituentia nullo excepto, concedo; prout quid distinctum ab elementis aut aliqua excludens, negatur. Ad Min. dicendum est civitatem esse ens physice unum per accidens cuius elementa sunt membra omnia et singula natura sua aequaliter ordinata ad finem ultimum societatis: ad Conclusionem addendum est finem cui esse civitatem prout includentem omnia et singula sua membra qua talia.

2. Finis cui proprius et proximus est subiectum quod possidet pacem et prosperitatem: atqui est ipsa civitas et non membra quae eas possidet.

℟. Finis cui est subiectum quod possidet bonum prout sibi fruendum; civitas autem ex natura sua et proinde secundum legem naturalem nonnisi prout identificatur cum membris omnibus et singulis pacem et prosperitatem sibi fruendas possidet.

3. Ponere cives ut finem cui civitatis est ordinare maius bonum ab minus, quod contra naturam est. Ꝛ. Si debent omnes cooperari ad bonum singulorum quin singuli simul teneantur operari ad bonum omnium, conceditur antecedens; si cives sunt finis ita ut omnes teneantur cooperari ad bonum singulorum et simul singuli ad bonum omnium, negatur.

4. Cives sunt propter patriam; atqui si cives essent finis cui, patria esset propter cives: ergo cives non sunt finis cui.

Ꝛ. Dist. Mai.: propter, sensu medii, negatur: propter, sensu quod cooperari debent ad bonum patriae, subdist.; prout patria identificetur cum omnibus et singulis nemine excepto, concedo; quasi patria fuerit aliquid non ita identificatum, negatur. Contradist. Min.; propter, sensu medii, negatur; sensu quod omnia membra quae constituunt patriam debent cooperari pro omnibus et singulis membris, conceditur.

5. Homo est propter humanam naturam evolvendam; atqui humana natura evolvitur in statu, non in individuis; ergo status et non individui est finis cui societatis civilis.

Ꝛ. Propter humanam naturam in abstracto, negatur; in concreto prout identificatur cum omnibus et singulis membris, conceditur. Contrad. Min.: in statu prout est aliquid distinctum a membris, negatnr; prout identificatur cum omnibus et singulis eorum, conceditur.

6. Bonum civitatis est bonum principis; atqui ille cuius est bonum civitatis, est finis cui civitatis; ergo princeps est finis cui civitatis.

Ꝛ. Dist. Mai.: sensu quod bonum civitatis est id propter quod princeps qua tale operari tenetur, concedo; sensu quod obiectivum bonum productum aut possessum

a civitate est obiectum privati dominii principis aut bonum ab ipso tanquam suum proprium et privatum fruendum, negatur. Contrad. Min.: ille cuius bonum civitatis est sensu quod bonum ab ea productum aut possessum est ab ipso tanquam suum proprium fruendum, conceditur; sensu quod bonum civitatis illud est ad quod ille tenetur operari, et proinde ille est finis cui, negatur.

Contra B. — 1. Finis diversificatur secundum diversitatem entis; atqui societates civiles diversae sunt: ergo et finis qui earum non idem.

℟. Concessa Mai., disting. Min.: essentialiter negatur: accidentaliter concedo. Pariter disting. Conseq.: non est idem essentialiter, nego; accidentaliter, concedo.

2. Finis proprius et proximus qui in ente maturo est simpliciter sese conservare in sua naturali existentia: atqui societas civilis est ens maturum: ergo eius finis proprius et proximus qui est simpliciter sese conservare in sua existentia.

℟. Dist. Mai.: In maturo ente vivente irrationali, transeat; in ente maturo constante ex viventibus rationalibus, negatur. Contrad. Min.: civitas est ens maturum quod est vivens irrationale, negatur: civitas est ens constans viventibus rationalibus et aliquo sensu maturum, conceditur.

3. Finis entis quod fit consensu, determinatur consensu: atqui societas fit consensu et consensu diversificatur finis: ergo diversificatur finis civitatis.

℟. Dist. Mai.: Quod tum secundum naturam tum secundum existentiam fit consensu, conceditur: quod modo secundum existentiam fit consensu, eius finis determinatur consensu, subdisting.: finis essentialis, negatur: accidentalis, concedo. Contrad. Min. Civitas tum secundum naturam tum secundum existentiam fit consensu,

negatur; modo secundum existentiam, subdisting., et proinde consensu diversificatur eius finis accidentalis, concedo; essentialis, negatur.

4. Id propter quod efficiendum homines naturaliter societatem civilem efformant est finis qui societatis: atqui homines civitatem naturaliter efformant non ad bona externa obtinenda sed ad ea contra aliorum aggressionem conservanda: ergo sola conservatio talis est finis qui civitatis.

℟. Concessa Mai., simpliciter negatur Minor prouti stat. Etenim homines naturaliter efformant societatem civilem ad pacem et prosperitatem tanquam bonum publicum efficiendum in ordine ad felicitatem temporalem obtinendam.

5. Id non est pars finis civitatis quod non a civitate sed ab ipsis individuis distributive pro se ipsis est efficiendum: atqui prosperitas non a civitate sed ab individuis distributive pro se ipsis est efficienda: ergo prosperitas non est pars finis civitatis.

℟. Concessa Mai., simpliciter negatur Minor. Etenim est confusio inter prosperitatem prout bonum publicum, abundantiam nempe mediorum opportunorum in promptu pro usu omnium et singulorum membrorum, et prosperitatem privatam, abundantiam nempe mediorum quae homo sua activitate et ex usu publicae prosperitatis propria sua efficit.

6. Finis civitatis est melius providere membris suis; atqui his melius providetur relinquendo prosperitatem sibi ipsis distributive efficiendam: ergo prosperitas non pertinet ad finem efficiendum a civitate.

℟. Simpliciter negatur Minor de prosperitate ut bono publico.

**THESIS LII. — Suprema auctoritas civilis in genere et secundum se considerata immediate a Deo naturae Auctore procedit.**

Cf. Bellarmin., De Laicis, lib. 3, c. 6; Suarez, Defensio Fidei Catholicae, lib. 3, c. 1, n. 6 et c. 2, nn. 2, 3 et 4; De Legibus, lib. 3, c. 3; Molina, De Iustitia, tract. 2, disp. 22; Costa-Rossetti, thes. 161; Ferretti, thes. CXXXIII.

*St. Qu.* — Auctoritas etymologice (ab *auctore* qui sonat causam ipsius esse aut bene-esse entis et sua vice derivatur ab *augere* quod significat incrementum dare) intendit in genere potestatem necessitandi et praedicatur duplici sensu, secundum intellectum intentionaliter necessitandum et secundum voluntatem moraliter necessitandam. Auctoritas intellectualis est potestas in scientia et veracitate testis movendi assensum mentis. Auctoritas moralis est potestas imperandi creaturis liberis, seu obligandi eas respectu suorum actuum liberorum: in thesi agitur de auctoritate morali.

Ex thesi XLIII supponimus auctoritatem socialem, seu auctoritatem moralem in ordine ad finem societatis, esse necessariam cuivis societati humanae, et per consequens eam *dari* in omni societate naturali, in familia igitur et in civitate.

Auctoritas civilis definitur in genere ius seu potestas moralis efficaciter movendi cives ad proprium et proximum civilis societatis finem efficiendum; denominatur etiam simpliciter civilis potestas. Est igitur potestas iurisdictionis, nempe super liberos aliorum actus; dominium iurisdictionis, quia iurisdictio in societate perfecta; potestas iuridica, potestas scilicet obligationes seu officia

imponendi ac iura conferendi; est potestas definitiva iurium et officiorum naturalium, quando haec respiciunt finem civitatis et indefinita relinquuntur lege naturali; est potestas inviolabilis, utpote ius, et proinde gaudet proportionata coactivitate; est potestas de se efficax ad conservandum pacem hominis externam seu ordinem iuridicum socialem (sive antecedenter per praeventionem laesionis, sive consequenter per ordinis laesi reparationem aut vindicationem), atque ad perfectam vitae sufficientiam seu prosperitatem publicam cooperatione civium producendam. Respicit universaliter omnes qui habitant intra civitatis fines, sive membra sint sive extranei, nolentes volentesve, in quantum ad finem civitatis exercitium eius sit necessarium et ceteroquin iustum.

Uti supra iam diximus, auctores scholastici non consentiunt utrum auctoritas civilis sit forma societatis civilis an tantum proprietas essentialis. Non videtur esse forma, quia per solam suam praesentiam in societate non vincit cives in unionem illam moralem et iuridicam quae est societas, sed solum exercitio suo eos ligat obligatione: tale autem exercitium non obligat nisi quatenus iam supponit subditos esse cives seu societatem per prius iam esse formaliter constitutam. Forma potius est vinculum civiliter sociale, vinculum nempe iuris et officii civilis, proveniens ex lege naturali super homines per consensum suum constituentes societatem in existentia concreta. Est autem essentialis proprietas, quia absolute necessaria est ut socii stabiliter in cooperatione sua ad bonum commune retineantur; etenim sine ea bonum commune in concreto non definiretur, neque media concreta ad illud determinarentur; disparata membrorum iudicia ad unum iudicium practicum et discordantes voluntates ad cooperativam eiusdem executionem non re-

ducerentur, neque tandem recusantes iustam suam partem oneris asportare eo usque coercerentur.

Suprema auctoritas civilis ea est quae in suo ordine, ordine nempe potestatis civilis, superiorem nescit; saepius denominatur politicus principatus; opponitur auctoritati civili subordinatae, quae in suo ordine superiorem habet, a qua suam vim accipit aut saltem cui in suo exercitio obedire tenetur.

Suprema auctoritas civilis in genere considerata est auctoritas cum praecisione a sua distributione in specifica forma regiminis: unde est ipsa auctoritas suprema et integra quae invenitur in omni societate civili cuiuscunque formae regiminis, praecise prout est auctoritas et non prout distribuitur. Opponitur auctoritati in specie consideratae quae est auctoritas praecise secundum suam distributionem in specifica regiminis forma. Quaerimus igitur in thesim causam auctoritatis in societate, non causam eius distributionis. Non idem praecise sonat auctoritas civilis in abstracto et in genere; auctoritas in abstracto respicit naturam potestatis collatae, praecisione habita a causa quae eam confert; in thesi autem quaestio est de auctoritate collata et quaerimus causam quae societati eam confert. Quum civitas sit societas naturalis, sequitur Deum immediate determinasse essentialem naturam illius auctoritatis quae huic societati tanquam proprietas essentialis necessaria est, et hoc esset verum, sive Deus ipse contulisset societati, sive homines. In thesi asserimus Deum immediate contulisse societati civili supremam eius auctoritatem: quaenam vero sit causa eius distributionem determinans non asserimus.

Auctoritas suprema civilis secundum se considerata est auctoritas cum praecisione a subiecto cui in societate inest. Quando enim auctoritas societati confertur, in aliquo

subiecto recipitur, sive in tota societate, sive in una aliqua persona, sive in delecto aliquo coetu personarum: sed auctoritas in se considerata est ipsa auctoritas quae confertur. Opponitur igitur auctoritati secundum subiectum considerata, quae est auctoritas praecise secundum hoc quod invenitur in tali vel tali subiecto. Quaerimus in thesi causam quae auctoritatem societati conferat: causam quae eius subiectum determinet non quaerimus.

Provenit a Deo significat Deum esse causam illius quod provenire dicitur. In praesenti materia, quum ens quod proveniat sit dominium iurisdictionis, provenire a Deo sonat Deum de suo proprio dominio iurisdictionis super homines concedisse societati civili illam iurisdictionem quae proportionata sit et necessaria ad finem naturalem societatis civilem efficiendum. Opponitur sententiae atheorum qui volunt excluso Deo ortum auctoritatis civilis explicare.

Provenit a Deo tanquam ab Auctore naturae id cuius Deus est causa praecise in quantum produxit humanam naturam cum ceteris naturis in hoc mundo positis et eam dirigit tanquam in statu naturali ad naturalem finem communem humanae vitae. In amplitudine illius causalitatis Deus causat quidquid tum in ordine physico tum in ordine morali naturam constituit, aut consequitur, aut ab ea exigitur. In praesenti materia provenire ab Auctore naturae significat Deum concedisse auctoritatem civilem tanquam potestatem exactam a natura humana ut medium necessarium ad finem naturalem societatis civilis. Opponitur causalitati supernaturali, et negat auctoritatem civilem procedere a Deo prout Auctore gratiae, et fuisse concessam a Deo tanquam aliquid quod non exigitur in ordine ad finem naturalem hominum sicut concessa fuit auctoritas Moysi in ordine ad finem superna-

turaliter a Deo intentum vel sicut Deus potuisset, si voluisset, concedere alicui etiam in ordine ad finem naturalem sed supra omnem exigentiam necessitatis in natura humana. Ita excluditur sententia eorum qui attribuunt originem auctoritatis civilis supernaturali interventui providentiae divinae.

Auctoritatem civilem procedere a Deo tanquam ab Auctore naturae non est punctum controversiae probandum in thesi: illud quidem supponimus ex praecedentibus. Etenim in thesi XXVIII statutum est omne ius et proinde ius iurisdictionis provenire ex lege aeterna, et in thesi XXIX dari iura quaedam quae proveniunt ab ipsa lege naturali (et proinde a Deo tanquam ab Auctore naturae): insuper in decursu probationis illius thesis ostenditur inter iura naturalia esse omnia illa iura quae necessaria sunt ad finem sive ultimum sive proximum ad quem lex naturalis hominem ordinavit. Deinde in thesi XLVIII demonstratum est legem naturalem ordinasse hominem ad societatem civilem eiusque finem, et in thesi XLIII auctoritatem esse medium necessarium ad finem cuiuscunque societatis (et proinde etiam ad finem societatis civilis); unde constat tanquam conclusio Deum naturae Auctorem concedisse auctoritatem civilem. In forma syllogistica positum argumentum stat: A Deo naturae Auctore procedit omne ius quod necessarium est ad finem ad quem homo lege naturali ordinatur; homo autem lege naturali ordinatur ad finem societatis civilis ad quem suprema auctoritas civilis est ius quod est medium necessarium: ergo suprema auctoritas civilis a Deo naturae Auctore procedit. In praesens vero controversia est utrum necne illa auctoritas procedat a Deo immediate.

Immediate a Deo procedit id quod producitur a Deo sine interveniente altera causa efficiente eiusdem effe-

ctus sicut mediate provenit quidquid producitur a Deo mediante altera causa efficiente eiusdem effectus. Ita in ordine physico immediate a Deo procedit quidquid Deus creavit vel creat, sicut e. g. mundus in principio, et anima humana singulis diebus; mediate autem procedit domus quam homo aedificat, siquidem Deus producens hominem causam, producit etiam domum, hominis effectum, sed mediante efficientia hominis; in ordine morali immediate a Deo procedit ius hominis ad agrum ab homine primitus iuridice occupatum, sed mediate a Deo ius alterius hominis ad eumdem agrum per emptionem a priore domino. Attamen dupliciter potest dici effectum provenire a Deo immediate, nempe tanquam a causa prima, aut tanquam a causa proxima.

Immediate provenit a Deo tanquam a causa prima omnis effectus causae secundae, siquidem Deus, uti probatur in theodicea, immediate concurrit in omni actione creata, et proinde tanquam causa prima immediate influit in omnem effectum causae secundae; hic igitur effectus omnis immediate ab Ipso in ratione causae primae procedit. Pariter in ordine morali Deus tanquam causa prima concurrit in omne iure concesso; ita etiam in agro empto Deus tanquam Dominus Supremus ratum habet translationem dominii, et proinde simul cum vendente tradit emptori ius super agrum. Immediate autem provenit aliquid a Deo tanquam a causa etiam proxima, quando excluditur efficientia cuiuscunque causas secundae in ipsum effectum ab ipso productum. Ita in ordine physico Deus immediate immediatione causae proximae producit animam humanam, siquidem efficientia parentum non influit in ipsam animam producendam, licet eorum activitas exigat productionem animae et de facto producat hominem generatum. In ordine vero morali ius aliquod pro-

cedit a Deo immediate immediatione causae proximae, quando nulla alia simul aut medianter concessit idem illud ius; ita immediate Deus concedit ius dominii super agrum primo iuridice occupantium; sed in casu emptoris non ita, quia Deus concedit dominium emptori mediante concessione vendentis, licet in ratione causae primae Deus immediate illud concedat. In thesi igitur volumus Deum conferre auctoritatem civilem sine interventu alterius causae concedentis. Opponitur haec immediatio sententiae eorum qui vellent homines ut individuos habere potestatem moralem (seu ius) super suos actus, et tanquam patresfamilias etiam super aliorum actus, sufficientem ut, si simul conferatur societati civili, exinde habeatur suprema auctoritas civilis; et de facto ex tali concessione hominum constituentium societatem haberi auctoritatem in civitate. Contra hanc sententiam tenemus auctoritatem de facto non ita oriri in societate, et ultra neque posse ita oriri propter insufficientiam potestatis iam per prius possessae ab individuis et patribusfamilias. E contrario sicut in generatione hominis, parentes per suam activitatem ponunt id in ordine ad hominem producendum quod exigit animam humanam, et Deus immediate producit animam et per consequens voluntatem liberam quae essentialiter exigitur ab anima rationali, et parentes sunt causae efficientes hominis in concreto generati, licet non causae efficientes neque animae neque voluntatis; ita constituentes societatem faciunt quod in se est ad societatem habendam, Deus autem vinculum civiliter sociale immediate per legem naturalem secundum exigentiam ad societatem constituendam imponit, et confert auctoritatem quae exigitur tanquam proprietas essentialis societatis: atque constituentes merito dicuntur per suum consensum posuisse societatem in concreta exi-

stentia, licet neque ipsum vinculum neque auctoritatem consequentem sua efficientia produxerint. Constituentes aliis verbis ponunt fundamentum vinculi socialis, et vinculum ipsum descendit immediate ex lege naturali super homines per consensum determinatos, et habita ita societate auctoritas, tanquam eius proprietas essentialis, immediate per consequens descendit ex eadem lege. Haec auctoritas, in quantum ius hominum, est ius acquisitum eorum activitate; dici tamen potest ius congenitum societatis, quia habita in existentia societate civili eo solo titulo habetur in societate auctoritas civilis suprema.

Contra thesim sunt:

*a*) Hobbes, qui docet supremam in societate civili auctoritatem provenire immediate ab hominibus paciscentibus totam suam vim physicam simul conferendam in communem defensionem.

*b*) Locke, qui posuit homines esse immediatas causas civilis potestatis eo quod pacto suo conventionali ex sua propria libertate quantum velint societati cedunt.

*c*) Rousseau, qui tenet auctoritatem civilem immediate provenire ex hominibus simul in unum congerentibus sua omnia iura, voluntates et personas pacto quodam conventionali, ita ut exinde habeatur universalis quaedam persona seu voluntas regens.

*d*) Evolutionistae, qui contendunt ipsam humanam naturam collective sumptam esse causam immediatam ex qua auctoritas civilis necessitate quadam absoluta procedit.

Probatur. — In societate civili, praecisione habita a regiminis forma necnon a subiecto in quo auctoritas recipitur, suprema auctoritas civilis immediate a Deo confertur.

Arg. 1. — Qui hominem per naturam eius ordinat

ad finem societatis civilis et ad ipsam societatem in ordine ad illum finem, huic societati tanquam Auctor naturae omnia necessaria ad illum finem confert, et quidem immediate, in quantum illa necessaria ceteroquin non sunt penes potestatem conferendi hominum; atqui Deus hominem per eius naturam ad finem societatis civilis et ad societatem civilem in ordine ad illum finem ordinavit, ac suprema auctoritas civilis est necessaria ad finem societatis civilis, et demum ea non est penes potestatem conferendi hominum: ergo Deus tanquam Auctor naturae societati civili supremam auctoritatem civilem immediate contulit.

Ad Mai. — Qui hominem per eius naturam ad finem ordinat, tanquam Auctor naturae ordinat, et proinde tanquam Auctor naturae omnia media necessaria ad finem confert: auctoritatem autem supremam civilem iam probavimus esse medium necessarium ad finem societatis civilis: unde et hanc auctoritatem Deus tanquam Auctor naturae confert societati cui necessaria est. Iam vero absolute loquendo haec collatio duplici modo concipi posset fieri. Uno modo statim ac in existentia ponatur societas consensu constituentium et habeatur vinculum sociale super omnes, Deus, secundum exigentiam societatis essentialem, in ipsa societate alicui subiecto auctoritatem civilem supremam confert: hoc modo per se constat collationem esse immediatam. Alio modo concipitur quasi iam exstaret inter homines potestas sufficiens aut potestates sufficientes ut, si societati conferrentur, supremam auctoritatem civilem constituerent; et quasi Deus obligaret homines constituentes societatem eas potestates conferre ita ut non haberetur societas illa civilis (ad quam homo ordinatur) nisi ita illa potestas vel illae potestates conferrentur. Hoc modo homines societatem civilem consensu suo

non ponerent in existentia nisi simul conferendo huic illas potestates, et auctoritas civilis suprema esset in societate a Deo quidem (siquidem homo omnes suas potestates a Deo acceperit) sed mediate, et immediate proveniret ex hominibus. Ast si homines non habeant potestates sufficientes ut per earum collationem constituatur illa potestas auctoritativa quae necessaria est ad finem stabilis illius unionis quae est societas civilis, auctoritas hoc altero modo oriri evidenter non potest, et opus est ut ad immediatam Dei collationem recurramus. Asserimus autem in praemissa minore homines non per prius habere sufficientem talem potestatem aut potestates: unde concluditur ad immediatam Dei collationem.

Ad Min. — Primum et alterum punctum iam in prioribus thesibus probata sunt: manet modo tertium probandum. Auctoritas, quae necessaria est ad stabilem illam unionem quae est societas civilis, valere debet super omnia membra sive nolentia sive volentia, necnon super alienos in territorio societatis degentes vel negotia operantes, itemque super succedentes generationes membrorum; atqui penes homines individuos, etiam quando ad societatem constituendam aggrediuntur, non datur potestas quae valet supra nolentes, super alienos, super succedentes generationes: ergo penes homines non datur potestas neque potestates sufficientes ut per earum collationem constituatur suprema auctoritas civilis.

Ad Mai. — Ad pacem et prosperitatem efficiendam societas requirit potestatem exigendi cooperationem tum positivam tum negativam ab omnibus membris etiam nolentibus, necnon cooperationem saltem negativam ab alienis in suo territorio degentibus; atque ad suam perseverantiam in unione stabili potestatem valentem super successivas generationes necessario postulat.

Ad Min. — Quisque homo potestatem moralem super suos actus liberos habet et absolute loquendo hanc potestatem alteri transferre potest ad meliorem effectionem communis finis socialis: ast homo individuus qua talis nullam talem potestatem habet super actus aliorum, sive societatis membrorum, sive alienorum, sive generationum successivarum: potestatem autem, quam non habet homo, alteri conferre nequit. Certo paterfamilias qua talis habet potestatem super suam familiam, sed non super aliam quamlibet familiam; et proinde super aliam nolentem, aut alienam aut generatione succedentem non potest societati potestatem conferre.

Arg. 2. — Suprema auctoritas civilis potestatem habet poenas imponendi hominibus propter ordinem iuridicum laesum: atqui neque ullus homo neque omnes simul homines in se ipsis talem habent potestatem; ergo societas civilis ab hominibus eam suscipere nequit, et proinde ut immediate a Deo auctoritatem, quae eam potestatem includat, suscipiat opus est.

Ad Mai. — Illud factum ab adversariis conceditur; constanti, uniformi et universali hominum testimonio manifestatur; et demum constat ex eo quod sine tali potestate societas civilis ordinem iuridicum illaesum efficaciter conservare non posset.

Ad Min. — Potestas poenas imponendi non procedit ex iustitia commutativa quae intervenit inter aequales sed ex iustitia vindicativa quae intervenit inter superiorem et inferiorem, neque agit ad reparandum damnum aut iniuriam factam individuo sed ad vigorem legum sustentandum et ad compensandam iniuriam offensae erga illum qui potestatem habet homines ligandi ad actum citra offensam sui, seu homines vere obligandi. Homines autem in se ipsis sunt iuridice aequales et eo-

rum potestates personales procedunt ad invicem secundum iustitiam nonnisi commutativam et quidem solummodo ad damnum aut iniuriam personalem reparandi, siquidem nullus homo in quantum talis, habet potestatem ligandi alterum ad actum citra offensam sui, seu alterum vere obligandi.

Arg. 3. — Suprema auctoritas civilis ius gladii includit, seu potestatem homines morte puniendi; atqui homines in se ipsis tali potestate non gaudent: ergo auctoritas, quae eam includit potestatem, ab hominibus conferri nequit sed necessario immediate a Deo confertur.

Ad Mai. — Factum hoc etiam ab adversariis conceditur; consensu universali per plurima secula confirmatur; et rationem suam habet in eo quod sine tali potestate societas civilis neque proportionate punire neque efficaciter prohibere posset crimina atrociora.

Ad Min. — In thesi de homicidio iam probatum est hominem non habere a Deo potestatem directe occidendi alterum extra casum necessariae defensionis suae vitae contra iniustum aggressorem.

*Confirmatur.* — Auctoritas suprema civilis est ius naturale: omne autem ius naturale est a Deo et secundum exigentiam naturae in ordine ad communem humanae vitae finem; exigentia autem huius iuris, auctoritatis nempe civilis, non oritur in ratione hominis individuali sed in ratione civiliter sociali; ergo non conceditur a Deo hominibus nondum iuridice in societatem civilem unitis, sed societati iuridice iam constitutae cui soli est haec auctoritas necessaria. Unde suprema auctoritas civilis non primo invenitur in hominibus iuridice discretis a quibus communicatur civitati, sed immediate a Deo ipsi societati iuridice constitutae confertur.

*Scholion 1.* - Deus non tantum principiat auctoritatem civilem in abstracto, determinando nempe eius naturam, characterem essentialem et extensionem, sed etiam in concreto eam confert; non vero mediate, quasi conferret eam hominibus iuridice discretis qui deinceps sua vice civitati conferrent, sed immediate per Se Ipsum; non tantum prout Causa Prima est, scilicet per legem naturalem actuando collationem ab hominibus factam, sed ut Causa Proxima sine interventu ullius causae mediae conferentis; et quidem non per specialem actum supernaturalem, sed tanquam Auctor naturae per connaturalem consequentiam ex lege naturali in societate civili statim ac haec in esse suum iuridicum ineat. Haec omnia probavimus sed cum praecisione hucusque a determinata persona cui tanquam subiecto confertur auctoritas, atque ab eius distributione in specifica forma regiminis.

*Scholion 2.* — Posita supradicta thesi constat subiectum auctoritatis supremae in societate civili esse ministrum Dei et non mandatarium multitudinis, siquidem auctoritas illa (seu iura principatus) immediate a Deo est et quidem ad finem naturalem (commune nempe bonum civile omnium), et non est collatio iurium individualium multitudinis, neque ad finem conventionaliter electum.

*Scholion 3.* — Multitudo non potest auctoritatis civilis naturam mutare neque eius amplitudinem limitare, multo minus auctoritatem e societate tollere, siquidem non a multitudine sed immediate a Deo auctoritas est societati collata, et quidem non secundum lubitum multitudinis sed secundum exigentias naturales societatis civilis in ordine ad eius finem naturalem.

*Ad Difficultates.* — 1. Urgetur contra argumenta nostra in genere quod aeque valerent de quavis societate, et proinde nimis probant, quum non omnis societas im-

mediate a Deo auctoritatem suscipiat, sed plures suscipiant nonnisi mediate, mediantibus nempe vel individuis hominibus vel rectoribus civilibus. Ꝛ. Argumenta supra data non procedunt de quavis societate neque de quavis valent, sed nonnisi de societate naturali; in societate quidem conventionali auctoritas haberi potest mediate a Deo, sive mediantibus iuribus individualibus, sive potestate civili.

2. Locke arguit naturalem conditionem hominis esse extra-socialem et in illo statu quemvis hominem habere potestatem seu ius poenis vindicandi legem naturalem contra aliorum scelera, quod ius postea conferre posset societati civili efformandae; unde non valere nostrum argumentum ex potestate vindicativa desumptum. Ꝛ. Negando statum naturalem hominis esse extra-socialem, siquidem probavimus hominem lege naturali ordinari ad societatem tum coniugalem tum civilem; insuper negamus hominem individuum habere ius alium puniendi, cuius negationis rationes supra datae sunt in ipso argumento de quo quaestio est.

3. Obiicitur ex S. Thoma (2, 2, q. 10, a. 10) « quod dominium et praelatio introducta sunt ex iure humano »: atqui quod introducitur ex iure humano non immediate a Deo procedit; ergo dominium et praelatio seu auctoritas civilis non immediate a Deo procedit.

Ꝛ. Dist. Mai. — A iure humano, quod est ex naturali ratione, prout distinguitur a iure divino positivo, quod est ex gratia, conceditur: ex iure humano positivo prout distinguitur a iure divino naturali, negatur. Contradistincta Minore, negatur consequentia. Ad explicationem citamus integrum D. Thomae textum: « Alio modo possumus loqui de dominio, vel praelatione iam existente: ubi considerandum est, quod dominium, et praelatio in-

troducta sunt ex iure humano; distinctio autem fidelium, et infidelium est ex iure divino: *ius autem divinum, quod est ex gratia, non tollit ius humanum quod est ex naturali ratione;* ideo distinctio fidelium, et infidelium secundum se considerata non tollit dominium, et praelationem infidelium supra fideles ».

**THESIS LIII. — Subiectum naturale cui primo, per se et necessario descendit per legem naturalem auctoritas civilis est ipsa communitas in societatem civilem constituta, cuius consensu transit in subiectum in quo permanenter residet formaliter et quoad exercitium.**

Cf. Bellarm., De Laicis, lib. 3, c. 6; Molina, De Iustitia, tract. 2, disp. 26; Suarez, Def. Fid. Cath., lib. 3, c. 6, nn. 5, 6, 7, 8, 10 et 14; De Leg., lib. 3, c. 4, nn. 2 et 3; Lessius, De Perf. Div., lib. 10, c. 2, nn. 8 et 9; Costa-Rossetti, theses 161 ad 164: Billot, De Ecclesia, q. 12, sect. II. et III.

*St. Qu.* — In praecedenti thesi de suprema auctoritate civili egimus cum duplice praecisione, a forma nempe regiminis et a subiecto auctoritatis. In praesenti thesi quaestionem solvendam aggredimur quae involvitur in praecisione altera, de subiecto nempe; deinceps in altera thesi ad priorem praecisionem de forma regiminis deveniemus.

In praesens igitur supponimus ex thesi praecedenti auctoritatem civilem immediate ab ipso Deo per legem naturalem conferri et quaerimus quaenam sit illa persona cui tanquam subiecto Deus auctoritatem immediate contulerit; huic autem quaesito in thesi, respondetur: Subiectum cui Deus auctoritatem civilem immediate contulit est communitas ipsa seu cives in communi, seu illa

persona moralis quae est ipsa societas civilis quaeque constituitur ex physicis illis personis omnibus quae cives sunt. Iam vero non volumus civitatem ex tali sola collatione auctoritatem habere expedite ad regendum statim et formaliter societatem, sed eam accepisse secundum totam suam substantiam et virtutem simul cum potestate et officio determinandi permanens subiectum cui tribuenda est auctoritas expedite ad societatem regendam. Unde consequitur ut ii qui de facto in terris formaliter possideant et exerceant supremam auctoritatem in quavis societate civili, eamdem a Deo acceperint nonnisi mediate, mediante nempe ipsa communitate cui Deus eam immediate contulerit.

Subiectum auctoritatis civilis est persona vel personae, sive physicae sive morales, qui iurisdictionem possident tanquam suam propriam. Subiectum naturale tale est subiectum quod ut auctoritatem habeat determinatur lege naturali, posito quidem, ut supponitur, proportionato titulo. Subiectum naturale primum auctoritatis civilis, seu subiectum cui auctoritas civilis per legem naturalem primo descendit, est illud subiectum quod lege naturali determinatur ut eam habeat statim ac primam suam existentiam concretam suscipit illa auctoritas; seu est subiectum cui Ipse Deus per legem naturalem immediate confert supremam auctoritatem civilem super concretam aliquam existentem societatem civilem. In casu primi subiecti agitur de originaria societatis alicuius civilis constitutione, de eo instante scilicet quando multitudo civiliter discreta iam transit in multitudinem iuridice civilem, seu facta iam est societas civilis, cui lege naturali per exigentiam naturalem necessario conceditur auctoritas suprema.

Subiectum naturale potest esse secundarium, illud

nempe quod auctoritatem habet non titulo primigenio sed titulo derivativo, ideoque non immediate a Deo sed mediate, derivatione legitima ex primo subiecto. Iam vero sicut in prima thesis clausula agitur de subiecto naturali primo, ita in altera parte agitur de subiecto naturali secundario. Quando autem dicitur secundarium subiectum auctoritatem suscipere per transitum ex communitate, quae est primum subiectum, et quidem solummodo ex huius consensu, non intenditur unumquodque subiectum secundarium, quod de facto possidet auctoritatem, habere proximum suum titulum in consensu communitatis; sed intenditur in serie causarum legitime transmittentium auctoritatem ultimo devenire necessario ad consentientem communitatem, ideoque subiectum secundarium quod immediate sequitur post primum subiectum, suum legitimum titulum proximum necessario habere in consensu subiecti primi.

Subiectum naturale primum est per se tale, si ex connaturaliter ordinario decursu humanae naturae illud est subiectum auctoritatis primum: est per accidens tale, si propter aliquas extra ordinarium naturae cursum circumstantias subiectum aliquod ex natura societatis et proinde secundum legem naturalem legitime primum est auctoritatis subiectum. Ita aliqui ex nostris adversariis admittunt ipsam communitatem posse fieri legitime primum subiectum auctoritatis, quando plures familiae independentes libere coalescunt in societatem civilem, siquidem tunc, quum nullo alio facto naturali subiectum determinetur, licitum est ipsi communitati determinare subiectum, et quidem, si velit, determinare se ipsam esse subiectum et ita constituere democratiam. Quod addunt per accidens fieri, utpote in adiunctis prorsus extraordinariis, siquidem in ordinario decursu humanae

naturae civitas resultat ex familiis ex eadem stirpe ortis, in qua secundum legem naturalem patriarcha est subiectum auctoritatis civilis primum et quidem per se. Nos tamen defendimus communitatem in ordinario cursu evolutionis humanae naturae esse ex natura rei et proinde secundum legem naturalem primum auctoritatis subiectum.

Subiectum naturale primum et per se erit necessario tale, si natura societatis et proinde lex naturalis non permittit aliud esse per accidens subiectum naturale auctoritatis primum. Unde habetur aliud discrimen inter nos et supra indicatos adversarios eo quod illi, dum teneant patriarcham esse per se subiectum naturale primum, admittunt tamen aliud posse esse per accidens subiectum primum, sicut verbi gratia ipsam communitatem in adiunctis extraordinariis; nos autem asserimus legem naturalem ita determinasse communitatem esse primum subiectum naturale, ut in nullis prorsus adiunctis in ordine naturali possit aliud quodvis praeter communitatem esse tale subiectum. Attamen non volumus auctoritatem ita esse in communitate tanquam in subiecto primo ut sit expedita prorsus ad societatem statim regendam; unde distinguimus duplicem modum quo auctoritas civilis suprema in aliquo subiecto naturali adesse possit.

Suprema auctoritas civilis formaliter et quoad exercitium inest in aliquo subiecto quando, impletis omnibus formalitatibus requisitis ad ordinatum societatis regimen, auctoritas illa est expedita ad agendum. Ita non tantum auctoritas secundum se aut suam dispositionem in subiecto est, sed etiam ipsum eius exercitium penes idem illud subiectum est. Inter formalitates praerequisitas includitur determinata forma permanens regiminis; determinatum subiectum ad auctoritatem expeditam, seu ad ipsam auctori-

tatem eiusque exercitium possidendum; et determinatum modum successionis in tali subiecto, ita ut sit secura non tantum permanentia auctoritatis in subiecto sed etiam permanentia formae regiminis in successore secundum eamdem rationem. Haec omnia ponuntur in lege aliqua fundamentali, seu, uti dicitur, in constitutione civitatis, quae lex sive scripta, sive non-scripta, sive simul et explicite facta, sive gradatim aut implicite suscepta, ortum suum et vim iuridicam habet ex consensu communitatis permanenter posito.

Suprema auctoritas civilis radicaliter et quoad virtutem considerata inest in aliquo subiecto quando in ipso sunt omnia iura illius auctoritatis, sine tamen eorum exercitio (eo quod non sunt expedita ad agendum ex defectu formalitatum requisitarum ad ordinatum et permanens civitatis regimen) simul cum iure formalitates eas authentice implendi, et communicandi ipsam auctoritatem subiecto cui insit, propter impletas requisitas formalitates, expedite ad agendum seu simul cum eius exercitio. Ita dicitur auctoritas inesse subiecto quoad virtutem, quia iura auctoritatis adsunt, licet ex defectu formalitatum requisitarum impediatur eorum exercitium: item dicitur radicaliter inesse quia adest potestas iuridica implendi determinative illas formalitates, quibus positis respectu alicuius subiecti, formaliter in ipso auctoritas adest. Unde auctoritas dicitur formaliter adesse in subiecto quia respectu talis subiecti implentur requisitae formalitates et proinde in ipso est auctoritas iam expedita ad exercitium: stabilitas societatis requirit ut auctoritas sit in huiusmodi subiecto secundum aliquam ordinationem permanentiae.

Tenemus igitur primo, per se et necessario auctoritatem inesse in ipsa communitate (tanquam in subiecto)

radicaliter et quoad virtutem, et titulum talis possesionis esse ipsam naturam societatis civilis. Non tenemus auctoritatem inesse per se primo in ipsa communitate (tanquam in subiecto) formaliter et quoad exercitium, quia ita societas esset per se et primo democratia, qualis non est. Tenemus insuper cum Lessio communitatem nunquam posse totaliter abalienare radicalem illam possessionem auctoritatis, quia deficiente quandocumque aut quomodocunque subiecto formalis possessionis, penes ipsam communitatem est potestas determinandi novum subiectum eiusque legitimum titulum per suum consensum creandi, et conferendi illi auctoritatem quae penes ipsam est secundum virtutem, et illi ita conferendi ut habeat formaliter et secundum exercitium. (Cf. Lessium, loc. cit. et Billot, loc. cit. sect. IV).

Per communitatem in thesi intendimus omnes simul cives quatenus iam vinculo iuridice civili sunt moraliter uniti stabiliter ad commune bonum civile attingendum cooperatione, seu prout constituunt societatem civilem in facto esse.

Per consensum in thesi intendimus liberum voluntatis actum conferentem quod suum est alteri; non confert auctoritatem in eadem conditione qua possidet, quia possidet tantum radicaliter et secundum virtutem; confert autem formaliter et secundum exercitium, exercendo suam potestatem conferendi alteri expeditam ad exercitium illam auctoritatem quam conferentes impeditam tantum possident. Consensus ille potest esse expressus vel tacitus, verbis vel actibus (aut eorum omissione) prolatus; sicuti, igitur, iam vidimus societatem civilem in concreto posse provenire in existentiam per cives in fieri gradatim actibus suis acquiescentes in vinculum civiliter sociale acceptandum, ita pariter gradatim acquiescere

possunt cives ut iuridice habeatur auctoritas ab aliquo determinato subiecto a quo de facto iam assumitur. Ita simul tempore multitudo discreta transit in multitudinem iuridice civilem, et incipit determinatum subiectum possidere auctoritatem civilem formaliter et secundum exercitium: natura autem prius est transitus in civitatem et auctoritatis possessio radicalis et quoad virtutem habita ab ipsa communitate quam auctoritatis praesentia formalis et quoad exercitium in determinato subiecto, quia huic confertur nonnisi graduali illo consensu communitatis in quantum iuridice societas est.

Unde probanda sunt in thesi *a*) Ex necessitate naturae societatis civilis Deus immediate confert toti communitati tanquam subiecto supremam auctoritatem civilem consideratam radicaliter et secundum virtutem.

*b*) Subiectum in quo inest suprema auctoritas civilis considerata formaliter et secundum exercitium habet legitimum suum titulum ultimatim in libero consensu communitatis conferentis.

Contra thesim stat: I. Famosa illa doctrina de iure regum divino. Primus huius sententiae assertor (A. D. 1314-1347) fuit Ludovicus Bavarus Imperator (excommunicatus), qui contra Summum Pontificem declaravit « quod imperialis dignitas et potestas est immediate a Deo solo ». Haec verba significare possunt potestatem civilem adesse in ipso imperatore ex immediata collatione Dei per ordinationem positivam (seu a Deo tanquam auctore gratiae) quo sensu verba intendebat Ludovicus, suam potestatem aequiparando cum pontificali; aut possunt significare eam fuisse ita collatam secundum ordinationem naturae (seu immediate a Deo tanquam auctore naturae), quo sensu cum aliqua explicatione offeruntur in sententia recentiore, de qua postea.

Antesignanus autem qui primus philosophice eam defendit sententiam fuit (A. D. 1603-1625) Iacobus I, rex Angliae (haereticus) in suo opere denominato « Basilicon Doron », cuius sub-titulus est « Apologia pro Iuramento Fidelitatis et Epistola ad Principes Christianos ». Bellarminus auctoritatem regibus non immediate a Deo perinde ac Pontificibus concessam esse iam scripserat. (De Laicis, loc. cit.). Contra quod acriter invehit rex (vel quicunque pro ipso libellum scripserit) titulum regiae potestatis asserens esse ex iure divino positivo. Hoc autem fieri posse addit duplici modo, vel per specialem interventum voluntatis divinae omnia determinantis respectu auctoritatis eiusque subiecti, sicut asserit Deum fecisse in casu Sauli; vel vi divinae institutionis positivae et stabilis, quae non omnem hominum concursum (tanquam conditionem) in personarum regentium successione excludat, sicut habetur in casu electionis Barnabae Apostoli, et postea in Pontificum electione. Ast electio illa non est titulus potestatis ex rerum natura, neque tanquam conferens auctoritatem, sed in institutione positive a Deo facta determinatur talis electio tanquam conditio determinans subiectum cui Deo ex eadem institutione auctoritatem immediate confert. Ad suam sententiam sustentandam rex citat facta narrata in Vetere Testamento de regum designatione inter Israelitas, et in Novo Testamento de Barnabae electione, et deinde arguit ex difficultatibus, quas asserit esse insolubiles, in sententia naturalis et mediatae collationis divinae.

Haec sententia diu defensa fuit ab Universitate Oxoniensi in Anglia, in Germania immediate post reformationem a Protestantibus (excepto Grotio et Puffendorf), in Gallia a tempore Ludovici regis XIV, initialiter et prae-

cipue a Gallicanis, sed postea per aliquid temporis magis minusve a Catholicis in genere.

II. Ineunte seculo XIX De Haller (Cf. eius « Restauration de la Science Politique », « Restauration der Staatswissenschaft », « Ristaurazione della Scienza Politica ») ut malis in revolutione Gallica ex theoria Rousseauana profectis remedium afferret, et fundamentum aliquod inveniret securitatis iuris principum contra aggressionem popularem, novam edidit theoriam de titulo potestatis civilis, quam theoriam Taparelli emendavit et in serie argumentorum edita in periodico, « La Civiltà Cattolica » (Cf. seriem 2, vol. 11 et 12), evolvit atque in suo opere « Saggio Teoretico di Diritto Naturale » (Cf. Dissert. 2, cap. 9.) iterum protulit. Hanc sententiam cum minoribus aliquibus modificationibus respectivis defenderunt Solimani, Tongiorgi, Liberatore, Schiffini, Ferretti, Meyer, Cathrein, aliique plures Scholasticis recentiores. Ab initio eamdem sententiam Fénélon, De Maistre, De Bonald, plurimique in Germania iurisperiti Catholici susceperunt.

Substantialia huius sententiae principia ita declarari possunt. Quando societas in existentiam emergit, suprema auctoritas civilis immediate a Deo secundum legem naturalem confertur illi personae, sive physicae, sive morali, quae facto aliquo contingenti demonstratur habere praevalentem aptitudinem ad finem societatis pro omnibus procurandum. Hoc factum naturale, i. e. lege naturali sancitum, potest incidere in ordinario et connaturali decursu multiplicationis familiarum, et tunc per se illud factum (in sua specie constans et determinatum) manifestat rationi humanae personam lege naturali determinatam in concreto tanquam subiectum in illa societate cui Deus primo et immediate confert supremam super illam societatem au-

ctoritatem civilem. Huiusmodi factum praevalentis aptitudinis formaliter stat in iure aliquo praecedente, sicut in iure patriarchae in societate domestica late dicta, i. e. super accrescentes familias ex eadem stirpe, aut in eodem iure cum addito dominio territoriali super totum locum occupatum a familiis ex quibus emergit civitas, aut in iure victoriae iustae illius qui fortitudine et rei militaris peritia praeeminet, aut tandem in iure benefactoris qui suis dotibus intellectus et voluntatis plura multitudini beneficia in societate stabilienda impertiit. Factum tale sufficiens extra ordinarium decursum familiarum multiplicatarum potest etiam inveniri in consensu multitudinis, quando in nullo individuo prae ceteris praecedit ius aliquod praeferentiale, in quo casu consensus ille per accidens potest esse titulus legitimus. Ex his omnibus titulis legitimis plures simul in eodem individuo coexistere possunt. Subiecto ita determinato ius exclusivum et adaequatum auctoritatis supremae a Deo immediate per legem naturalem confertur sicut patrifamilias confertur auctoritas suprema in familia, cum hac tamen differentia, quod factum determinans subiectum supremae auctoritatis in familia unum idem semper est, natura nempe virilis in patrefamilias; in civitate autem factum determinativum multiplex est et variabile.

III. Recentius Zigliara diversam evolvit et defendit sententiam secundum quam subiectum auctoritatis civilis (etiam primum) per se determinatur electione sive directa sive indirecta ex parte constituentium civitatem, et deinde subiecto ita determinato Deus immediate confert auctoritatem, quominus haec sit per prius ullo modo in communitate, nisi forsan exigitive. (Cf. in vol. 3 eius « Summae Philosophicae », Ius Naturae, lib. 2, cap. 2, a. 3, n. 12).

Contra hos omnes stat sententia, quam in thesi defendimus, communis nempe sententia Scholasticorum ante seculum XIX, quae denominatur a Suaresio sententia antiqua, recepta, vera et necessaria. Summatim eius principia resumi hic possunt. Societas civilis est societas naturalis: provenit autem in concretam existentiam per consensum eorum qui eam stabiliunt seu civium eam in fieri constituentium. Auctoritas suprema est societati civili necessaria et proinde ex naturali resultantia in constituta societate civili invenitur, statim ac haec in concretam existentiam iuridicam provenit. Potestas illa est in genere immediate a Deo: in specie vero mediate a Deo, immediate a consentientibus civibus civitatis in facto esse. Est secundum se immediate a Deo; secundum autem subiectum, immediate a Deo secundum subiectum primarium, quod necessario est tota communitas qua talis; quoad vero secundaria subiecta est mediate a Deo et immediate in ultima sua analysi a civibus per consensum sive explicitum sive tacitum. In primario subiecto auctoritas est secundum ipsa iura potestatis sed tantum radicitus quoad eorum exercitium: in secundario autem subiecto est non modo secundum iura potestatis sed etiam formaliter quoad exercitium, et hoc ex determinatione et collatione ultimatim subiecti primarii. Item quando de facto deficit de novo subiectum secundarium sive per fas sive per nefas, tunc potestas determinandi novum subiectum secundarium ipsique auctoritatem (formaliter et quoad exercitium) conferendi penes totam communitatem est eo modo quo fuit ab initio constitutionis societatis illius. Conditiones essentiales, quibus subiecto secundario auctoritas confertur, determinantur ex necessariis exigentiis essentialis finis et naturae societatis civilis. Inter has conditiones essentiales est stabilitas determinationis

subiecti et stabilitas potestatis in ipso, quae exigitur ex ratione stabili quae societati essentialis est: accidentales autem conditiones collationis determinantur consensu conferentium: hinc communitas valide non potest auctoritatem semel datam revocare pro lubitu neque de novo limitare, sed manet concessa secundum conditiones ipsius collationis. Unde, licet dici possint principes a consensu civium pendere in fieri, in facto esse non pendent in iis quae sunt intra ambitum originalis potestatis collatae. Demum propositio « Gubernia suas potestates iustas derivant ex consensu eorum qui gubernantur » vera est non sensu Rousseauano, quasi hae potestates essent iura individualia subditorum simul in uno subiecto aggerata, sed sensu Suaresiano quod subiectum supremae auctoritatis civilis formaliter et quoad exercitium consideratae in aliqua communitate habet illa iura ex collatione immediata ipsius communitatis, quae etiam intra limites exigentiarum essentialium societatis civilis determinavit formam regiminis, distributionem et limitationes auctoritatis et modum successionis inter successiva subiecta auctoritatis; est enim consensus subditorum seu communitatis fons immediatus, sicut Deus est fons mediatus (respectu gubernii, seu subiecti auctoritatis formaliter et quoad exercitium consideratae) potestatis omnis iustae gubernativae.

Probatur A. — Per se et necessario primum subiectum naturale auctoritatis supremae in societate civili est ipsa communitas qua talis.

Arg. 1. — Illa persona, sive physica sive moralis, est subiectum cui per se, primo et necessario descendit per legem naturalem auctoritas civilis, cuius ex natura societatis primo et necessario est ius et officium procurandi finem societatis mediaque disponendi ad illum finem; atqui ex natura societatis ipsa communitas qua

in societatem civilem constituta est persona cuius primo et necessario est ius et officium finem societatis procurandi mediaque ad illum finem disponendi : ergo subiectum naturale cui per se, primo et necessario descendit per legem naturalem auctoritas civilis est ipsa communitas in societatem civilem constituta.

Ad Mai. — Qui ex natura rei naturalis (qualis est civitas, siquidem societas naturalis) ius habet, ex lege naturali habet, posita natura illius rei, seu immediate. Qui lege naturali ius ad finem habet et officium prosequendi illum et disponendi media ad illum, ex lege naturali habet omne iuridicum quod est essentiale ad efficax exercitium suae activitatis disponendi media ad illum finem, et quidem hoc habet per se, primo et necessario, quando ius et officium illud habet primo et necessario ex natura ipsius rei: atqui auctoritas civilis est iuridicum quid essentiale ad efficax exercitium activitatis in dispositione mediorum ad finem societatis civilis: ergo ex lege naturali per se, primo et necessario descendit auctoritas civilis illi subiecto cuius ex natura societatis civilis est primo et necessario ius et officium finem societatis procurandi mediaque ad illum disponendi.

Ad Min. — Ex definitione societatis et probatione naturalis ordinationis hominis ad finem societatis civilis et deinde ad ipsam societatem constat ipsam societatem, seu ipsam communitatem constitutam in societatem civilem primo et necessario habere ius et officium finem societatis procurandi et disponendi media in ordine ad illum.

N. B. Argumentum substantialiter invenitur in D. Thoma (1, 2, q. 90, a. 3, in corp.) obiter positum. Dicit enim, — « Lex proprie, primo et principaliter respicit ordinem ad bonum commune: ordinare autem aliquid

in bonum commune est vel totius multitudinis, vel alicuius gerentis vicem totius multitudinis: et ideo condere legem vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam quae totius multitudinis curam habet, quia et *in omnibus aliis ordinare in finem est eius cuius est proprie ille finis* ».

Arg. 2. — Ex natura societatis et proinde per se auctoritas civilis (per legem naturalem descendens), statim ac societas in existentiam concretam provenit, primo et necessario invenienda est aut in una persona, aut in pluribus determinatis, aut in omnibus distributive sumptis, aut in omnibus simul sumptis seu in communitate qua tali; atqui nequit inveniri in omnibus distributive sumptis, et deficit ratio iuridica cur primo inveniatur in una persona in societate prae ceteris, aut in pluribus determinatis prae ceteris omnibus: ergo ex natura societatis per se, primo et necessario invenitur in communitate qua tali.

Ad Mai. — Societas civilis, uti supra in alia thesi probavimus, in concretam provenit existentiam statim ac ex multitudine fit civium stabilis unio moralis per vinculum iuridicum civile oriens per consensum multitudinis in illum effectum iuridicum. Iam vero statim ac societas existit, auctoritas civilis in concreto existit, quia est societati civili essentialis; non potest autem concrete existere potestas nisi in persona concreta, et in societate civili considerari non potest nisi quadruplex persona supra indicata.

Ad Min. — Non in omnibus civibus distributive sumptis inveniri potest, quia hoc repugnat ipsi rationi cur exigatur auctoritas; ratio enim haec est efficax unificatio activitatis cooperativae in ordine ad bonum commune civile.

Non in una persona prae ceteris (et idem argumentum valet pro pluribus determinatis prae ceteris omnibus) est ratio iuridica seu naturalis titulus primae possessionis. Enimvero talis titulus debet esse aliquid ex ordinariis contingentibus humanae naturae quod reddit illam personam ad munus finem societatis pro civibus procurandi proportionatam realiter, evidenter et exclusive: atqui non datur tale quidquam in una persona prae aliis (neque in pluribus determinatis prae ceteris); ergo deficit ratio iuridica cur in illa persona primo inveniatur auctoritas civilis.

Ad Min. — Non datur quidquam tale exclusive in natura essentiali ullius neque inter eius iura congenita, quia quoad naturam essentialem et iura congenita homines non diversificantur; quaestio igitur erit de dotibus accidentalibus et de iuribus acquisitis.

Iam vero, licet in societate coniugali dotes quibus habetur proportio ad exercendam supremam auctoritatem in fine pro illa societate procurando realiter et evidenter inveniantur exclusive in mare prae femina connaturaliter seu ex ordinariis contingentibus humanae naturae, tamen quod realiter et evidenter inveniantur dotes accidentales, quibus homo ad munus finem societatis civilis pro civibus procurandi proportionem habet, exclusive in una persona prae ceteris, certissime non incidit ex ordinariis humanae naturae contingentibus.

Unde adversarii ponunt tantum materialem rationem tituli in tali dotum aptitudine et formalem rationem defendunt in superaddito iure aliquo praeeunte exclusivo quo talis persona proportionatur ad regimen civitatis. Attamen quodlibet exclusivum praeiens ius erit ius aut ex iustitia commutativa aut ius sociale domesticum, quia quoad iura ex iustitia legali omnes cives sunt aequales

antecedenter ad statutum subiectum auctoritatis civilis; nihil autem apparet in iure commutativo aut domestico quod evidenter et exclusive dat eius subiecto proportionem prae ceteris omnibus hominibus ad regimen civitatis, quum ius tale sit totaliter ad bonum privatum sive individuale sive domesticum, dum proportio iuridica ad regimen civitatis respicit essentialiter bonum publicum commune. Examinemus diversa talia iura quae, tanquam titulus naturalis ad ius regendi civitatem, ab adversariis afferuntur.

*a*) Quoad ius patriarchatus. Ius patriarchae incipit tanquam ius paternum quod ex naturali lege pater familias habet super suam familiam, nempe super suam uxorem et prolem *nondum adultam;* idem autem omnimode ius paternum habet quisque eius filius super suam familiam quando talem condit, et tum ipse tum omnis proles adulta patriarchae per se est a patriarcha independens. Deinde patriarcha incipit extendere suam potestatem super prolem adultam et super familias filiorum suorum: sed statim quaeritur quo titulo. Necessario respondetur nonnisi consensu prolis adultae et subsequentium patrumfamilias; nam nihil est in lege naturali obligans eos remanere sub dominio paternae potestatis. Unde excluso consensu communitatis nihil exclusivum est in iure iurisdictionis patriarchae, quum idem prorsus ius invenitur in omni patrefamilias, et cuilibet tali per eumdem consensum aliorum posset illa iurisdictio extendi non naturaliter sed conventionaliter super alias familias antecedenter ad efformationem societatis civilis. Quod si ita conventionaliter conceditur patrifamilias extensio potestatis super plures familias, notandum est primo, illud ius, totum quantum exclusivum est, esse ex consensu aliorum: et secundo illud esse ius essentialiter diversum a iure regiminis ci-

vilis, et non necessario sese transformasse in ius civile; sed e contrario, quum ius parentale fuerit ita extensum nonnisi consensu aliorum, ex analogia pronum est expectare, quando communitas consensu suo constituit sese in societatem civilem, subiectum regiminis civilis, etiamsi incideret in patriarcham, determinatum iri nonnisi consensu communitatis.

*b*) Quoad ius proprietatis territorialis. Ius proprietatis et ius iurisdictionis essentialiter differunt, et quum ius proprietatis sit ad bonum privatum et individuale domini, tantum abest ut eius praesentia sit ratio aptitudinis ad regimen civile, ut contrarium verum magis videatur, quum regimen civile essentialiter requirit ut exerceatur propter bonum commune. De facto in historia mundi domini territoriales communiter rexerunt, quando regimen civile sibi vindicaverint, praecise ob bonum suum proprium, ita ut subditi inquilini magis minusve communiter reducti sint in statum servitutis, vel saltem parilis miseriae. Quodsi dicatur dominium territoriale, si inveniatur in patriarcha, evitare illam difficultatem, eo quod patriarcha tum ex naturali tendentia tum ex officio naturali sit amaturus omnes suos progenitos et proinde acturus sit ex amore boni communis: respondetur hunc amorem omnium non esse exclusive in patriarcha, sed posse sufficienter adesse in suis proximis filiis, et id quod exclusivum supponitur, nempe ius proprietatis, non in se habere aptitudinem connaturalem ad titulum iurisdictionis; nam secus proprietarius alicuius domus haberet titulum iurisdictionis super inquilinos illius omnes, quod falsum est.

*c*) Quoad ius victoris in bello. Si bellum sit ex parte victoris iniustum, victoria nequit dici titulus ad ullum ius. Si vero iustum sit, victor iam habet expeditam po-

tentiam ut suum ius urgeat exigendi ex victis reparationem iniuriae aut damni ab his ipsi (vel potius ipsius societati civili) facti, itemque iacturae bonorum in bello necessitatae, et demum exigendi securitatem contra iteratam offensam. Iam vero haec omnia communiter a victore ex victis obtineri possunt sine assumptione regiminis super victos, et deinde haec assumptio iuste fieri nequit. Quod si admittatur per accidens casus in quo illa omnia obtineri aliter non possint, talis titulus esset perversio totius ideae regiminis civilis, siquidem in casu regimen esset ad bonum victoris, dum natura societatis requirat regimen esse ad bonum commune eorum qui reguntur, nempe populi victi in casu. Admittunt Suarez et Cardinalis Billot populum victum posse ita amittere ius ad suam autonomiam et posse iuste incorporari in societatem victoris, in quo casu facta pars fruitur iuribus huius societatis, et regimen in totius (partem novam includentis) bonum commune exerceri debet. Attamen etiam hoc fieri videtur consensu populi victi accipientis conditiones pacis, etiamsi populus inducatur ad consentiendum ex coactione iuste ceteroquin ipsi applicata. Quodsi non consentiat, in servitutem forsan redigi iuste posset, sed de facto non praestat illam cooperationem quae est civilis, neque videtur ligari vinculo illo sociali, etiamsi obligetur lege naturali ut consensu suo induat; nam qui prolem genuit ex virgine sub promissione matrimonii, vere per se obligatur consensu suo induere vinculum matrimoniale cum illa, et tamen sine suo consensu non factum est matrimonium, neque induitur vinculum illud sociale specificum.

*d*) Quoad beneficia facta ab aliquo sapientia et virtutibus eminenti. Exemplum habetur in casu communis periculi quando talis persona colligit simul discretas familias ad communem defensionem et assumit iurisdictio-

nem super eas et subsequenter super alias simul cum illis collectas in societatem civilem. Admittimus talia adiuncta posse incidere ubi nonnisi acceptatione talis personae in subiectum supremae auctoritatis civilis possit efficaciter statui societas civilis aut communis defensio haberi; in quo casu concedimus obligationem legis naturalis descendere super eas familias ut ita hic et nunc constituant societatem civilem et auctoritatem tribuant tali personae tanquam subiecto; sed obligatio consentiendi non est idem ac obligatio vinculi civiliter socialis. Violando igitur priorem obligationem familiae illae de facto non constituunt societatem civilem. Neque ius benefactoris ad gratitudinem est ius ad eas regendum neque ad eas non consentientes determinandum de facto in societatem civilem. Virgo quae a periculo et peccato servari per se non potest nisi ingrediendo matrimonium cum benevolo benefactore et protectore potest obligari ad tale matrimonium, sed sine eius consensu non fit matrimonium neque societas coniugalis.

*e*) Quoad electionem mere determinativam subiecti per se primi auctoritatis civilis. Primo negative respondemus dicendo argumentum quod affertur (Cf. Zigliara, Ius Naturae, lib. 2, c. 2, a. 3, n. XII) ab adversariis tantum probat talem consensum electivum, sive directum et explicitum, sive indirectum et implicitum, praerequiri ad subiectum permanens auctoritatis habendum, sed non demonstrat utrum illa electio requiratur tanquam solum conditio sine qua non, an tanquam causa conferens auctoritatem: neque apparet ulla ratio valida cur dicenda sit mera conditio, praesertim quum in ceteris determinationibus iuridicis naturalibus consensus hominis ingrediatur tanquam causa imponens officium aut conferens ius. Secundo positive respondemus: secundum illam sententiam

subiectum haberet titulum primigenium auctoritatis per multitudinis electionem factam aut ante societatem iuridice constitutam, aut post talem constitutionem, aut simul cum illa, quorum nullum dici potest.

Etenim ante societatem constitutam multitudo titulum auctoritatis concedere nequit, quum exigentia auctoritatis et proinde valor tituli subaudiat societatem iam constitutam: et quidem non datur specificum ius neque titulus ad medium necessarium ad specificum finem, ubi nondum datur specificum ius ad illum finem; multitudo vero nondum iuridice in societatem constituta nondum habet specificum ius ad finem societatis, et proinde neque ad auctoritatem (medium necessarium ad illum finem); et ideo neque adhuc dare potest iuridicum titulum ad illam auctoritatem. Quodsi dicatur subiectum primigenium non recipere auctoritatem nisi per electionem factam a multitudine post constitutam societatem, supponitur dari societas constituta sine auctoritate civili, quae est proprietas eius essentialis connaturaliter et immediate consequens naturam societatis existentis: hoc autem absonum est, neque ab ipsis adversariis admittitur. Demum si explicatio sit quod simul cum electione subiecti emergit societas in existentiam, reponimus primo: hanc explicationem supponere auctoritatem esse formam societatis, qualem eam non esse antea nos iterata vice iam demonstravimus; secundo, supponeretur societas in existentiam non provenire nisi natura prius determinetur accidens aliquod eius contingens (forma nempe regiminis) quod incongruum est asserere quum natura sua accidens contingens subaudiat illam naturam cui inhaereat: atque tertio addimus consensum civium in tali explicatione esse causam existentiae societatis, et tantum conditionem praesentiae auctoritatis in subiecto, sine ratione differen-

tiae, praesertim quum eodem modo influat in societatem constituendam (seu in praesentiam vinculi socialis in tota societate) et in praesentiam auctoritatis habendam in hoc vel illo subiecto permanenti.

Probatur II. — Consensu communitatis transit auctoritas in subiectum secundarium.

Arg. — Ius naturale a subiecto primario ad aliud subiectum non transit nisi consensu primarii aut praesente titulo potiore illius iuris in alio subiecto; atqui auctoritas suprema civilis est ius naturale, eius subiectum primarium est communitas qua talis, et in nullo alio datur potior titulus iuris auctoritatis: ergo nonnisi consensu communitatis qua talis transit auctoritas suprema civilis in aliud subiectum.

Maior per se constat.

Ad Min. — Auctoritas est ius naturale quia potestas necessaria ad societatem naturalem: communitas qua talis est primarium subiectum, uti iam probatum est in prima parte thesis: potior titulus iuris ad eam auctoritatem non invenitur in alio subiecto, ut constat ex secundo argumento primae partis. Notandum est nos admittere adiuncta posse incidere in quibus communitas lege naturali obligatur ad transferendum auctoritatem ad determinatum aliud subiectum, ubi nempe finis societatis obtineri per accidens non possit nisi in illo subiecto auctoritas ponatur: sed haec obligatio in communitate non constituit titulum iuridicum in illo determinato subiecto.

*Ad Difficultates.* — 1. Argumentum procedit de societate et auctoritate in abstracto; atqui ex abstracto non iure concluditur ad subiectum concretum in concreta societate: ergo iure non concludit argumentum datum.

℟. Dist. Mai.: in abstracto, i. e. habita abstractione a specifica regiminis forma in societate et proinde a

permanenti distributione auctoritatis formaliter et quoad exercitium consideratae, conceditur: abstractione habita a concreta existentia societatis in sua conditione connaturaliter initiali et substantiali, licet nondum specificata quoad formam regiminis, itemque ab auctoritate radicaliter et secundum virtutem considerata, negatur. Contradist. Min.: ex abstracto a concreta existentia societatis et ab auctoritate etiam radicaliter et secundum virtutem considerata iure non concluditur ad concretum subiectum auctoritatis, conceditur; ex abstracto solum a forma regiminis et ab auctoritate formaliter et secundum exercitium considerata iure non concluditur ad concretum subiectum auctoritatis, negatur.

2. Atqui argumentum procedit secundum abstractionem ab actuali existentia: et probatur. Argumentum procedit ex aequalitate individuorum in constitutione societatis: atqui individui homines non sunt aequales nisi in abstractione ab eorum actuali existentia: ergo argumentum procedit secundum talem abstractionem.

R. Negatur subsumptum: ad cuius probationem, Dist. Mai.: secundum aequalitatem physicam essentialem, et iuridicam in ratione iustitiae legalis, conceditur; secundum aequalitatem physicam accidentalem, et iuridicam in ratione iustitiae commutativae, negatur. Contradist. Min.: Nonnisi in abstracto sunt individui aequales secundum aequalitatem physicam accidentalem, et iuridicam in ratione iustitiae commutativae, conceditur; secundum aequalitatem physicam essentialem et iurIdicam in ratione iustitiae legalis, negatur.

3. Illa persona auctoritatis subiectum esse nequit, quae auctoritatem exercere nequit; atqui communitas qua talis auctoritatem civilem exercere nequit: ergo nequit esse auctoritatis subiectum.

℟. Dist. Mai.: Talis persona nequit esse subiectum auctoritatis radicaliter et secundum virtutem consideratae, negatur; nequit esse subiectum auctoritatis formaliter et secundum exercitium consideratae, transeat. Transmittitur Minor, et pariter distinguitur Consequens: Communitas nequit esse subiectum auctoritatis radicaliter et secundum virtutem, negatur: auctoritatis formaliter et secundum exercitium consideratae, transeat. Explicatur. Ratio transmissionis est quia absoluta democratia non est impossibilis et potest esse legitima forma regiminis: in absoluta autem democratia auctoritas est in communitate qua tali, etiam formaliter et quoad exercitium.

Enimvero si principium in quo fundatur difficultas universaliter verum esset, moriens accipere et statim alteri transferre nequiret potestatem quam de facto ipse nequit exercere; nequiret aegrotus incapax exercitii iuridicae suae potestatis eam alteri administrandam transferre; nimis autem evidens est, si per accidens tantum subiectum incapax est exercitii, non exinde ineptum est ad possidendam potestatem: immo etiamsi esset per se incapax exercitii non apparet repugnantia in hoc quod potestas primo sit in ipso cum obligatione eam transferendi consensu suo ad alium qui et potestatem et exercitium haberet.

4. Nequit eadem persona esse simul subiectum et subditus potestatis eiusdem; atqui communitas qua talis necessario et semper est subditus potestatis civilis; ergo nequit esse unquam eius subiectum.

℟. Nequit eadem persona secundum idem esse simul subiectum et subditus auctoritatis, conceditur; nequit secundum diversa, negatur. Contradistinguitur Min.: communitas qua talis secundum unam suam rationem personalitatis est subditus auctoritatis, conceditur; secun-

dum aliam omnem rationem est subditus, negatur. Explicatur. In communitate qua tali est duplex ratio personae, una personae moralis et publicae, et altera (prouti distinguitur a persona publica et auctoritativa) personarum physicarum privatarum: in ratione personae publicae potest esse subiectum auctoritatis dum simul sit in ratione personarum physicarum collective sumptarum subditus eiusdem auctoritatis. Ita, e. g. legislator individuus in corpore aliquo legislativo habet rationem personae publicae prout membrum illius corporis et ita est subiectum auctoritatis, dum simul habet rationem personae privatae tanquam membrum communitatis secundum quam potest simul esse subditus auctoritatis eiusdem legislativae.

5. Ex Encyclica « Diuturnum illud » (die 29 Iunii, 1881) Leonis XIII. — « Interest autem attendere hoc loco, eos, qui reipublicae praefuturi sint, posse in quibusdam causis voluntate iudicioque deligi multitudinis, non adversante neque repugnante doctrina catholica. Quo sane delectu designatur princeps, non conferuntur iura principatus; neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum ». Unde arguitur: Secundum documentum communitas auctoritatem non confert, neque imperium mandat; atqui qui neque auctoritatem confert neque imperium mandat, non est subiectum auctoritatis primum cuius consensu auctoritas ad principem transit; ergo communitas non est subiectum auctoritatis primum cuius consensu auctoritas ad principem transit.

℟. Conceditur textus documenti. Ad eius explicationem praemittuntur ea quae verba citata immediate in documento praecedunt. « *Recentiores* perplures, eorum vestigiis ingredientes qui sibi superiore seculo philosophorum nomen inscripserunt, omnem inquiunt potesta-

tem a populo esse; quare qui eam in civitate gerunt, ab iis non uti suam geri, sed ut a populo sibi mandatam, et hac quidem lege, ut populi ipsius voluntate, a quo mandata est, revocari possit. Ab his vero dissentiunt catholici homines, qui ius imperandi a Deo repetunt, velut a naturali principio ». Unde patet documentum reiicere doctrinam Rousseauanam, qui recentius a seculo superiore mutuatur secundum quam, — *a*) auctoritas *ad societatem* non devenit immediate a Deo sed, — *b*) ex iuribus individualibus constat, quae — *c*) tanquam iura principatus designato principi conferuntur et quidem — *d*) ita ut princeps ille sit mere mandatarius multitudinis, non habens collatam auctoritatem tanquam sibi propriam, neque eam exercens secundum iudicium et voluntatem suam: atque demum — *e*) commissa principi auctoritas manet revocabilis ad lubitum multitudinis. Pariter constat documentum non esse contra doctrinam Suaresii, quae antiqua est et a Catholicis communiter antiquitus defensa secundum quam, — *a*) auctoritas ad societatem immediate a Deo descendit; — *b*) non constat ex iuribus individualibus quae principi conferuntur: sed — *c*) est potestas distincta divina naturalis primo ipsi societati collata; *d*) principi transfertur tanquam sua et non quasi ipse esset mere multitudinis mandatarius; *e*) permanenter principi a communitate confertur et proinde non est revocabilis ad lubitum multitudinis.

Ad argumentum: distinguitur Mai.: secundum documentum communitas principi auctoritatem non confert sensu Rousseauano, i. e. tanquam congeriem iurium omnium individualium, neque principi imperium mandat tanquam mere mandatario multitudinis, conceditur; communitas principi auctoritatem non confert sensu Suaresiano, i. e. non transfert auctoritatem quae est potestas

divina naturalis distincta ab omnibus iuribus individualibus, neque confert imperium, i. e. principi non iuridice confert auctoritatem tanquam ipsi propriam et permanentem, negatur. Contradistinguitur Min.: qui auctoritatem non confert neque imperium transfert sensu Rousseauano, ille exinde non est primum subiectum auctoritatis cuius consensu etc., negatur; qui auctoritatem non transfert neque imperium confert sensu Suaresiano, ille exinde non est primum auctoritatis subiectum cuius consensu etc., conceditur. (Cf. Billot, loc. cit., pag. 23).

6. Ex Literis Pii X contra Le Sillon (die 25 Augusti, 1910). « Le Sillon auctoritatem publicam ponit primordialiter in populo, a quo deinde derivatur ad gubernia ». (Act. Ap. Sed., an. 1910, pag. 615 ad calc.). Unde arguitur: secundum documentum auctoritas non est primo in populo, a quo derivatur ad principem; atqui haec condemnatio est thesi contradictoria: ergo falsa est thesis.

℟. Ad textum: integer textus est — « Le Sillon auctoritatem publicam ponit primordialiter in populo, a quo deinde derivatur ad gubernia, tali quidem modo ut in illo residere persistat ». Ad huius explicationem praemittimus quaedam ex contextu. « Le Sillon auctoritatem non tollit; e contrario eam necessariam censet; sed eam distribuere vult, vel potius eam multiplicare eo modo ut quisque civis fiat quasi rex. Auctoritas quidem a Deo emanat, sed primordialiter in populo residet a quo derivatur electione seu potius selectione quin idcirco populum deserat et ab illo independens fiat; erit ipsa exterior, sed apparenter tantum; de facto enim interior erit, siquidem erit auctoritas quaedam consensualis ». (Ibid., p. 613 ad calcem). « Ceteroquin si populus possessor potestatem retinens manet, quid fit auctoritas? Umbra et

mythos ». (Ibid. p. 617 ad cap.). « Num doceri potest quod obedientia dignitati humanae contraria est et quod optimum est in eius loco substituere auctoritatem consensualem? » (Ibid., p. 617, infra med.).

Ex his patet doctrinam documento repudiatam esse doctrinam Rousseauanam secundum quam civitas est societas consensualis, auctoritas est prius in singulis individuis, et deinde constituitur princeps ut exerceat nomine omnium individuorum et secundum voluntatem omnium individuorum eam potestatem individuorum ita tamen ut remaneat illa potestas semper in ipsis individuis, et princeps nunquam possit independenter a voluntate populi facere quidquam.

Unde ad argumentum: distinguitur Mai.: secundum documentum auctoritas non est primordialiter in populo sensu Rousseauano, i. e. in individuis distributive sumptis tanquam identificata cum horum iuribus propriis, — a quo derivatur ad principem tanquam ad merum mandatarium multitudinis, quae tamen ita retineat illa iura ut eorum mandatum sit revocabile ad lubitum multitudinis, conceditur; secundum documentum auctoritas non est sensu Suaresiano, tanquam potestas nullo modo antecedenter in individuis, toti communitati qua societati civili iuridice constitutae collata immediate a Deo radicaliter et secundum virtutem, — cuius communitatis consensu principi permanenter transit formaliter et secundum exercitium et ita quidem ut non sit revocabilis ad lubitum, atque radicaliter in communitate maneat solum in quantum, deficiente omni legitimo subiecto formalis auctoritatis, penes communitatem iterum est determinare principem et ipsi auctoritatem formalem transferre, negatur. Contradist. Min.: condemnatio illa prout

negans sensum Rousseauanum est thesi contradictoria, negatur; condemnatio illa negative sumpta contra sensum Suaresianum est thesi contradictoria, conceditur.

**THESIS LIV. — Consensu stabili communitatis qua talis iuridice determinatur tum forma specifica regiminis tum legitimus titulus successionis in auctoritate suprema civili formaliter possidenda.**

Cf. Suarez, De Def. Fid. Cath., lib. 3, cap. 2, nn. 2, 5 et 14; Lessium, De Div. Perf., lib. 10, c. 2, n. 9; Costa-Rossetti, pag. 616 et pag. 692 seqq. (edit. altera, Oeniponte).

*St. Qu.* — Agitur in thesi de societate civili in specie (a qua praecisionem in prioribus thesibus fecimus) et de modo quo conservatur stabilitas speciei per determinationem subsecutivorum societatis rectorum.

Per communitatem qua talem iterum hic intendimus totam communitatem prouti est in societatem civilem iam constitutam, sed consideratur antecedenter, saltem natura si non tempore, ad determinatam societatis speciem secundum regimen. Per consensum communitatis pariter ac in praecedentibus intendimus liberam eius dispositionem vel acceptationem in collocatione auctoritatis, sive hic consensus sit explicitus et formalis, sive implicitus et virtualis, sive verbis, sive actibus, sive acquiescente actuum omissione manifestus, ac demum sive consensus omnium sit simul positus, sive gradatim singulis consentientibus tandem habeatur totius communitatis acceptatio.

Forma regiminis est modus stabilis quo auctoritas ab ipsius subiecto tum quoad iura tum quoad exercitium iuridice possidetur. Variatur ille modus in diversis socie-

tatibus actualibus et secundum illam variationem denominatur species auctoritativa societatis. Imprimis forma regiminis est aut simplex aut mixta.

Simplex est forma regiminis, ubi tota simul potestas suprema est in eodem subiecto sive singulari sive plurali: mixta est forma ubi suprema potestas sit simul partim in uno subiecto partim in altero, sed tota simul in nullo sive individuali sive plurali.

Formae simplices tres sunt, monarchia scilicet, aristocratia et democratia. Monarchia est forma regiminis secundum quam suprema potestas civilis sit tota simul in uno eodemque subiecto individuali. Aristocratia habetur quando suprema potestas tota simul est in determinato corpore seu coetu plurium (relative paucorum) ex civibus. Democratia habetur quando auctoritas suprema civilis formaliter et quoad exercitium est tota simul in omnibus civibus simul sumptis, seu in ipsa communitate qua tali tanquam in subiecto formali. Iam vero sicut rex in monarchia potest actuale regimen, seu exercitium suae auctoritatis, committere vice-regi aut alteri ministro tanquam suo delegato, quin cesset forma regiminis esse simpliciter monarchica, ita et rectores aristocratici suis officialibus et tota communitas democratica suis tanquam totius democratiae repraesentativis delegare possunt exercitium auctoritatis quin desinat esse forma regiminis respective aristocratica simpliciter aut democratica simpliciter. Itemque, licet subiectum auctoritatis eam exercere teneatur iuste, ob bonum commune publicum et secundum exigentias societatis civilis, interdum rex iniuste et arbitrarie eam exercet contra bonum publicum ad bonum suum privatum aut ad bonum commune aliquorum exclusis ceteris, in quo casu monarchia denominatur tyrannis et rex nuncupatur tyrannus; pariter aristocratia

nomen obtinet oligarchiae, quando abutitur auctoritate contra bonum publicum regendo arbitrarie et contra iustitiam. Quod si res similis fiat in democratia, ubi facillime fieri potest per oppressionem paucorum a reliqua multitudine factam, veteres scholastici huic regimini nomen democratiae tribuebant, reservando pro regimine democratico iuste administrato denominationem politiae aut reipublicae; sed decursu temporis politia fieri coepit nomen genericum pro quavis regiminis forma, ac respublica obtinuit sensum formae specificae regiminis mixti; ita democratia redempta est a suo priore sensu malevolo; unde nihil reliquitur quo denominari possit democratia prava et perversa, nisi tyrannis democratica.

Forma regiminis mixta potest esse mixta aut accidentaliter aut essentialiter. Accidentaliter mixta est si tota simul auctoritas suprema est in subiecto specifico sed non totaliter, i. e. si partes essentialiter integrantes auctoritatem supremam sunt omnes in illo subiecto, ita tamen ut participatio unius aut alterius partis sit simul in aliis. Partes essentialiter integrantes auctoritatem supremam sunt potestas legislativa, potestas executiva et potestas iudiciaria. Iam vero si omnes illae partes sunt in monarcha e. g., et tamen simul quoad aliquam materiam potestas legislativa est in coetu procerum aut etiam in populo, habetur monarchia accidentaliter mixta, quae denominatur monarchia moderata; hinc ad claritatem distinctionis monarchia simpliciter dicta nuncupatur monarchia absoluta. Pariter idem dicendum est de aristocratia et democratia. Essentialiter mixta est forma regiminis ubi partes essentialiter integrales auctoritatis sunt distributae inter diversa subiecta ita ut in nullo sit tota simul auctoritas secundum omnes illas partes. Distinguuntur quattuor diversae formae regiminis mixtae.

Prima forma mixta est partim monarchica, partim aristocratica, quatenus v. g. in una persona est potestas executiva et iudiciaria, in coetu autem procerum potestas legislativa.

Secunda forma mixta est ex monarchia et democratia, et habetur quando una ex tribus auctoritatis partibus est in tota communitate, aliae vero duae in uno individuo; ita forte erant sub forma consulari, ubi in consule videtur fuisse potestas executiva necnon iudiciaria, in populo autem potestas legislativa exercenda sive directe per ipsum populum sive per delegatos qui populum repraesentabant.

Tertia forma mixta est ex aristocratica et democratica, quando potestas simul sit in coetu procerum et in populo, sicut videtur fuisse tempore quo Roma Senatu Populoque Romano regebatur.

Quarta forma mixta est ex monarchica, aristocratica et democratica atque ita distribuit auctoritatem ut in una persona sit potestas executiva, in coetu uno determinato sit potestas suprema iudiciaria et in populo maneat potestas legislativa. Haec forma magis minusve denominatur forma constitutionalis, licet forma constitutionalis revera possit esse in monarchia moderata aut alia forma accidentaliter tantum mixta. Moderna forma quae denominatur respublica distribuit auctoritatem ita ut potestas executiva sit in una persona, potestas legislativa in duplice simul coetu plurium et potestas iudiciaria in alio quodam coetu sive distributive sive collective sumpto. Subiectum executivum eligitur a communitate sive directe sive indirecte et aut pro tota sua vita aut pro determinata annorum periodo. Una pars coetus legiferi eligitur directe a communitate tanquam repraesentativa eligentium; altera autem pars aut indirecte a communi-

tate eligitur aut alio modo nominatur quo ultimatim tamen aliquam dependentiam retineat a communitate pro sua existentia officiali. Iudices aut eliguntur a communitate aut magis communiter nominantur ab executivo simul cum approbante legislatura. Nullum autem ex his omnibus subiectis auctoritatis est merus populi mandatarius, sed unumquodque suam partem auctoritatis tanquam sibi propriam possidet, et dependentia a populo habetur solummodo per electionem pro determinata tem poris periodo. Unde constat in tali republica non esse proprie admixturam democratiae, quum populus non sit subiectum ullius partis auctoritatis formaliter. Recentissime urget aliqua tendentia politica ut subiecta auctoritatis in republica constitutionaliter fiant mere eligentium mandatarii, in quo casu forma esset democratica, sive simpliciter, si omnia subiecta auctoritatis sint mandatarii, sive secundum quid per mixturam democratiae, si tantum aliqua ex illis subiectis mandatarii fiant: sed ut huiusmodi forma sit legitima secundum exigentias auctoritatis, mandantes non possunt esse individui qua tales, sed debent esse tota communitas in qua tanquam in democratia auctoritas sit formaliter et quoad exercitium; mandantes tunc absolute loquendo possent delegare exercitium aliquibus repraesentativis.

Per formam specificam igitur in thesi intendimus quamvis ex supradictis formis simplicibus, et quamlibet ex enumeratis formis mixtis sive accidentaliter sive essentialiter. Generalis tendentia nostris temporibus est versus formam magis minusve constitutionalem; haec forma licet realiter constituitur ut supra descripta, etymologice denominatur ex constitutione seu lege fundamentali, seu formali et explicita determinatione formae regiminis ex consensu communitatis qua talis; haec vero lex

fundamentalis non est necessario scripta, sed potest esse traditione conservata, neque necessario tota simul facta est sed potest fieri gradatim, et quidem interdum in illa provisum est pro subsequentibus revisionibus quoad accidentalia. Secundum igitur etymologicam denominationem forma constitutionalis non est distincta species regiminis, quum quaevis specifica forma lege fundamentali seu constitutione stabiliri possit.

Successio iuridica seu ius successionis est respectu auctoritatis ius possidendi auctoritatem supremam civilem quam immediate praecedens subiectum iam amisit aut deposuit. Titulus successionis est factum quod determinat ut ius successionis adsit in aliqua persona vel personis determinatis prae ceteris omnibus tanquam in legitimo subiecto.

Huiusmodi titulus denominatur proximus et formalis, si in conditione iuris exstante, quando praecedens subiectum auctoritatem perdidit vel deposuit, factum illud statim determinat novum subiectum: erit titulus radicalis illud factum quod ab initiali existentia auctoritatis determinavit proximum et formalem titulum ad suam rationem tituli habendam. Proximus titulus multiplex esse potest, scilicet, vel haereditas naturalis secundum determinatos cognationis gradus, vel designatio a subiecto decedente facta, vel nominatio a coetu procerum habita, vel electio popularis: quaestio nostra est utrum detur factum aliquod originale quod dederit his titulis proximis suam formalem rationem tituli.

Quum vero auctoritas civilis sit ius naturale, evidens est titulum eius esse factum aliquod lege naturali approbatum. Deinde considerari potest utrum sit aliquod factum necessarium, independens nempe ab omni contingentia rerum humanarum (in quo casu titulus lege

naturali immediate determinaretur), an factum aliquod contingens: quodsi contingens, iterum considerari potest utrum illud factum contingens sit independens in sua ratione tituli a consensu communitatis an sit ipse consensus quod det rationem tituli titulo proximo et formali eo quod lex naturalis immediate determinaverit ut communitas qua talis haberet ius consensu suo determinandi titulum formalem. In thesi tenemus legem naturalem non determinasse immediate ullum titulum proximum et formalem successionis, sed posuisse penes ipsam societatem qua talem ius determinandi formalem titulum successionis, sicut penes eamdem reliquit potestatem determinandi specificam formam regiminis in societate concreta.

Attamen requirimus ut consensus ille sit stabiliter positus. Etenim neque forma regiminis neque titulus successionis est leviter aut ad populi lubitum mutabilis, siquidem natura societatis exigit determinationem utriusque, licet non perpetuo immutabilem, saltem aliquomodo permanentem. Per arbitrariam alterutrius mutationem turbatur stabilitas societatis et periclitatur pax eius et prosperitas.

Demum admittimus posse incidere adiuncta in quibus appareat impossibile attingere finem alicuius societatis sine una prae aliis formis regiminis aut sine uno prae aliis titulis proximis et formalibus successionis. In his adiunctis tenemus communitatem lege naturali obligari ut consensu suo eligat illam formam et illum titulum: attamen iuridice non habetur illa forma neque ille titulus nisi posito consensu et praecise vi eius iuridica.

Contra thesim sunt omnes ii qui contendunt omnem formam regiminis praeter democraticam, omnem titulum successionis praeter electionem popularem esse lege naturali prohibitam, seu solam democratiam esse legitimam

regiminis formam, solam electionem popularem esse legitimum titulum successionis. Item omnes qui doctrinam divini iuris regum universaliter defendunt, siquidem formam monarchicam, et quidem per se cum successione haereditaria, lege naturali vel saltem lege divina positiva praescriptam fuisse doceant. Demum omnes qui contra veteres Scholasticos arguunt societatem civilem per se habere suam concretam originem, suam concretam determinationem subiecti auctoritatis formaliter et secundum exercitium consideratae prorsus independenter a consensu communitatis qua talis: etenim in eorum sententia factum aliquod aliud contingens praeter consensum communitatis determinavit subiectum formale auctoritatis et determinavit primitus formam regiminis monarchicam esse ac titulum successionis esse vel naturalem haereditatem vel traditionem a primo subiecto formali factam.

Probatur. — De Forma Regiminis et de Titulo Successionis simul.

Arg. — Determinatio formae regiminis, et proximi tituli successionis in auctoritate formali, penes arbitrium seu consensum illius personae est cui lex naturalis tribuit potestatem determinandi formale subiectum auctoritatis: atqui lex naturalis communitati qua tali potestatem determinandi formale subiectum auctoritatis tribuit: ergo penes consensum communitatis est determinare formam regiminis et titulum proximum successionis.

Ad Mai. — Non potest determinari formale subiectum auctoritatis primum quin simul determinetur forma regiminis, neque subiectum successivum auctoritatis nisi determinetur titulus proximus successionis. Certo supponimus varias formas regiminis esse licitas, quod constat ex eo quod lex naturalis non exclusive determinat nisi ea quae ad finem societatis sunt moraliter necessaria:

nulla autem ex formis enumeratis in statu quaestionis, neque ullus ex titulis successionis enumeratis est moraliter necessarius ad finem societatis; hoc autem patet dupliciter: primo a posteriori eo quod in historia mundi finis societatis civilis fuit sufficienter effectus sub unaquaque ex enumeratis formis cum quolibet ex enumeratis successionis titulis; secundo a priori idem probari potest. Etenim ad formam regiminis quod attinet, finis societatis in distributione auctoritatis requirit tantum ut habeatur in regentibus intelligentia prudens et practica respectu finis et mediorum, voluntas recta et firma, firmaeque vires ad decreta voluntatis exsequenda cum sufficiente stabilitate in omnibus his requisitis; haec autem omnia inveniri possunt in regentibus sub unaquaque ex enumeratis regiminis formis: ergo unaquaeque ex illis proportionata est ad finem societatis efficiendum et proinde nulla ex illis est moraliter necessaria. Quoad titulum successionis proportio sufficiens in illo titulo habetur ex quo detur clara et prompta determinatio subiecti per se apti et in genere communitati acceptabilis; atqui in quolibet ex enumeratis titulis invenitur talis determinatio: ergo quilibet ex enumeratis titulis proportionatur et nullus ex illis est moraliter necessarius. Ceteroquin constat primum subiectum formale, utpote habens potestatem ex transmissione communitatis non habere nisi ex eiusdem consensu ius determinandi successivam transmissionem, quum hoc ulterius ius non requiratur ad suam administrationem societatis, neque exigatur ex natura societatis sive ad eius stabilitatem sive ad quamlibet aliam eius rationem necessariam.

Ad Min. — Haec praemissa iam probatur in praecedenti thesi.

# INDEX RERUM ALPHABETICUS

## A.

**Absolutae** — regiminis formae, 556.
**Absolutistae** — de fine societatis, 504.
**Accessio** — per incrementum, per specificationem, per unionem, eius ratio tituli, 406.
**Acquisitio** — dominii proprietatis: naturaliter licita neque exclusa essentialibus exigentiis societatis civilis, 351; eius titulus primigenius effectiva occupatio, labor titulus ad suos fructus et participare potest de effectiva occupatione, tituli derivativi traditio et successio haereditaria, 392, per testamentum, 397, ex intestato, 398; accessio, 406; praescriptio, 407; titulus civilis, 409; inaequalitas acquisitionis, 409; limites naturales in individuo, 410.
**Actio** — prout a motu distinguitur, 81.
**Actus Hominis** — quid, 7.
**Actus Humanus**, 7; — eius moralitas, 134; physice unus et moraliter duplex, 193; materialiter idem et formaliter diversus, 125; in statu termini beatitudinis, 162; imputabilis, 45; capax meriti et demeriti, 47.
**Actus Externus** — moralitati actus interni nihil per se addit, 194.
**Actus Indifferens** — in abstracto, in individuo, 197.
**Actus Moralis** — bonus et malus, 134, 136; intrinsece bonus et malus, 166; formaliter bonus et malus, 155; materialiter malus et simul formaliter bonus, 227 honestus, 157; malus quia prohibitus et prohibitus quia malus, 163.
**Actus Volontarius** — elicitus, multiplex, 11; imperatus, 13. *Vide* Voluntarium.
**Adulterium** — quid, et cur prohibetur, 433.
**Aequalitas** — in iustitia, 48, 234, 235; inter homines, 255, 548.
**Aequitas** — tribunal respectu legis naturalis, 450.

**Aeterna Lex** — *Vide* Lex Aeterna.
**Affectata** — ignorantia, 28.
**Affirmativa Lex** — obligat semper sed non pro semper, 242.
**Aggressor** — iustus, iniustus formaliter et materialiter, 302; defensio contra, per se licita, 301; per accidens interdum illicita, 309.
**Agrarius** — Socialismus, 357, 388.
**Ahrens** — de fine societatis, 504.
**Alienabile** — ius, 239.
**Alphonsus (S.)** — de actu indifferenti, 198.
**Amor** — generice, specifice, 11; benevolentiae in honore, 279, inter coniuges, 428; patriae in patrefamilias, 498.
**Anabaptistae** — pro Communismo, 356.
**Anarchistae** — de dominio proprietatis, 356.
**Animalia** — bruta iuribus non pollent, neque sunt termini officii, 144.
**Appetitus** — rationalis elicitus, 9; naturalis in beatitudinem, 70.
**Aristippus** — de regula morum, 170.
**Aristocratia** — regiminis forma, 555.
**Aristoteles** — de fine societatis, 503.
**Auctoritas** — socialis in genere, 417; cuilibet societati necessaria, 416; non forma societatis sed proprietas, 419; domestica, quoad educationem prolis in utroque parente, 440, suprema per se in patrefamilias, 459.
**Auctoritas Civilis** — definitur, 513; non forma societatis civilis, 514; in abstracto, in concreto, 515; in genere, 515; in specie, 515; quoad se, 515; quoad subiectum, 516; considerata radicaliter et quoad virtutem, 531; formaliter et quoad exercitium, 530; in genere et quoad se immediate a Deo, 513; in specie immediate a communitate qua tali, 554; quoad subiectum per se et necessario primum immediate a Deo quoad subiectum secundarium mediate a Deo, et immediate a com munitate qua tali, 527; subjectum per se et necessario primum ipsa communitas qua talis, 527; secundarium ultimatim determina tur a communitate qua tali, 527; subiectum non mandatarius populi sed minister Dei, 525; neque naturam auctoritatis mutare ne que eam e medio societatis tollere potest populus, 525; eius limites essentiales exigentiis societatis determinantur, 537; limites accidentales a communitate conferente determinari possunt, 538; eius partes essentialiter integrales, 556 eius formae specificae, 555, a communitate determinantur, 554; eius origo secundum De Haller, 535, secundum Iacobum I., Angliae

regem, 534, secundum Taparelli et sequaces, 535, secundum Zigliara, 536.
**Audacia** — passio, 34.
**Augustinus** (S.) — de mendacio, 327; de pace, 501.

## B

**Backofen** — de polyandria, 445.
**Bacon, F.** — de Communismo, 358.
**Bain** — de beatitudine, 69, de regula morum, 171.
**Beatitudo** — quid, 66; obiectiva, formalis, terminativa, perfecta, imperfecta, 67; obiectum perfectae Ipse Deus, 66; in genere, in specie, 68; perfecta constituit finem simpliciter ultimum intrinsecum hominis, 66; eius meritum est finis relative ultimus hominis, 73; perfecta non invenitur in hac vita terrestri, 72; sed in futura tanquam sanctio perfecta legis naturalis, 110; est accidentaliter variabilis, 114; moralitas humani actus antecedit eius meritum ad beatitudinem; 167; de beatitudine sententia Stoica, 68, Kantiana, 68, 78, Epicurei, Evolutionistarum, 69, Utilitariorum, 69, 169.
**Becanus** — de actu indifferenti, 198.
**Beccaria** — de materia societatis, 495.
**Beguardi** — de Communismo, 358.
**Bellarminus** — de actu indifferenti, 198; de origine auctoritatis civilis, 534.
**Bellum** — non parilis ratio belli et duelli, 323; belli iusti victoria non iuridice constituit societatem civilem, neque sufficiens titulus est ad auctoritatem civilem sine consensu communitatis, 491, 544.
**Beneficium Praepotentis** — qui ordinem publicum in multitudine constituit non est sufficiens titulus ad auctoritatem civilem sine consensu communitatis, 544.
**Bentham** — de beatitudine, 61, 171; de regula moralitatis, de origine iuris, 251; de suicidio, 291; de titulo primigenio dominii proprietatis, 398.
**Billot** — de malitia actus pravi, 154; de regula suprema moralitatis, 145, 156; de exclusivo dominio Dei super hominem in quantum homo, 156; de amissione civilis autonomiae per bellum, 544.
**Billuart** — de nece alterius nunquam necessaria ut *medium* defensionis, 307.
**Bluntschle** — de fine societatis, 504.
**Boethius** — de beatitudine, 66.

**Bonaventura (S.)** — de dispensatione legis naturalis, 126.

**Bonitas Moralis** — quasi species moralitatis, 137; stat in habitudine conformitatis ad regulam, 136; formaliter ultimatim ad legem aeternam, 140; proxime ad rectam rationem, 148; materialiter ad ideam Dei exemplarem, 141; fundamentaliter ad communem finem humanae vitae, 161; est in homine ultima perfectio actus liberi qua talis, 143; formaliter et primario de solo actu humano praedicatur, 135; ratio eius differentialis intrinseca stat in subordinatione exercitae libertatis humanae ad voluntatem Domini Supremi, 155; quomodo est perfectio in ipso homine, 159; non stat in ratione utili, nequidem ad beatitudinem, 167, 169; eius criterion subiectivum intellectus practicus, 208; eius criterion proximun obiectivum natura rationalis adaequate inspecta, 212; eius criterion adaequatum conscientia moralis, 219: est natura sua prius merito beatitudinis, 167; bonitas moralis obiectiva, 159; ex integra causa, 192.

**Bonum Morale** — et honestum, 157; et utile, 164, 167, 169; specifice hominis, 158.

**Brosnahan** — de educatione prolis, 436; de sententiis respective prolatis ab Hobbes, Rousseau et Evolutionistis circa originem societatis civilis, 473.

**Bruta Animalia** iuribus non pollent neque termini sunt officiorum, 244.

**Bucceroni** — de voluntario in causa orto ex voluntario indirecto, 19; de obligatione, 121.

## C.

**Caelibatus** — eius natura et excellentia, 432.

**Caietanus** — contra directam occisionem aggressoris, 304.

**Campanella** — de Communismo (in Civitate Solis), 358.

**Capitale** — quid, 347; eius proportio in divisione fructus agri, 389.

**Capitalis Poena** — ob crimina atrociora penes auctoritatem civilem, 524.

**Cartesius** — de suprema regula moralitatis, 179.

**Cassianus** — de mendacio, 329.

**Cathrein** — de regula suprema morum, 143; de regula proxima, 143, 159; de natura rationali adaequate inspecta, 213; de origine societatis civilis in concreto, 481; de subiecto primo auctoritatis civilis, 535; de obligatione, 118.

**Causa** — legis, 82; obligationis, 115; iuris, 246; officii, 250 societatis in genere, 413; societatis coniugalis in genere, in concreto, 424; societatis civilis causa materialis, 492; formalis non unio intentionalis voluntatum, 412, 419; neque auctoritas, 419, 514; sed vinculum morale et iuridicum, 412, 419, 461, 475, 481, 514; finalis, 499; efficiens, historice 477; efficiens iuridica in genere, 462, in concreto, 474, 424.

**Certitudo Prudentialis** — 220, 224; sufficit pro conscientia practica, etiam si haec sit obiective erronea, 219.

**Circumstantiae** — in genere naturae, in genere morum, 187; septem etiam in genere morum, 188; inter principia moralitatis, 184.

**Civilis Auctoritas** — *vide* Auctoritas.

**Civilis Libertas** — quid, 25.

**Civilis Societas** — eius causae, *vide* Causa; ejus pax, 501; prosperitas, 502; ejus auctoritas suprema, *vide* Auctoritas.

**Civilizatio** — quid, quomodo a prosperitate distinguitur, 503.

**Civiltà Cattolica** — de origine auctoritatis, 535.

**Civis** — quid, 494.

**Coactio** — quid, tollit voluntarium, 43; conditiones iusti exercitii, 260; non iuridice sufficiens ad societatem civilem in existentia ponendam, 485, 491; neque ex iusto bello sufficiens ad iuridice determinandum subiectum auctoritatis, 544.

**Coactivitas** — quid, 260; est proprietas iuris, 258.

**Collatio Auctoritatis** — in ipsa societate civili immediate a Deo, 513, 525; ipsi communitati qua tali tanquam subiecto immediate a Deo, 527, principi immediate a communitate, mediate a Deo 527.

**Collectivismus** — quid, 367; Socialisticus, Legalis, Voluntarius, 368; ad finem societatis civilis medium ineptum, 366.

**Collisio Iurium** — quid, 270; contradictionem non veram sed apparentem praestat, in qua ius potius praevalet, ratio autem potioris iuris diiudicanda ex comparatis elementis utriusque iuris, 270.

**Commune Dominium** — quid, 348.

**Communis Finis** — humanae vitae, 138, 499; regula fundamentalis actus moralis, 138

**Communismus** — in genere, negativus, 255; positivus, absolutus, moderatus, 356.

**Communitas** — civilis qua talis, 532, 554.

**Concupiscentia** — quid, non facultas sed actus, 33; in genere, in specie, antecedens, consequens, 34; actus, qui ex concupiscentiae actu procedit, 34; non tollit voluntarium, 33.

**Concupiscibiles Passiones** — quid, 33, quot, 34.

**Condignum** — meritum de condigno, 48, apud homines et apud Deum non univoce sed analogice, 50, eius capax est actus humanus, 47.

**Conditio Onerosa** — in merito naturali apud Deum, 51; cum dono vitae, 294.

**Congruum** — meritum de congruo, 48.

**Coniugalis Societas** — quid 421, 424, 423; ad eam homo lege naturali ordinatur, 424; est societas naturalis, 424, venit in existentia consensu coniugum, 424.

**Conscientia Moralis** — quid, non facultas (sicut conscientia psychologica) nisi virtualiter, neque habitus (sicut synderesis), sed formaliter actus, iudicium, conclusio syllogismi, 217, fundamentaliter stat in evidentia formali simul et materiali syllogismi, 217; est (sicut lex) praeceptiva, permissiva aut prohibitiva, 221; antecedens, consequens, 217; erronea, culpabiliter, 218, cum qua per se non licet agere, per accidens autem hic et nunc licet interdum si simul sit subiectiva certa, non tamen sine culpa in causa, 226; erronea inculpabiliter, 218, cum qua licet agere, 226; certa, 218; reflexe, 228, prudentialiter, 220, simul obiective erronea, 221; dubia, 218, 228; probabilis, 219, 222, 227; tenera, laxa, scrupulosa, 219; perplexa, 219, 229.

**Consensus** — quid in genere, 13; hominis ad beatitudinem quaerendam, 72; in effectum iuridicum, 423, 431, 481; coniugum causat matrimonium, 424, ad quod debet esse externus, mutuus, de praesenti et deliberatus, 423; nequit matrimonium solvere, 448, 453; causat existentiam societatis civilis, 474, ad quod potest esse aut formalis et explicitus, aut virtualis et implicitus, tacitus sive actibus sive actuum omissione, directus aut indirectus, 478; non est pactum Rousseauanum, 478; neque pactum Puffendorf, 479; neque est consensu societas coniugalis solubilis, 448, neque societas civilis ad lubitum populi, 486; consensus constituentium non includit consensum succedentium generationum sed hae ligantur alio titulo, 488; consensus communitatis qua talis determinat subiectum secundarium auctoritatis, 527; qualis consensus ad hanc determinationem requiritur, 532; consensu nequeunt determinari conditiones et limites essentiales auctoritatis, 537, sed possunt accidentales, 538; consensu non mandantur iura individualia constituentium, neque ipsa auctoritas, sed vere transfertur subiecto auctoritas immediate a Deo collata communitati qua tali, 551, 552; consensu communitatis determinantur forma regiminis et

titulus successionis, 554, sed stabiliter ita ut non sint ad lubitum mutabiles, 560 ; consensus ligans secundum iustitiam legalem, 487; sine consensu socialiter ligantur proles, 498, et membrum natum in societate civili, 488.

**Consilium** — praeiens electioni, 12.

**Constituentes** — societatem in fieri quid, 477; eorum consensu causat existentiam societatis civilis in concreto 474; sed non includit consensum successorum, qui tamen alio titulo ligantur, 486.

**Constitutionalis Forma Regiminis** — quid, 557, 558.

**Contemptus** — ius ad honorem laedit, 317.

**Contractus** — in genere, 397; matrimonialis, 421; permanens ex natura societatis in genere, 422; insolubilis ex natura societatis coniugalis, 424; ligans secundum justitiam commutativam, secundum iustitiam legalem, 487 ; socialis defensus ab Hobbes, 467, 520, Locke, 520, Rousseau, 469, 520, Puffendorf, 479.

**Contumelia Creatoris** — in re matrimoniali, 456.

**Cooperatio** — in actum alterius, 47; socialis, 413.

**Corporatio** — unius solius personae, 412.

**Corpus Humanum** — cum corpore morali analogum, 419; sed deficit paritas, 503.

**Costa-Rossetti** — passim; de definitione mendacii, 326.

**Creatio** — eius finis simpliciter ultimus « cui » et « qui », 58 ; relative ultimus 74, 163.

**Crimina Atrociora** — poena capitali iure puniuntur, 524.

**Criterion** — in genere, subiectivum, obiectivum, 208; moralitatis subiectivum intellectus practicus, 208, obiectivum natura rationalis adaequate inspecta, 212, adaequatum conscientia moralis, 219.

**Cultura** — non regula moralitatis, 172; neque finis hominis, 80.

**Cultus** — in genere, 278; principium, terminus, primarius, secundarius, 279; divinus, 279; indirectus, directus, internus et externus, in abstracto, in concreto, 280 ; uterque Deo exhibendus, 278 ; privatus, publicus, individualis, socialis, 281; falsae theoriae de cultu divino, 281.

## D

**Damnatio Aeterna** — seu perpetuitas poenae in amissa beatitudine, 111.

**Damnum** — in genere, ab iniuria et offensa distinctum, 259; cum iniuria, et sine iniuria, 312 ; damnum reparandi potestas, 258 ; damnum inflictum in exercitio iusto coactivitatis, 261.

**Debitum** — iustitiae, 48, 116; ex lege in omni officio, 244; in Deo non ex lege sed ex necessitate naturae, 55.
**De Bonald** — de origine auctoritatis civilis, 535.
**De Condillac** — de beatitudine et regula morum, 170.
**Defensio** — iuris, 260, 302; per vim physicam, 258; vitae contra iniustum aggressorem, 301, servato tamen moderamine inculpatae tutelae, 303; nex alterius ut medium defensionis, 304; defensio sui est ius sed per se non officium, 303; defensio alterius, 309; bonorum cum nece alterius, 310; honoris aut famae per duellum non est licita 314.
**De Haller** — de causa societatis civilis in concreto, 481; de fine societatis civilis, 505; de origine et subiecto auctoritatis, 535.
**De la Mettrie** — de beatitudine et regula morum, 170.
**Deliberatum** — in genere, 25; perfectum et imperfectum, 26; essentiale actui humano, 7; specialiter requisitum in consensu matrimoniali, 423.
**De Lugo** — de directa occisione aggressoris injusti, 305.
**De Maistre** — de origine auctoritatis civilis, 535.
**Demeritum** — in genere, 47; eius conditiones, 52.
**Democratia** — forma regiminis, 555; absoluta, moderata, 556; sensu invidioso, 556; non sola forma legitima, 560.
**De Savigny** — de origine iuris, 252.
**Desiderium** — passio, 33; voluntatis, 11.
**Designatio** — subiecti auctoritatis pertinet ad ipsam communitatem cui tamen auctoritas non confertur secundum Zigliara, 536; sententia illa reiicitur, 545; designatio principis non confert iura principatus sensu Rousseauano, 552, 553.
**Desperatio** — passio, 34; voluntatis, 12.
**Detractio** — ius ad honorem laedit, 317.
**De Volney** — de beatitudine et regula morum, 170.
**Deus** — Creator omnium, 58; in creatione liber, 89, 142; necessitate consequenti necessitatus ad finem, 60, ad legem aeternam ponendam, 90, ad legem naturalem homini imprimendam, 97, 142, ad sanctionem legi naturali addendam, 105, et ad meritum praemiandum, 47, 53; necessitas autem venit non ab extra sed ex Dei natura, 47, 49; creavit non ad bonum acquirendum sed communicandum, 63, sed simul ut bonum extrinsecum Ipsi referatur, 59 Ipse est finis « cui » creationis, et Ipsius gloria externa est finis « qui », 58, formalis quidem gloria in creatione hominis, in creatione autem entium irrationalium directe gloria obiectiva, indirecte

vero formalis, 63, 64; Ipse est obiectum necessarium beatitudinis, quae est finis hominis, 66, ab homine cognoscendum et amandum, 71; omnis creatura est instrumentum Dei ad finem efficiendum, 63; generale Dei propositum in mundo efficiendum seu communis finis ab Ipso intentus in mundo efficiendus, 74, 163. Est Dominus Supremus et absolutus, tum iurisdictionis, 277, 282, tum proprietatis, 350; omne dominium humanum participatum et a Deo dependens, 350; homo est Dei servus, 282. Deus est exclusive Dominus super hominem in quantum homo, 145, 156. Lex Dei aeterna 81, ad cuius promulgationem sufficit decretum voluntatis, 84, 87; signa rationis in Deo distinguenda antecedenter ad legem aeternam, 89; eius fundamentum, 161. Lex Dei naturalis, 94; eius fundamentum, 165; necessario sancita, 105, perfecte, 108; sanctio perfecta stat in Ipso possidendo aut amittendo, 108; hanc legem Deus mutare non potest, 123, et proinde proprie non dispensavit de ea sive sub Testamento Veteri sive sub Novo, 130 sqq., 447, 455. Deus est primum principium obligationis, 115; violans legem facit offensam et quidem personalem contra Deum, 116; vindicta ob legem naturalem non repugnat Dei bonitati, 112; existentia Dei nisi praecognita supponatur, primum legis naturalis praeceptum qua tale non cognoscitur, 292. Lex Dei aeterna moralitatis regula suprema, 140; communis finis humanae vitae a Deo intentus moralitatis regula fundamentalis, 161, 165; Dei natura quomodo est aliquid absolute primum respectu regulae supremae moralitatis, 142, 144; actus morales qui respiciunt directe ipsum Deum, 103. Mereri de condigno apud Deum homo potest, 45; hoc meritum non univocum sed analogicum cum merito apud hominem, 50. Iustitia inter hominem et Deum, 49; non perfecta, non secundum aequalitatem naturalem sed ex condicto ob conditionem onerosam, 49; non commutativa sed solum distributiva, 50; debitum eius non ex lege, sed ex necessitate naturae Dei, 55. Deus primum principium iuris et officii, 246. Cultu tum interno tum externo, privato et publico colendus, 278, 285. Deus mentiri non potest, 332. Est auctor matrimonii et societatis domesticae sensu quod eius naturam determinavit, 424; auctoritate sua positiva Deus matrimonium solvere potest, 449; et solvit, 455. Est auctor societatis civilis sensu quod determinavit eius naturam, 467; tanquam Auctor naturae immediate confert in societate civili auctoritatem, 513, et quidem communitati qua tali tanquam subiecto primo, 527, unde subiecto secundario seu principi confert non immediate sive per legem po-

sitivam, 534, sive per legem naturalem, 536, 545, sed mediate, mediante communitate, 528. Homini dominium directum super suam vitam non contulit, 299, neque homini privato dominium super vitam alterius nisi in casu iniustae aggressionis proportionatae, 298, 301. Dei Salvatoris ius involvitur in secreto sacramentali, 336.

**Dictamen Rationis** — in genere, 149; regula practica hominis, 155; quomodo cognoscibilis, 202.

**Diderot** — de beatitudine et regula morum, 170.

**Dispensatio** — legis aeternae non datur, 92; legis naturalis non datur, 125.

**Distributio Bonorum** — cur inaequalis, 409; quomodo inaequalitas provenit, 378, 409.

**Distributiva Iustitia** — definitur, 235.

**Dissimulatio** — quid, 342.

« **Diuturnum Illud** » — Leonis XIII (d. 29 Iun. 1881) pronuntiat contra sententiam Rousseauanam, sed non contra sententiam Scholasticam de origine auctoritatis, 550.

**Divortium** — in genere, imperfectum, 448, perfectum, 449; perfectum homini vetatur lege naturali, 448; sed interdum fieri potest, lege divina positiva, 449, et de facto datur, 445,

**Docendi Libertas Arbitraria** — contra legem naturalem, 343; et lege positiva restringi debet, 344.

**Dolor** — passio, 34.

**Domestica Societas** — in genere, 421; eius stadia naturalia, 421; eius caput, 459.

**Dominium** — in genere, 345; absololutum Dei, 277, 282, 350; participatum hominis a Deo dependens, 350; Dei exclusivum super hominem in quantum homo, 145, 156; Altum, 378; directum super vitam humanam, 288; iurisdictionis, in genere, 237 (*vide* Auctoritatem); proprietatis in genere, perfectum, 345, imperfectum, directum, indirectum seu utile, 349, stabile, transitorium, 349, individuale, commune, privatum, publicum, 348; privatum est ius naturale acquisitum, neque repugnat exigentis societatis civilis, 351; eius limites naturales, 410; diversi errores circa illud, 355 sqq., 368, 369; dominium Collectivismi ineptum medium ad finem societatis civilis, 366, non obstantibus argumentis ex Marx, 381, pseudo-historicis, 388, Riccardo, 389, et George, 390. Titulus naturalis primigenius dominii est occupatio effectiva, de qua participare potest labor, tituli derivativi traditio et successio haereditaria, 392; accessio ut titulus, 406; praescriptio, 407; titulus civilis, 419.

**Dominus** — simpliciter prout distinguitur a proprietario, usurario et usufructario, 349; Supremus et absolutus Deus, 277, 282, 350.
**Dubia Lex** — non obligat, 223.
**Dubia Conscientia** — in genere, 218; non obligat neque secundum ipsam agere licet, 223; si stricte dubia, quid agendum, 228; si dubia sed probabilis, convertenda est in reflexe certam, 228; quandonam pars tutior est sequenda, 228.
**Duellum** — in genere, 314; quotuplex, 315; ex privata auctoritate et privata causa, etiam causa honoris, lege naturali vetatur, 314.

## E

**Ecclesia** — eius ius circa educationem prolis, 440; circa matrimonium, 423; dissolvendi matrimonium ratum et non consummatum, 458.
**Educatio Prolis** — in genere, activa, passiva, 434; partialis finis matrimonii, 442; stabilitatem matrimonii postulat, 429: officium per se parentum, 436, 440; qui per alios illud implere possunt, 436; parentes ad eam habent ius exigendi subsidia ex Statu, 436: per accidens interdum et in aliquibus potest esse officium Status, 437; quomodo cadit sub officio et iure Ecclesiae, 440: Liberales et Communistae de educatione, 437.
**Effectus** — per se et per accidens, quomodo voluntarius, 16.
**Effectus Iuridicus** — in genere 475; matrimonium est effectus iuridicus, 431; itemque societas civilis, 481.
**Electio** — actus voluntatis, 13; subiecti auctoritatis civilis, 536, 545, 550, 560.
**Elicitus** — actus voluntatis, 11; appetitus, 10; appetitus rationalis, 9.
**Encyclopedistae** — de moratitate et beatitudine, 170.
**Epicurus** — de beatitudine, 69; de regula morum, 170.
**Epikeia** — in lege naturali non datur, 133.
**Erronea Conscientia** — in genere, culpabiliter, inculpabiliter, 218: quomodo est regula agendi, 226.
**Ethica** — definitur, 1; de obiecto eius materiali, 7; formali, 134,
**Ethicum Officium** — seu officium pure morale et non iuridicum, 241.
**Eudaimonia**, — quid, 170.
**Evolutionistae** — de beatitudine, 61; de regula morum, 171; de obligatione morali, 119; de origine iuris, 247; de origine societatis civilis et auctoritatis 463, 520, 472; de fine societatis civilis, 505.

**Executiva Potestas** — pars essentialiter integralis auctoritatis civilis supremae, 556.
**Exigentia Moralis** — fundamentum necessitatis moralis, 47.
**Expressum Volontarium** — quid, 20.

## F

**Facultas** — cognoscitiva actuum moralium, 209.
**Falsiloquium** — definitur, 325; secundum Grotianos recentiores, 328.
**Fama** — definitur, 316; ius ad famam, laesio huius iuris, ius non defendendum aut reparandum duello, 317.
**Familia** — quid, 421; per se proxima materia est societatis civilis, 492; ad eam homo ordinatur per prius quam ad societatem civilem, 496; eius membra participant de eius iuribus civilibus, 501.
**Fenelon** — de Communismo (in Telemaque), 358; de origine auctoritatis civilis, 535.
**Ferguson** — de titulo primigenio dominii proprietatis, 398.
**Ferretti** — passim.
**Fidelitas** — simul cum iustitia necessitans praemium meriti naturalis apud Deum, 52, 54.
**Filius** — emancipatus per adultam aetatem habet super suam propriam familiam auctoritatem eamdem quam patriarcha super suam habet, 542.
**Finis** — in genere, 58, quotuplex, 58, 59; Dei Creantis ( « cui » Ipse Deus, « qui » Ipsius gloria externa), 58; hominis ultimus simpliciter « qui » intrinsecus, beatitudo (cuius obiectum Deus est), 66; relative ultimus « qui » intrinsecus est meritum beatitudinis, extrinsecus efficere gloriam Dei in terris, 73; hominis finis efficiendus, 77; formalis diversitas et obiectiva identitas inter finem hominis simpliciter ultimum intrinsecum et extrinsecum, 72; communis finis humanae vitae est regula fundamentalis morum, 161; quomodo finis est principium moralitatis in actu humano, 184, 186; non iustificat media, 195; societatis in genere, 413; societatis coniugalis, 422, 426; societatis civilis tum ultimus tum proximus, 499 sqq.
**Foenus** — capitalis in divisione fructuum agri culti, 389.
**Forma** — societatis in genere, 413, 419; societatis civilis, 514; regiminis, 554, simplex, mixta essentialiter et accidentaliter, multiplex, 555 sqq.; constitutionalis, 558 determinatur consensu communitatis qua talis, 554.

**Fraticelli** — pro Communismo, 358.
**Fuga** — actus voluntatis, 12; actus appetitus sensitivi (horror), 34.
**Fundamentum** — necessitatis est exigentia, 47; gloriae formalis, 60; moralitatis in genere, 57; legis aeternae, 161; quomodo natura divina ultimatim ingreditur ut fundamentum in legem aeternam et moralitatem, 142; moralitatis formalis, 161; iuris, 238; officii, 242; fundamentum in natura fortior est titulus iuris quam fundamentum in actu contingente, 272.

## G

**Gall** — de sensu morali et eius organo cerebrali, 209.
**Gaudium** — actus voluntatis, 11.
**Generatio Hominis** — definitur, 422; est partialis finis matrimonii, 422, 426; est fundamentum officii educandi, 438; extra matrimonium est contra legem naturalem, 429, 433; impeditur a polyandria, 445.
**George, Henry** — de Socialismo Agrario, 379, 390, 399.
**Gloria** — in genere, 59; interna, externa, 60, 65; formalis, obiectiva, 60; externa Dei est finis « qui » Dei creantis, 58; ex homine intenditur gloria formalis, ex irrationalibus directe obiectiva, indirecte etiam formalis, 63.
**Gnostici** — pro Communismo, 358.
**Grotius** — de mendacio, 327; de titulo primigenio dominii proprietatis, 398; de origine auctoritatis civilis, 534.
**Gubernandae Res** — quid, 81; earum ratio in mente Divina, lex aeterna, 81.
**Gubernare** — definitur, 81.
**Gumplowicz** — de polyandria, 445.

## H

**Habituale Voluntarium** — ex habituali intentione, 20; sufficit in ratione intentionis necessariae ad actum moraliter bonum, sed non requiritur nisi in eo sensu habituali quem S. Thomas in praesenti materia sumit et quem Suarez denominat interpretativum, 199.
**Habitudo** — quid, 137; moralitas stat in habitudine, 137, praedicamentali et reali, 138; huius habitudinis subiectum est actus humanus, 138, terminus est formalis regula moralitatis, 140, fundamentum sunt obiectum, finis et circumstantiae, 183, 184.

**Habitus** — quomodo influit in volontarium, 44.
**Hartley** — de beatitudine, 69; de regula morum, 171.
**Hartmann** — de beatitudine et regula morum, 172.
**Hedonistae** — de felicitate et regula morum, 170.
**Hegel** — de fine societatis civilis, 504; Hegeliana Schola de regula morum, 179.
**Helvetius** — de felicitate et regula morum, 170.
**Hemsterhuis** — de sensu morali, 209.
**Herbart** — de seusu morali, 209.
**Hereditaria Successio** — in genere, 397; titulus derivativus dominii proprietatis, 379, auctoritatis civilis, 559.
**Herilis Societas** — complementum societatis coniugalis et parentalis in ultima integratione societatis domesticae, 421.
**Hobbes** — de regula moralitatis, 170, 171, 179; de natura et principio iuris, 247, 251; de titulo primigenio dominii proprietatis, 398; de origine societatis civilis eiusque auctoritatis, 463, 467, 520.
**Holbach, Baron von** — de beatitudine et regula morum, 170.
**Homo** — essentialiter et absolute Dei servus, 282; divinum instrumentum liberum ad finem Dei creantis, 63; in quantum homo, voluntati soli divinae subiicitur, 145, 156; non est medium ad bonum societatis civilis aut humanae naturae, 510.
**Honestum** — et bonum morale quo sensu idem, quo sensu diversa, 157.
**Honor** — quid, 278, 316; ius ad honorem, laesio huius iuris, 317; neque defendendus neque reparandus per duellum, 314; neque causa honoris praecise et formaliter qua talis licitum est nationi initiare bellum 323.
**Hugo Victorinus** — definitio matrimonii in fieri, 423.
**Humanus Actus** — *vide* Actus Humanus.
**Humanitarii** — de cultu religioso, 281.
**Hume** — de suicidio, 291.
**Hutcheson** — de sensu morali, 209.

## I

**Iacobi** — de sensu morali, 209.
**Iacobus, Rex Angliae** — de origine auctoritatis civilis, 534.
**Ignorantia** — in genere, iuris, facti, 27; invincibilis physice aut moraliter, vincibilis, affectata, simplex, supina seu crassa, 28; an-

tecedens, consequens, concomitans, 32; influxus eius in voluntarium, 29; invincibilis tollit, vincibilis non tollit voluntarium, 27; invincibilis non datur quoad praecepta communia legis naturalis, 203, licet de particularibus dari possit, 205.

**Immobilia Bona** — materia dominii proprietatis, 347, 351.

**Immutabilitas Legis Naturalis** — definitur et statuitur, 123.

**Imperatus Actus** — definitur, 12.

**Imperium Voluntatis** — super inferiores facultates suas, reflexum, directum, 14; non proprie imperium, 13; politicum, despoticum, 15.

**Imputabilitas** — actus humani, 13; eius fundamentum, causae eam modificantes, in cooperatione cum actibus aliorum, 47.

**Inalienabile Ius** — quid et cur tale, 238.

**Inclinationes Naturales** — *vide* Tendentia.

**Indifferentia Moralis** — humani actus in abstracto, in concreto, 197.

**Individualismus** — exaggeratio, causa malorum socialium, 378.

**Infans** — subiectum iuris, 239; sed nondum officii, 243.

**Infinitum Bonum** — obiectum beatitudinis, 71.

**In Individuo** — actus liber non est moraliter indifferens, 197.

**Iniuria** — definitur, distinguitur ab offensa et damno, 240; in fieri, in facto esse, 259; compensatur reparatione, 259.

**Inobedientia** — legi aeternae praestita moraliter mala est propter repugnantiam cum ipsa illa lege, 146.

**Integrales Partes Auctoritatis Civilis Supremae** — potestas legifera, potestas iudiciaria et potestas executiva, 556.

**Intensitas Voluntarii** — augetur per concupiscentiam antecedentem, 37; per accidens etiam per actum externum, 194.

**Intentio** — actualis formaliter et virtualiter, virtualis, habitualis, interpretativa, 20; habitualis non requiritur sed sufficit interpretativa in ratione intentionis necessariae ad actum moraliter bonum, 199.

**Interpretativum Voluntarium** — ex intentione interpretativa, 20; sufficit ad actum moraliter bonum in ratione intentionis necessariae, 199.

**Invincibilis Ignorantia** — in genere, physice, moraliter, 27; tollit voluntarium, 27; non datur respectu praeceptorum communium legis naturalis, 203, licet dari possit respectu particularium, 205.

**Involuntarium** — in genere, 11; simpliciter, secundum quid, 39; actus ex metu gravi positus regulariter est involuntarius secundum quid, licet per se loquendo est voluntarius simpliciter, 38.

**Ira** — passio, 34.

**Irascibiles Passiones** — quaenam, 34.

**Irritum** — seu invalidum reddere est unus ex effectibus legis, 93; irritum reddit lex naturalis matrimonium plurale, 444.

**Iudiciaria Potestas** — pars essentialiter integralis auctoritatis civilis supremae, 556.

**Iuridicum Officium** — definitur, 241.

**Iuridicus Ordo** — socialis, 354; civilis, 500.

**Iurisdictio** — improprie dicta, proprie dicta, perfecta, imperfecta, iurisdictionis dominium, 237.

**Ius** — sensu legis, sensu iusti, 233; sensu potestatis moralis, 237; iuris principium in genere, 237; in concreto principiatur a lege et ultimatim a lege aeterna, 246; ratione principii ius distinguitur in naturale, positivum, divinum, humanum, civile, canonicum, 237; materia in genere, 237; ratione materiae distinguitur ius iurisdictionis, propriae et impropriae, proprietatis, impropriae et propriae, ad rem et in re, 237; titulus in genere, 238; ratione tituli distinguitur ius congenitum, acquisitum, 238, 351, ius exercitii liberi et necessarii, ius alienabile et inalienabile, 238; iuris subiectum in genere, 239; ratione subiecti ius dividitur in ius individuale, commune, privatum, publicum et sociale, 239; iuris terminus in genere, 239; ratione termini ius est aut individuale, commune, privatum, publicum aut sociale, 240; ius perfectum et imperfectum, 240; iuris coactivitas, 258; ius et officium num simul natura aut cognitione, 250; iura naturalia dantur, 251; iuris limites in genere, prout exstantes propter officium ethicum in subiecto vel propter officium iuridicum, 267; determinantur lege unde provenit ius, 268; iurium contradictio vera non datur, 270; in iurium collisione praevalet ius potius, cuius ratio quomodo iudicanda, 270. Ius ad honorem, 216, ad famam, 217, laesio utriusque; huiusque reparatio, 217. Ius circa bona materialia externa, *vide* Dominium Proprietatis. Ius Dei, 246; ius divinum regum, 533. Ius prolis educandae in parentibus, 440, in Ecclesia, et per accidens quoad aliqua in Statu, 441. Iura Principatus, *vide* Auctoritas Civilis. Ius defensionis vitae etiam cum nece iniusti aggressoris, 301.

**Iustinianus Codex** — definitio matrimonii in facto esse, 422.

**Iustitia** — habitus, 233; obiectiva in genere, perfecta, imperfecta, 48; commutativa, 48, 234; distributiva, 48, 235; legalis, 48, 235.

Iustitia inter hominem et Deum imperfecta et sola distributiva, 49, 50.

**Iustum** — in genere, 233; involvit rationem alteritatis, aequalitatis et debiti, 233; iustum simpliciter et secundum quid, 234.

## K

**Kant** — de beatitudine, 68; refutatur, 78; de obligatione morali, 118; de regula suprema moralitatis, 174; de origine iuris, 247; de titulo primigenio dominii proprietatis, 398; de fine societatis civilis, 505.

## L

**Labor** — quomodo titulus dominii proprietatis, 395, 399, 402.

**Lacedaemones** — de fine societatis civilis, 503.

**Laus** — definitur, 60.

**Legifera Potestas** — pars essentialiter integralis auctoritatis civilis supremaé, 556.

**Leibnitz** — de regula morum, 172.

**Leo XIII** — « Immortale Dei » de origine societatis civilis in genere, 464; « Diuturnum illud » contra theoriam Rousseauanam, sed non contra sententiam Scholasticam, 550.

**Lessius** — de actu indifferenti, 197; de directa occisione aggressoris iniusti, 305; de radicali permanentia auctoritatis civilis penes communitatem qua talem, 532.

**Lex** — in genere, 82; inspecta active, passive, significative, 84; legis mutatio materialis, formalis, 125, intrinseca, extrinseca, 124, per abrogationem, derogationem, dispensationem, 125, per interpretationem improprie dictam, proprie dictam seu epikeiam, 133.

**Lex Aeterna** — in genere, 84; in concreto, 81; exponitur definitio D. Thomae, 91; existit, 81; distinguitur a Providentia Divina, 92, a lege naturali, 100; est praeceptiva, prohibitiva, permissiva et taxativa, 93; nullam patitur exceptionem, 92; est principium et norma omnis legis iustae, 93; est formalis regula suprema moralitatis, 141.

**Lex Dubia** — non obligat, 223.

**Lex Lynchiana** — quid, semper illicita, 311.

**Lex Naturalis** — in genere, secundum se inspecta, formaliter, virtualiter et fundamentaliter, 100: existit, 94; differt a lege aeterna

et a lege positiva, 100, necnon a synderesi et conscientia morali, 101; est immutabilis, 123; neque interpretationem seu epikeiam patitur, 133; est cognoscibilis, 203; universalis, 206, indelebilis, 207; praeceptiva, permissiva et prohibitiva, 102; eius evidentia quoad principium suum primum, 201, quoad principia secundaria et remotiora, 203, quoad praecepta communia, 203, quoad praecepta particularia, 205; eius sanctio, *vide* Sanctio; eius obligatio, *vide* Obligatio.

**Lex Positiva** — quomodo differt a lege naturali, 100; non est solum principium proximum iurium, 251.

**Liberalismus Continentalis** — de regula moralitatis, 179; de educatione prolis, 437; de materia societatis civilis, 495.

**Liberatore** — de origine societatis civilis in concreto, 481; de determinatione subiecti auctoritatis civilis, 535.

**Libertas** — physica, a coactione, arbitrii, 22; contradictionis, contrarietatis, specificationis, 23; libertas moralis, 24; civilis, politica, 25, academica, loquelae et preli, 343. Est fundamentum imputabilitatis, 47.

**Liberum** — non convertitur cum voluntario, 24; tollitur quando tollitur voluntarium, ignorantia nempe invincibili, 31, coactione, 43; non tollitur ignorantia vincibili, neque concupiscentia sive antecedente sive consequente, 37, neque metu, 41, neque habitu, 44; minuitur tamen concupiscentia antecedente, 37, metu, 41, et habitu, 45. Libero agenti imputatur actus, 45.

**Limites** — iuris in genere, 267; dominii proprietatis, 410; auctoritatis civilis essentiales et accidentales quomodo determinantur, 538.

**Locke** — de titulo primigenio dominii proprietatis, 399; de origine auctoritatis civilis, 520.

**Loquela** — eius finis operis, 330; eius libertas, 343.

**Lotze** — de regula morum, 171.

**Ludovicus Bavarus** — de divino iure regum, 533.

**Lycurgus** — de fine societatis civilis, 503.

## M

**Magister Sententiarum** — ex codice Iustiniano definit matrimonium in facto esse, 422.

**Maine** — de titulo primigenio dominii proprietatis, 398.

**Malitia Moralis** — quasi species moralitatis, 137; sicut pravitas proprie dicta stat in deviatione a regula, 138; formalis regula talis

suprema, 140, proxima, 148, fundamentalis, 161; resultat ex quocunque defectu in obiecto, fine aut circumstantiis actu humano acceptatis, 191. *Vide* Bonitas Moralis.

**Malum Physicum** — excluditur a beatitudine, 66; retributum ob detrimentum passum est poena, 48, quae licite potest infligi nonnisi auctoritate publica, 260; malum physicum passum est damnum, 259; sine iniuria licite per accidens potest proportionate infligi a defendente aut reparante suum ius, 261.

**Manchester School** — de fine societatis civilis, 505.

**Mandeville** — de regula morum, 180.

**Marx, Karl** — de Collectivismo Socialistico, 381, 384.

**Mater** — auctoritatem habet super prolem educandam, 440; per accidens potest esse caput familiae, 460.

**Materia** — circa quam Ethicae, 3, 7; iuris, 237; officii, 242; dominii proprietatis, 346; causa materialis societatis civilis in genere, remota, 492; proxima, per se et per accidens, 493; per se proxima sunt familiae, 492; per accidens proxima possunt esse individui adulti extra familiam, 496; remota sunt membra familiae, 492.

**Matrimonium** — in fieri, 423, contractus naturalis, itemque in Nova Lege sacramentum et contractus ecclesiasticus, cuius cura penes solam Ecclesiam, 423; in facto esse, 422, societas coniugalis, 424; huius finis, 426, et proprietates, scilicet unitas cui opponuntur polyandria et polygamia, 444, indissolubilitas cui opponitur divortium a vinculo, 448; libellum repudii in Vetere Lege, 458; matrimonium consummatum inter infideles solubile per Privilegium Paulinum, 456; ratum et non consummatum solvitur Professione Religiosa, 457, itemque solvi potest a Summo Pontifice, 458. Quoad effectus civiles contractus matrimonii est sub auctoritate civili, immo et inter infideles potest esse simul contractus naturalis et civilis, 424.

**Mendacium** — definitur, 325; definitio stabilitur ex Costa-Rossetti, 326; aliae definitiones reiiciuntur, scilicet, S. Augustini, Grotii, recentiorum, 327; non distinguitur a restrictione stricte mentali, 338; lege naturali vetatur, 324, quia intrinsece malum, 330; et proinde neque Deus eo uti potest, 332.

**Mentalis Restrictio** — *vide* Restrictio Mentalis.

**Meritum** — in genere, 47; de congruo, de condigno, 48; apud homines, 48; apud Deum, 49; non univoce sed analogice idem, 50; conditiones meriti de condigno, 50; meritum de condigno beati-

tudinis, 74; quod est finis intrinsecus « qui » hominis relative ultimus, 73.

**Metus** — passio. 34; in specie, in genere, levis, gravis, extremus, 38; actus qui ex metu gravi fit, 39, per se loquendo est voluntarius simpliciter, regulariter autem involuntarius secundum quid, 38; minuit sed non tollit liberum, 41; non datur paritas inter concupiscentiam et metum in influxu in voluntarium, 41, 42; contractus factus ex metu iniuste causato est rescindibilis ob iniuriam et non ob defectum voluntarii aut liberi, 42; actus contra leges positivas aliquas inculpabilis est propter praesumptam indulgentiam legislatoris, et non ob defectum voluntarii et liberi, 42.

**Meyer Theodorus. S. J.** — de origine societatis civilis in concreto, 481; de determinatione subiecti auctoritatis civilis, 535.

**Mill, James** — de beatitudine, 69; de regula morum, 171.

**Mill, John Stuart** — de beatitudine, 69; de regula morum, 171.

**Miraculum** — non subaudit mutationem *legis* naturae, 129.

**Miseriae Sociales** — in praesens causantur partim Individualismo, 378.

**Mobilia Bona** — quid, 347.

**Moderamen Inculpatae Tutelae** — quid, eiusque conditiones, 303.

**Molina** — de directa occisione aggressoris iniusti, 305.

**Monarchia** — in genere, 555; absoluta, moderata, 556; constitutionalis, 557; tyrannica, 555.

**Moralis Actus** — *vide* Actus Moralis.

**Moralitas** — praedicatur formaliter et primario nonnisi de actu humano, 135; in genere (quasi genus respectus bonitatis moralis et malitiae), 136; materialis, formalis, obiectiva, specifica, 137; stat in habitudine ad regulam, 136; terminus illius habitudinis, nempe formalis regula, 140; regula suprema est lex aeterna, 140; proxima est recta ratio, 148; fundamentalis est communis finis humanae vitae, 161; regula logica seu criterion in genere, 208; subiectivum (intellectus practicus), 208; obiectivum proximum (natura rationalis adaequate inspecta), 212. Fundamentum habitudinis, seu principium moralitatis in actu humano stat in obiecto, fine et circumstantiis acceptatis in humano actu, 184.

**Mormones** — pro polygamia, 445.

**Multitudo** — mere coexistens, vinculis caritatis et iustitiae commutativae ligata, 477; iuridice discreta, sed in actu primo proximo ad societatem civilem constituendam, 477, 481; iuridice unita in societatem civilem, 478, 481; transit a discreta ratione ad iuridicam unionem per acceptationem vinculi civiliter socialis, 481. Di-

screta multitudo non possidet auctoritatem, 519, 522, 523, 524; princeps non est mandatarius multitudinis discretae, 525; multitudo nequit tollere e societate auctoritatem, neque limitare eius amplitudinem essentialem, 525. Multitudo iuridice unita in societatem civilem seu communitas qua talis est per se et necessario primum subiectum auctoritatis civilis, 527, sed tantum radicaliter et quoad virtutem, 530, 531; quodsi statuatur democratia, adest auctoritas in ea formaliter et quoad exercitium, 555; consensu communitatis transit auctoritas ad subiectum secundarium et permanens, 527. Multitudo iuridice civilis non determinat conditiones seu limites essentiales auctoritatis translatae, sed tantum accidentales, 538; neque potest revocare eam ad lubitum, 538; neque facere principem suum mere mandatarium, 551, 553. Consensu multitudinis iuridice civilis determinantur forma regiminis et titulus successionis in auctoritate possidenda, 554.

**Mutilatio Corporis** — lege naturali quomodo permittitur, quomodo prohibetur, 293, 295.

**Mutuus Consensus** — requiritur ad omnem contractum, et in specie ad contractum matrimonialem, 423.

**Mutuum Solamen** — seu mutua compensatio vitae communis, in quo sistit, 422; pertinet ad finem matrimonii, 426.

## N

**Natura Rationalis** — hominis adaequatae inspecta, 213; est criterion obiectivum proximum moralitatis, 212.

**Naturalis Lex** — *vide* Lex Naturalis.

**Naturalismus Pantheisticus** — de beatitudine, 79.

**Necessitas** — in genere, 22, 115; physica, extrinseca, 22, intrinseca, 22, 115; moralis in genere, 115; moralis obligationis, 116. Necessitas consequens in Deo, *vide* Deus.

**Neo-Kantiani** — de origine iuris, 247.

**Nietzsche** — de regula morum, 172.

**Nominalistae** — de regula morum, 179.

**Norma Moralitatis** — *vide* Regula Moralitatis.

## O

**Obiectum** — Ethicae, materiale, 3, 7, formale, 3, 134; humani actus sensu lato (seu terminus obiectivus adaequatus), sensu stricto, 185; beatitudinis, in genere, 68, necessarium in concreto Ipse Deus, 66.

**Obligatio** — in genere, 115; legis naturalis, eius effectus formalis et causa efficiens, 115, secundum Cathrein, Kant, Rationalistas, Moralistas Independentes, 118, secundum Evolutionistas (Spencer), Vasquez, 119.

**Oblivio** — includitur in ignorantia influente in voluntarium, 27.

**Occam** — de mutabilitate legis naturalis, 126.

**Occisio** — in genere, 288; indirecta, directa, 288; directa sui lege naturali vetatur, 288; utrum etiam ex publica sententia occisio sui directa sit licita disputatur, 293; directa occisio alterius extra casum necessariae defensionis proportionatae lege naturali vetatur homini privato, 298; in casu talis defensionis permittitur, 301; auctoritati publicae in poenam proportionati delicti permittitur, 524.

**Occupatio** — in genere, 394; effectiva, 395; est titulus primigenius dominii proprietatis, 392; de ratione eius effectiva participare potest labor, 392.

**Odium** — passio, 34; actus voluntatis, 12.

**Oeconomica Prosperitas** — non est illa adaequata prosperitas quae cum pace constituit finem proximum societatis civilis, 376.

**Oeconomicus Socialismus** — quid, 369.

**Oeconomicum Aequilibrium** — in societate civili quid, 373; nequit conservari sub Collectivismo, 374.

**Offensa** — in genere et contra legem, 116; personalis, 259; contra Deum, 117.

**Officium** — in abstracto, in concreto, ethicum, iuridicum, 241; imperfectum, perfectum, 244; eius principium in genere, 242, in concreto, 250; eius materia, titulus, 242; eius subiectum, terminus, 243; officii terminus nequit esse brutum animal, 244; officium personale, sociale, 243; officium hominis erga Deum, in genere, 244; in concreto, 277; officia hominis erga se ipsum, in genere, 244; in concreto, 287; erga alios homines individuos, in genere, 244; in concreto, 297; officia socialia, 412.

**Oligarchia** — quid, 556.

**Omissio** — potest esse voluntarium indirectum, 15.

**Oratio** — species cultus divini in concreto, 280.

**Ordinatio rationis** — *vide* Lex.

**Ordo Iuridicus** — socialis, 354; civilis, 500.

**Ordo Iustitiae** — commutativae, legalis, 259.

**Ordo Moralis** — individualis, socialis, universalis, 105.

**Origenes** — de mendacio, 329.

**Origo** — legis omnis, 93; iuris, 246; officii, 250; societatis coniugalis, 424; societatis civilis; 462, 474; auctoritatis civilis, 513; ignorantiae respectu praeceptorum legis naturalis, 205, 206.

## P

**Pactum** — sociale propositum a Puffendorf, 479; Rousseauanum, 470; neque unum neque alterum identificatur cum consensu quo ponitur societas civilis in existentia, 479.

**Paley** — de regula morum, 171.

**Parentalis Societas** — complementum societatis coniugalis, 421.

**Parentes** — officium et ius habent prolem educandi, 434; quod officium est eorum in solidum, 436; illud autem implere possunt per alios aptos, 436; filii non sunt parentum servi, 497.

**Passio** — in genere, 33; concupiscibilis, irascibilis, quotuplex utraque, 34.

**Patriarchatus** — non est sufficiens titulus ad auctoritatem civilem, 542.

**Paulsen** — de regula morum, 171; de suicidio, 291.

**Pax** — in genere, hominis interna, hominis externa, 501; ut bonum publicum, 503; in societate civili constituit cum prosperitate finem proprium et proximum eiusdem, 499.

**Perfectio Moralis** — in humano actu, 156.

**Permittere** — effectus legis, 93.

**Perpetua Duratio** — beatitudinis, 66; sanctionis perfectae legis naturalis, 111.

**Persona** — nonnisi persona subiectum et terminus tum iuris, 239, tum officii, 243; nequit esse materia iuris, licet eius actio et labor possit esse, 238; physica persona est materia societatis simplicis, moralis persona materia societatis compositae, 492.

**Pessimistae** — de regula morum, 172.

**Philosophia Moralis** — seu Ethica, definitur, 2.

**Pius X** — Literae contra Le Sillon doctrinam Rousseauanam condemnant, sed non sententiam Scholasticam de origine auctoritatis, 552.

**Plato** — de mendacio, 329; de fine societatis civilis, 503.

**Poena** — in genere, 48; perfectae sanctionis legis naturalis perpetua, 111.

**Politia** — forma regiminis, 556.

**Pollutio Sexualis** — quid, lege naturali vetatur, 433.

**Polyandria** — definitur, lege naturali vetatur, 444.
**Polygamia** — definitur, lege naturali vetatur, 444; patriarcharum explicatur, 131, 446.
**Populus** — princeps non est mandatarius populi, 525, 551, 553.
**Positiva Lex** — quomodo a naturali discrepat, 100.
**Positivistae Morales** — de regula morum, 172.
**Positivistae Iuridici** — de origine iuris, 251.
**Possessio** — quid, distinguitur a iure in re, 346: distinguitur ab occupatione, 394.
**Praecipere** — est effectus legis, 93,
**Pravitas Moralis** — idem sonat ac malitia moralis, 139.
**Praemium** — in genere, 48; perfectae sanctionis legis naturalis, 110.
**Praecepta** — legis naturalis communia, particularia, eorum cognoscibilitas, 203.
**Praescriptio** — quomodo est titulus derivativus dominii proprietatis, 407.
**Principia** — moralitatis, obiectum, finis et circumstantiae, 184; legis naturalis, primum, 202, secundaria, remota, 203.
**Principium** — legis in genere, 83; moralitatis, 184; iuris in genere, 237, in concreto, 246; officii in genere, 242, in concreto, 250; primum legis naturalis, 202.
**Privatum** — dominium proprietatis, 348, 351.
**Privilegium Paulinum** — de divortio, 132, 456.
**Probabilis Conscientia** — quomodo reformanda, 227.
**Prohibere** — effectus legis, 93.
**Proles** — pertinet ad finem « cui » societatis coniugalis, 436; educanda per se a parentibus, 434, per accidens a Statu, 437, quomodo ab Ecclesia, 440; est societatis civilis membrum in fieri et subditus mediatus, 496.
**Proportio** — inter hominem et Deum glorificandum, 65; inter hominem et Deum beantem, 73; arithmetica iustitiae commutativae et geometrica iustitiae distributivae, 49.
**Proprietatis Dominium** — *vide* Dominium Proprietatis.
**Proprietas Territorialis** — non sufficit ut titulus auctoritatis civilis, 543.
**Prosperitas** — quid, 502; ut bonum publicum, 503; ut bonum privatum, 512; cum pace hominis externa constituit finem proximum societatis civilis, 499.
**Pseudo-Historica Schola** — de cultu divino, 281.
**Pubertas** — quid, eius aetas, 434.

**Puffendorf** — de regula morum, 171, 179; de mendacio, 327; de titulo primigenio dominii proprietatis, 398; de origine societatis civilis et eius auctoritatis per pactum duplex, 479.

## Q

**Quaestiones Controversae** — inter Catholicos moralistas: de obligatione legis, 115; de mutabilitate legis naturalis, 123; de regula formali et fundamentali moralitatis, 140, 148, 161; de actu moraliter indifferenti, et de intentione finis requisita ad actum bonum, 197; de conscientia probabili, 227; de directa occisione aggressoris iniusti, 301; de mendacio et restrictione mentali, 324, 334; de successione hereditaria tanquam titulo derivativo *naturali* dominii proprietatis, 399; de causa formali societatis civilis, 419; de causa existentiae societatis civilis in concreto, 474; de subiecto primo auctoritatis civilis, et de determinatione subiecti permanentis, 527; de radicali titulo successionis in auctoritate civili possidenda, 554.

**Quies** — facultatum hominis constituens beatitudinem formalem, 69.

## R

**Ratio** — multiplex sensus, 149; ratio recta, dictans, recta formaliter, 149; recta fundamentaliter, et recta formaliter ut dictans, 150; est formalis regula proxima moralitatis, 148; nequit esse suprema regula, prout Kant asseruit, 174; quale rationis practicum iudicium est conscientia moralis, 217; ratio rerum gubernandarum in mente divina existit et est lex aeterna, 81.

**Rationalis Natura** — hominis adaequate inspecta est criterion obiectivum proximum moralitatis, 212.

**Rationalistae** — de regula morum, 174; de obligatione, 118.

**Reatus** — culpae, 116; poenae, 117; est formalis effectus obligationis in quantum violatae, 115.

**Rectitudo Moralis** — idem sonat ac bonitas moralis, 138.

**Regiminis Forma** — seu species, in genere, 554; simplex, 555; mixta, essentialiter, accidentaliter, 556; multiplex, 555, 557; determinatur consensu communitatis qua talis, 554.

**Regula** — sensu proprio, 138; moralitatis in genere, 138; communis, propria, 140; formalis, 146, suprema (lex Dei aeterna), 140, proxima (recta ratio), 148; fundamentalis (communis finis huma-

nae vitae), 161; logica (rationalis natura hominis adaequate inspecta), 212; regulae falsae, videlicet, Utilitariorum, 169, Rationalistarum, 174, Positivistarum Moralium, 179, Sensistarum, 208.

**Reparatio** — in genere compensatio iniuriae, 259; honoris et famae non quaerenda duello, 314.

**Respublica** — forma regiminis, 537.

**Restitutio** — est compensatio damni, 259.

**Restrictio Mentalis** — in genere, stricte mentalis, 334: haec non distinguitur a mendacio, 335, 338, et proinde neque unquam licita. 337; late mentalis, 335; haec *interdum* licita ob secreti defensionem, 334.

**Reverentia** — quid, 279; includitur in conceptu cultus, 278; prout in cultu divino, 279.

**Riccardo** — de Collectivismo Agrario, 389,

**Robinet** — de sensu morali, 209.

**Rousseau** — de regula morum, 179; de sensu morali, 209; de origine iuris, 252; de titulo primigenio dominii proprietatis, 399; de origine societatis civilis, 463, 469; de origine auctoritatis civilis, 469, 520.

## S

**Sacramentum** — matrimonii contractus est sacramentum Novae Legis, cuius cura authentica est penes solam Ecclesiam, 438.

**Saint Lambert** — de regula morum, 180.

**Sanctio** — in genere, activa, passiva, perfecta, 105; perfecta legis naturalis datur, 105, sed respicit vitam futuram, 108, et est perpetua etiam in ratione poenae, 111; imperfecta, 105; remunerativa, 106; poenalis, 106; medicinalis, 106, 112; exemplaris, vindicativa, 107; vindicativa Bonitati Divinae non repugnat, 112; finis sanctionis, 105.

**Satisfactio** — est compensatio offensae personalis, 259.

**Schaeffle** — de Collectivismo, 366; de origine societatis civilis eiusque auctoritatis, 473.

**Schiffini** — de origine societatis civilis in concreto. 481; de primo subiecto auctoritatis, 535.

**Schopenhauer** — de regula morum, 172; de sensu morali, 209; de suicidio, 291.

**Scotus** — de dispensatione legis naturalis, 126; de actu indifferenti, 197.

**Scribendi Licentia Arbitraria** — lege naturali non conceditur, 334.
**Secretum** — in genere, 335; naturale, promissum, commissum, sacramentale, 336; ad eius defensionem interdum licita est restrictio late mentalis, 334.
**Sensismus Moralis** — quid, 209, materialis, spiritualis, ut aiunt, 209; uterque reiicitur, 208.
**Sensus Moralis** — sensu proprio non datur, 208; sensu translato interdum praedicatur de recta ratione habituali, 211.
**Sensus Sextus** — organicus nempe quo distinguitur bonum a malo morali, 208; talis non datur, 208.
**Sentimentalistae** — de culto divino, 282.
**Sermo Verax** — locutio conformis menti, opponitur mendacio, unde hoc debet esse locutio difformis seu locutio contra mentem, 326.
**Shaftesbury** — de sensu morali, 209.
**Signa Rationis Divinae** — in Deo decernente ab aeterno creationem et ordinationem hominis, 89.
**Simulatio** — quid, 325; lege naturali prohibetur, 332.
**Smith, Adam** — de sensu morali, 209.
**Socialis Auctoritas** — *vide* Auctoritas Socialis.
**Socialis Contractus** — fictus ab Hobbes, 467, a Locke, 520, a Rousseau, 469, a Puffendorf, 479.
**Socialismus** — in genere, 368; Philosophicus, 368; Politicus, Oeconomicus seu Collectivismus Socialisticus, 369; Agrarius, 357, 388.
**Societas** — in genere, 412; eius causae, 413; specialiter causa formalis quae est vinculum sociale ligans plures ad cooperationem in ordine ad bonum commune, 419; societati auctoritas necessaria est, 416, quae est eius accidens proprium seu proprietas essentialis, 419. Societas in fieri, in facto esse, simplex composita, naturalis, 414; conventionalis, aequalis, inaequalis, perfecta, 415; imperfecta, 416.
**Societas Domestica** — in genere (idem sonat ac familia), eius finis, eius tria stadia, scilicet, societas coniugalis in se, et in quantum simul parentalis, itemque herilis, 421; est materia per se proxima societatis civilis, 492; est societatis civilis membrum in facto esse, et immediatus eius subditus, 496; divortio familiae destruuntur et aliae ab aliis alienantur in detrimentum societatis civilis, 451; hominis ordinatio ad societatem domesticam est quid natura prius quam ordinatio hominis ad societatem civilem, 496; eius auctoritas respectu prolis educandae est simul in utroque parente, 440;

societatis domesticae caput est per se paterfamilias, 459, per accidens vero potest esse materfamilias, 460.

**Societas Coniugalis** — in genere, 424, idem sonat ac matrimonium in facto esse, 424, 422; eius finis, eius causa formalis (vinculum coniugaliter sociale), 422; eius materia, 422; eius definitio a Magistro Sententiarum ex Codice Iustiniano desumpta, 422; eius in abstracto causa iuridica efficiens (Deus per legem naturalem), in concreto (consensus coniugum), 424; est societas naturalis quia homo ad eam lege naturali ordinatur, 424; haec autem ordinatio non excludit caelibatum, 432; unitas eius excludit tum polyandriam tum polygamiam, 444; eius stabilitas excludit divortium perfectum, 448.

**Societas Civilis** — in genere 461; homo ad eam ordinatur, 462, et proinde ea est societas naturalis, eiusque in abstracto causa efficiens iuridica est Deus per legem naturalem, 467: eius iuridica causa efficiens in concreto est consensus constituentium, 475; contraria de hac causa sententia recentiorum quorundam Scholasticorum, 480; causae historicae influentes physice sed non iuridice in existentiam societatis civilis in concreto, 477; eius finis « qui » re motus seu relative ultimus (felicitas temporalis), 500, finis proprius et proximus « cui » (omnia simul membra, nullo excepto), et « qui » (pax et prosperitas ut bonum publicum), 499; officium societatis civilis ad procurandam omnibus membris pacem et prosperitatem publicam, 508; ius membrorum ad participationem in illo fine, et eorum officium cooperandi ad eum, 508; eius materia in genere, remota, 492, proxima, per se (familiae) 493 sqq., per accidens (adulti extra familiam), 496; eius subditi in genere, per se, per accidens, 493, 496, immediati, 493, 496, mediati, 494, 496, membra in facto esse, et in fieri, 494, cives, 494: est societas composita 497. Forma societatis civilis est vinculum civiliter sociale et iuridicum proveniens ex lege naturali secundum iustitiam legalem in genere, 514; eius essentialis proprietas est auctoritas, 514. Suprema eius auctoritas, in genere et quoad se spectata, a Deo immediate est, 513; in concreto, i. e. in quantum distribuitur sub specifica forma regiminis, immediate est a communitate qua tali, 534; quoad subiectum, in quantum ad subiectum primum a Deo immediate est, sed in quantum ad subiectum permanens est immediate a communitate qua tali, 527. (*Vide* Auctoritas Civilis).

**Solimani** — de origine societatis civilis in concreto, 481; de subiecto primo auctoritatis civilis, 535.

**Species Regiminis** — diversae, 554, 555.
**Spencer, Herbert** — de beatitudine, 69; de principio obligationis, 119; de regula morum, 172; de origine iuris, 247; de origine societatis civilis eiusque auctoritatis, 473.
**Spes** — passio, 33; actus voluntatis, 11.
**Spontaneum** — quid, distinguitur a voluntario, denominatur actus primo-primus, 10.
**Spurzheim** — de sensu morali, 209.
**Status** — non est finis societatis civilis, 504; eius per accidens ius respectu prolis educandae, 436, 440, 441.
**Stoici** — de beatitudine, antiqui cum Zenone, recentiores cum Kant, 68.
**Suarez** — passim: de unitate morali inter effectum per accidens et eius causam prohibitam praecise ne effectus ille sequatur, 18; de origine societatis civilis in concreto, 479; de subiecto primo auctoritatis civilis, 537; de intentione interpretativa sufficiente ad actum moraliter bonum, 199; de actu indifferenti, 198.
**Subiectivum Criterion** — moralitatis (intellectus practicus), 208.
**Subiectum** — iuris, 239; officii, 243; auctoritatis civilis, in genere, naturale, primum, secundarium, 528; primum per se, 529, et necessario, 530; subiectum naturale per se et necessario primum auctoritatis civilis est ipsa communitas qua talis, 527; permanens et secundarium subiectum auctoritatem suscipit ex consensu primi, 527.
**Successio** — hereditaria, in genere, per testamentum, ex intestato, est titulus naturalis derivativus dominii proprietatis, 397; potest esse titulus derivativus auctoritatis civilis, 559. Successio in regimine, eius titulus proximus, multiplex, radicalis in genere, 559; radicalis in concreto consensus communitatis qua talis, 560.
**Synderesis** — quid, 212.
**Syndicalismus** — species Communismi Positivi Moderati, 357.

## T

**Tacitum Voluntarium** — definitur, 20.
**Tacitus Consensus** — pro origine societatis in concreto, 478; pro acceptatione regiminis et determinatione permanentis subiecti auctoritatis civilis, 532.
**Tanquerey** — de mendacio, 328.
**Taparelli** — de successione hereditaria ad dominium proprietatis 399;

de origine societatis civilis in concreto, 481; de determinatione subiecti auctoritatis civilis, 535.

**Tendentia** — praecipuae tendentiae in natura humana, 216; tendentia specifica ad beatitudinem, 70; specifica ad dominium proprietatis acquirendum, 361; ad finem societatis coniugalis, 428; ad finem societatis civilis, 465.

**Terminus** — humani actus, psychologicus, obiectivus materialiter, formaliter (seu intentionaliter) adaequatus, inadaequatus, 185; iuris, 239; officii, 243; status termini, 77.

**Testamentum** — quid, titulus successionis hereditariae ad dominium proprietatis, 397.

**Thomas** (S.) — passim: de intentione requisita ad actum moraliter bonum, 148; de actu indifferenti, 148; de directa occisione alterius, 304; de subiecto primo auctoritatis civilis, 539.

**Timor** — actus voluntatis, 11: passio (seu potius metus), 34; huius influxus in voluntarium, 33.

**Titulus** — iuris, 238; officii, 242; dominii proprietatis, 392; officii educandi prolem, 436; auctoritatis civilis quoad subiectum primum, 539, quoad subiecta secundaria titulus proximus multiplex, 539, titulus autem radicalis est consensus communitatis qua talis, 527, 554.

**Tongiorgi** — difficultates citatae contra beatitudinem ut finem hominis ultimum, 72; de regula moralitatis, 143; de origine societatis civilis in concreto, 481, 490; de subiecto primo auctoritatis civilis, 535.

**Tribunal** — aequitatis respectu legis naturalis, 450.

**Tristitia** — actus voluntatis, 12.

**Tyrannis** — abusus monarchiae, 555.

## U

**Unio Moralis** — in genere, formaliter et iuridice talis, 412.

**Usus** — quid, activus et passivus, 13.

**Utile** — in ratione utili formalis bonitas moralis non stat, 167, in ea autem sistit bonitas fundamentalis non tamen cum exclusione rationis boni in se, 167, 158.

**Utilitarii** de beatitudine, 69; de regula moralitatis, 169.

## V

**Valentia** — de actu indifferenti, 197.

**Valor** — in genere, 384 ; usualis, commutativus, 385 ; a Marx propositus, 384.

**Vasquez** — de obligatione, 119 ; de actu indifferenti, 197 ; de origine iuris, 247 ; de directa alterius occisione, 305.

**Verax Sermo** — opponitur mendacio, stat in locutione conformi cum mente, unde mendacium necessario stat in locutione difformi a mente (seu in locutione contra mentem), 326.

**Vetare** — effectus legis, 93.

**Via** — status viae et status termini, 77.

**Victoria** — in duello nihil probat praeter peritiam in usu armorum, 320 ; in bello iniusto nullum ius fundat, 543 ; in bello iusto non est titulus novae existentis societatis civilis, 491, 485, neque auctoritatis civilis super victos, 544.

**Vinculum** — sociale (formaliter morale et iuridicum) 412 ; est forma societatis in genere, 419 ; vinculum civiliter sociale (formaliter morale et iuridicum), 461 ; haec est forma societatis civilis, 514.

**Vindicta** — personalis lege naturali individuo non conceditur sed publicae auctoritati reservatur, 320 ; legalis pertinet ad sanctionem legis, 107.

**Vita Futura** — et quidem perpetua requiritur ad beatitudinem, 71, ad sanctionem perfectam legis naturalis, 108.

**Vita Humana** — humanae vitae finis communis, 162 ; dominium super propriam vitam homini lege naturali non conceditur, 288 ; neque homini privato super vitam alterius extra casum defensionis contra iniustum aggressorem, 298 ; in casu talis defensionis necessariae et proportionatae conceditur, 301 ; auctoritati publicae conceditur ad puniendum crimina proportionata, 524 ; vita est donum Dei datum cum conditione onerosa, 294.

**Viva** — de actu indifferenti, 197.

**Volitum** — quid, 9 ; distinguitur a voluntario, 10.

**Voluntarium** — definitur, 9 ; exponitur definitio, 9, 10 ; multiplex, videlicet, elicitum, 11, et imperatum, 13 ; directum et indirectum, in se et in alio (seu in causa), 15 ; simpliciter, 19, et secundum quid, propter se et propter aliud, actuale (formaliter et virtualiter), habituale et interpretativum, expressum et tacitum, 20 ; necessarium, 20, et liberum, perfectum et imperfectum, 21 ; conditiones

requisitae pro voluntario in causa, 16. Tollitur voluntarium invincibili ignorantia, 27, et coactione, 43; non tollitur vincibili ignorantia, 27, neque concupiscentia consequenti, neque per se concupiscentia antecedenti, 33; minuitur ignorantia vincibili, 31, et concupiscentia antecedente, 37; quomodo modificatur metu, 38.

**Voluntas** — appetitus rationalis elicitus, 9.

**Voluptas** — passio, 33-34; in ea sistit felicitas subiectiva et regula morum secundum Hedonistas et practice secundum Utilitarios Britannicos, 170; in ea invenitur regula morum secundum Evolutionistas, 171.

## W

**Wolff** — de regula morum, 172.

**Wundt** — de regula morum, 172.

## Z

**Zeno** — cum Stoicis suis de beatitudine, 16.

**Zigliara** — de origine auctoritatis in subiecto eius primo, 536, 545.

170.2
M 219
18617
MACKSEY, C., S.J.
AUTHOR
De Ethica Naturali
TITLE
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
18617